93
m
57

BIBLIOTECA NAZ.^LE
152
A
14
NAPOLI

.52

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
152
A
14
NAPOLI



PUBLII
OVIDII
NASONIS

METAMORPHOSEON
LIBRI XV.

Expurgati, & explanati,

Cum Appendice de Diis, & Heroibus Poeticis.

AUCTORE

JOSEPHO JUVENCIO

E' Societate JESU.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

VENETIIS, MDCCXL.

Apud Nicolaum Pezzana.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS.

Vicarius Generalis Societatis JESU.

CUm Librum, cui titulus eſt: *P. Ovidii Naſonis Metamorphoſeon Libri XV. expurgati, & explanati, cum Appendice de Diis, & Heroibus poeticis*, a Patre Joſepho Juvencio Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur: Cujus rei gratia has litteras manu noſtra ſuſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ 17. Martii 1704.

Michael Angelus Tamburinus.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per atteſtato del Segretario noſtro nel libro ſtampato in Roma nell' anno 1704. intitolato : *Publii Ovidii Naſonis Metamorphoſeon Libri XV. expurgati , & explanati cum Appendice de Diis , & Heroibus Poeticis Auctore Joſepho Juvencio e Societate Jeſu Tom. II.* non eſſervi cos' alcuna contro Prencipi , & buoni coſtumi concedemo licenza a Niccolò Pezzana , che poſſi eſſere ſtampato , oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle publiche librarie di Venezia, e di Padova.

Data 20. Maggio 1712.

{

{ *Marin Zorzi Reſor.*

{ *Gio: Franceſco Moroſini Kav. Reſor.*

Agoſtino Gadaldini Segr.

P. OVI-

P. OVIDII NASONIS
VITA.

ORtus eſt Ovidius Sulmone, olim oppido Pelignorum, in Italia, ad Sarum fluvium, Hirtio & Panſa conſulibus, qui apud Mutinam bello Antoniano perierunt. Natus autem eſt loco equeſtri, in familia perantiqua. Eluxit mira in puero indoles ad poeſim: patris tamen juſſis ad leges perdiſcendas, & fori quæſtuoſam artem, ſe contulit: Athenas etiam petiit, eloquentiæ ac litterarum ſedem. Extincto patre, ad factitandos verſus ſe retulit, in quibus etſi limatus aliquando non eſt, ingenio nihilominus, ubertate ſcribendi, ac facilitate, præſtat. Habitavit prope Capitolium: ejus horti propter viam Flaminiam viſcebantur. Cum in ſcribendo non ſe contineret pudoris finibus, ab Auguſto, licentiam hanc non ferente, pulſus in exilium eſt Tomos, urbem Scythiæ barbaram, & inhoſpitam, cum annum ageret 50. ibique octo ferme annis exulavit, quibus exactis ſummo in mœrore, diem ſupremum obiit, anno Tiberii Septimo, Chriſti 20.

Quodnam fuerit eruditorum judicium de Ovidio, ſatis loquitur conſentiens tot ſæculorum de ſummo vate fama. Unum in eo multi reprehendunt, quod nimis ingenioſus aliquando ſit, quod vitium ſane pauco-

rum eſt. Eum Fabius multo præſtantiorem futurum fuiſſe tradit, ſi ingenio ſuo temperare, quam indulgere, maluiſſet. Illam tamen qualemcumque in ſcribendo negligentiam ſolebat ipſe excuſare, cum diceret decentiorem eſſe faciem, in qua nævus aliquis ineſſet. Id vero multo etiam apertius de iſtis Metamorphoſeon libris confitetur, de quibus ita canit Lib. I. Triſtium, Elegia 6.

Orba parente ſuo quicumque volumina cernis,
His ſaltem veſtra detur in urbe locus.

Quoque magis faveas, non ſunt hæc edita ab ipſo
Sed quaſi de domini funere rapta ſui:

Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit;
Emendaturus, ſi licuiſſet, erat.

P. OVI-

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER PRIMUS.

SYNOPSIS.

CHaos in quatuor elementa converſum: inde natus orbis terrarum. Quatuor mundi ætates. Gigantum ſcelus, & pœna. Lycaon in lupum mutatur. Orbis mergitur diluvio, reparatur, & ſaxa in homines transformantur. Pythonem Apollo interficit. Hinc orti ludi Pythii. Daphne in laurum converſa: Io in vaccam, ac poſtea in Deam Iſidem. Argus necatur: ejus oculis ornatur pavonis cauda.

I.

Operis propoſitio:

Chaos, & Orbis incunabula.

IN nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Dii cœptis (nam vos mutaſtis & illas)
Aſpirate meis; primaque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

Metamorphoſeon. Μεταμόρφωσις, Græca dictio, ſignificat mutationem in aliam formam.

In nova, &c. Animus eſt canere miras mutationis multorum corporum, quæ amiſſa priori forma, novam induerunt.

Mutatas, &c. Dicendum vi-

Ante mare, & terras, &, quod tegit omnia, cęlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos: rudis, indigeſtaque, moles,
Necquicquam, niſi pondus iners congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,
Nec nova creſcendo reparabat cornua Phœbę,
Nec circumfuſo pendebat in aere tellus
Ponderibus librata ſuis: nec brachia longo

videbatur corpora mutata in novas formas: dixit, mutatas formas in nova corpora, per Hypallagen, figuram poetis notam, quæ voces immutat ac trajicit. Sic Virgil. dicit, *dare claſſibus Auſtros*, pro, Dare Auſtris claſſes, ſeu naves ventis impellendas permittere. Simplicius accipi poteſt hoc in verſu forma pro re qualibet certæ cujuſdam formæ ac ſpeciei, quæ in novum corpus mutata ſit: in rem aliam converſa.

Dii cœptis... Huic operi, quod aggredior, favete Superi, quandoquidem ejuſmodi mutationum ipſimet auctores extitiſtis.

Primaque... Et annuite, ut unum in carmen, unum in poema perpetua ſerie contextum, iſtas converſiones, ab orbe condito, ad meam uſque ætatem, ad Auguſti nempe tempora, factas, includam. His primis verſibus continetur Propoſitio, & conſilium totius operis: tum Invocatio: quæ duæ juſti carminis primæ partes a poetis aſſignantur.

Ante mare, &c. Priuſquam mare, terra, & cœlum, quo cuncta involvuntur, eo diſpoſita & ornata modo, quo nunc cernuntur, forent.

Unus erat... Una quædam Orbis facies erat. Uniuſmodi moles, & maſſa.

Chaos. Græca eſt vox; multitudinem rerum incompoſitam ſignificat, & confuſionem.

Moles. Maſſa informis.

Eodem congeſta. Eumdem in locum, & acervum, congregata.

Semina. Elementa & principia.

Titan. Sol, Hyperionis, unius e Titanibus, filius.

Reparabat cornua. Luna nova cum recedit a ſole, apparet cornuta, & coeuntibus paulatim cornibus lucidum orbem implet. Sua cornua velut amittit cum decreſcit, ac ſeneſcit: eadem reparat ac reſumit, cum incipit creſcere, ac veluti reviviſcere.

Phœbe. Phœbi ſoror.

Ponderibus librata ſuis. In æquilibrio ſtans, ob æquale in omnem partem pondus: quo fit ut in mundi centrum undique pari niſu tendat, in eoque firma ſtet.

Brachia. Sinus & varias maris partes intellige, quæ littoribus, tamquam marginibus, clauduntur, & conſtringuntur.

Am-

Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quaque erat & tellus, illic & pontus, & aer:
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aer: nulli ſua forma manebat:
Obſtabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Amphitrite. Neptuni uxor, & maris Dea: pro ipſo mari ponitur. Nondum mare circa varias terræ partes diffuſum erat.

Quaque. Et in qua parte, quo in acervo, tellus; in eodem erant aer & mare.

Inſtabilis. Quia nondum obtinebat eum, in quo firma ſtat, locum. Exponi quoque poteſt *inſtabilis*, non apta ſtationi, & habitationi.

Innabilis. Non apta natationi, & navigationi.

Sua forma. Figura, pulchritudo, ordo.

Manebat. Conſtabat. Certa, & conſtans erat.

Corpore in uno. In maſſa rerum indigeſta, in aliqua ejus parte, in uno elemento.

Pugnabant. Atqui etiam nunc in eodem corpore calida frigidis, & humida ſiccis pugnant? Reſpondeo, illa certo modo & proportione nunc eſſe temperata; quæ temperatio tunc aberat.

II.

Evolvitur Chaos. Elementa ſuis quæque locis componuntur.

Hanc Deus, & melior litem natura diremit.
Nam cœlo terras, & terris abſcidit undas,
Et liquidum ſpiſſo ſecrevit ab aere cœlum.
Quæ poſtquam evolvit, cæcoque exemit acervo:

Litem. Diſcordiam rerum inter ſe pugnantium, levium, verbi gratia, & gravium; ſiccarum & humidarum.

Natura. Vel ipſa Divina potentia ac ſapientia, ut ipſe Seneca docet, qui naturam ait eſſe Divinam rationem toti mundo inſertam: vel, indita rebus ipſis a Deo vis & indoles. Vel denique Fatum, quod ethnici Deo potentius eſſe arbitrabantur.

Melior. Melius orbi conſulens: ordinem rebus, confuſione meliorem, tribuens.

Abſcidit. Sejunxit, diſcluſit.

Liquidum cœlum. Partes aeris ſubtiliores ac puriores.

Spiſſo aere. Aer terræ vicinus, craſſior eſt: remotus liquidior.

Evolvit. Poſtquam elementa ſingula, & mundi partes, diſtinxit: explicuit: alias ſeparavit ab aliis.

Cæco. Tenebroſo. *Exemit*. Eduxit. *Acervo*. Chaos.

Diſſociata locis concordi pace ligavit.
Ignea convexi vis, & ſine pondere, cœli,
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce:
Proximus eſt aer illi levitate, locoque;
Denſior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et preſſa eſt gravitate ſui: circumfluus humor
Ultima poſſedit, ſolidumque coercuit orbem.
Sic, ubi diſpoſitam, quiſquis fuit ille Deorum,

Diſſociata. Alias res ab aliis, ſuo quamque loco, ſepoſuit: unde pax & concordia.

Ignea &c. Sic voces ordinabis: Ignea vis, & ſine pondere, emicuit, & legit ſibi ſedem in arce ſumma cœli convexi, ideſt: Ignis actuoſus, & expers ponderis, ſurſum evolavit, & locum ſibi elegit in ſuprema cœli parte. Si retinere libet ordinem in verſibus poſitum, ita explica: Ignea & ſine pondere vis cœli convexi, hoc eſt, quæ jam ſedem & proprium locum habet in cœlo convexo, & ſummo æthere; tunc emicuit, &c.

Vis ignea. Ignis. Sic poetæ vim Herculeam dicunt, pro Hercule: Turni violentiam, pro Turno violento: Homerus, vim Priami, pro Priamo.

Convexi cœli. Geminam cœli ſuperficiem diſtinguunt aſtrologi, unam convexam, ideſt foris incurvam, exterius rotundam: alteram concavam, ſeu interiorem, intus incurvam. Sæpe tamen a poetis uſurpatur ſuperficies & pars convexa, pro concava: Sic Virgilius dixit, *Tædet cœli convexa tueri*; neque enim partem cœli convexam videmus, ſed concavam: quo ſenſu videtur hic loqui Ovidius; & collocare ſphæram ignis, ſive proprium hujus elementi locum, in ſumma cœli, infra ſtellas, regione, quam Græci æthera vocant a verbo *αἴθω*, *uro*, *ardeo*, *luceo*.

Arce. Loco mundi altiſſimo. Arces in editioribus urbium locis ædificantur, unde in ipſa velut oppida dominentur. *Illi*. Igni.

Elementa grandia. Corpora graviora, qualia ſunt corpora fuſilia, & metallica: item partes aeris denſiores, quæ aſthmoſphæra vulgo dicitur: ipſam aquam: hæc omnia ſibi adjunxit: ſecum in mundi locum infimum traxit.

Preſſa eſt. Ad imum Univerſi locum depreſſa.

Circumfluus humor. Aqua circa terram fluens; terram ambiens.

Ultima poſſedit. Ultimum in tribus elementis, nempe igne, aere, aqua, locum obtinuit. Vel: Extremas telluris partes, extimam terræ ſuperficiem, & oras occupavit.

Solidumque &c. Amplexa eſt aqua, conſtrinxit, operuit, globum terræ denſum, & firmum.

Con-

Congeriem ſecuit, ſectamque in membra redegit;
Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomeravit in orbis.
Tum freta diffudit, rapidiſque tumeſcere ventis
Juſſit, & ambitæ circumdare littora terræ.
Addidit & fontes, & ſtagna immenſa, lacuſque;
Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis,
Quæ diverſa locis partim ſorbentur ab ipſa:
In mare perveniunt partim; campoque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulſant.
Juſſit & extendi campos, ſubſidere valles,
Fronde tegi Sylvas, lapidoſos ſurgere montes.

Congeriem. Chaos: molem antea indigeſtam.
Secuit. Diviſit, diſſociavit; alias partes ab aliis evolvit.
Redegit in membra. In certas partes diviſam ordinavit.
Ne non &c. Ut ab omni parte foret equaliter a ſuo centro diſtans, globoſam, & perfecte rotundam fecit.
Dum freta &c. Antea terram undique operiebant aquę, nunc eas in certa congeſſit loca, quę maria, ſeu freta, vocantur, & littoribus compeſcuit: alias diffudit in ſtagna, &c.
Ambitæ. Ab aquis circumdatę.
Declivia. Cur fluvii precipites ferantur in mare, ea cauſa eſt, quod oriantur e montibus; unde proni ac declives volvuntur.
Quæ diverſa locis. Qui fluvii huc illuc ſparſi, variis in locis poſiti.
Sorbentur. Quidam fluvii hauriuntur a terra.
Campo aquæ. Æquore, quod, tamquam planities, ſtratum, & patens eſt.
Pro ripis. Ripę fluminum ſunt, littora maris. Igitur flumina mare ingreſſa ripas anguſtas mutat amplis littoribus.
Subſidere. Deprimi, infra montes deſcendere.

III.
Zonæ, & Venti.

Utque duæ dextra cœlum, totidemque ſiniſtra

Utque duæ, &c. Quemadmodum quinque ſunt in cœlo Zonę: duę verſus ſeptemtrionem, duę verſus meridiem, & quinta in medio, quę omnium eſt calidiſſima: ſic totidem in terra numerantur.
Dextra. Partem cœli dextram vocat Auſtralem; ſiniſtram vero Septētrionalem: Pars enim cœli potior & illuſtrior, quam orantes vulgo aſpiciebant, eſt Oriens. Porro ſpectantibus Orientem Meridies dexter eſt;

Parte ſecant Zonæ; quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu;
Nix tegit alta duas: totidem inter utramq; locavit.
Temperiemque dedit, miſta cum frigore flamma.
Imminet his aer, qui quanto eſt pondere terræ
Pondere aquæ, levior; tanto eſt oneroſior igne.

Septemtrio, ſiniſter. Poteſt etiam dextra pars accipi de Septemtrionali, ob rationem aliam, a nobis allatam Lib. II. num. 3. Porro ſpatium cœli a Septemtrione ad Auſtrum ſpectati, vocatur ejus latitudo: ab occaſu in ortum, longitudo.

Zonæ. In ſphæra cœleſti, cum de Zonis agitur, quinque circuli ſunt præcipui, quibus totidem reſpondent in ſphæra terreſtri: omnes ab Oriente in Occidentem ducti, & paralleli, hoc eſt, quorum ſingulæ partes ab aliorum partibus æquali ſpatio diſtant. Sunt autem illi, circulus Polaris Arcticus; Tropicus Canceri; Æquator; Tropicus Capricorni; circulus Polaris Antarcticus. Spatia illis definita circulis vocant Mathematici Zonas quæ vox Græca faſcias, ſive cingula, ſignificat: quia cœlum terramve, ambiunt inſtar faſciarum. Spatium igitur a duobus hinc inde circulis Polaribus ad polos excurrens, eſt Zona frigida duplex. Spatium inter utrumque circulum Polarem & utrumque Tropicum, eſt Zona gemina temperata. Spatium denique inter Tropicos, medio Æquatore, interjectum, Zona torrida dicitur. Ab ea quippe Sol non recedit: unde gravior æſtus; alias Zonas tantum oblique reſpicit, unde temperies & frigus. Virg. Georg. Lib. I. verſu 233.

Sic onus. Ut quinque ſunt in cœlo Zonæ: ita totidem in terra Deos diſtinxit. Vocat terram *onus incluſum*, hoc eſt, molem oneroſam, cœlo undique ambiente concluſam.

Plagæ. Regiones, Zonæ, ſpatia. *Tellure* in terra. *Premuntur*. Calcantur hominum veſtigiis: habitantur.

Non eſt habitabilis. Torridam Zonam nihilominus habitari, docet experientia, mitigantibus æſtum ventis, & imbribus opportunis.

Duas. Frigidas Zonas.

Totidem. Duas temperatas.

Inter utramque. Inter duas frigidas.

Temperiemque &c. Temperatas reddidit, calorem frigori admiſcendo.

His. Zonis terreſtribus, quas hactenus deſcripſit.

Qui quanto. Qui aer, quanto eſt levior pondere terræ & pondere aquæ, tanto eſt gravior igne. Legitur in aliquot exemplaribus, *qui, quanto eſt pondere terræ Pondus aquæ levius*... Hanc ſcripturam ſi probas, ita explica: Qui aer tanto eſt igne

gra-

Illic & nebulas, illic conſiſtere nubes
Juſſit, & humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
His quoque non paſſim mundi fabricator habendum
Aera permiſit; vix nunc obſiſtitur illis,
Cum ſua quiſque regat diverſo flamina tractu;
Quin lanient mundum: tanta eſt diſcordia fratrum.
Eurus ad Auroram, Nabathæaque regna receſſit,
Perſidaque, & radiis juga ſubdita matutinis:
Veſper, & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro: Scythiam, ſeptemque triones.
Horrifer invaſit Boreas: contraria tellus.
Nubibus aſſiduis, pluvioque madeſcit ab Auſtro.

gravior, quanto aquæ pondus eſt levius pondere terræ: tanto aer eſt igne gravior, quanto aqua levior eſt terra: ut aquam terra; ſic ignem aer, gravitate vincit.

Illic. In aere.

Motura... Idonea percellendis terrore mentibus.

His quoque. Ventis.

Habendum. Peragrandum & concurſandũ pro arbitrio.

Vix nunc &c. Sententia eſt: Modo, quamvis venti certis regionibus & finibus circumſcripti ſint, vix mundus ab eorum impetu tutus eſt; cum inter ſe deprælientur. Quid igitur fieret, ſi promiſcue vagari per totum orbem ſinerentur?

Tanta eſt &c. Adeo pertinaciter, ac dire, inter ſe diſſident, & certant venti, quamvis ſint omnes fratres, & eodem geniti patre.

Regat. Contineat, diffundat. *Tractu*. Loco, regione.

Nabathæa. Pars eſt Arabiæ, circa mare Rubrum.

Perſida. Perſis, Aſiæ regio, inter Indum, & Tigrim fluvios, ſinum Perſicum, & mare Caſpium.

Veſper. Sic appellatur ſtella Veneris, cum apparet poſt Solis occaſum, noctemque denunciat pro Occidente ponitur. Ἕσπερος Græcis dicitur. Libr. II. num. 3.

Scythiam. Regio eſt partim Aſiæ, partim Europæ, Septemtrioni ſubjecta.

Septemtriones. Circa polum cęleſtem Arcticum, in Urſa majori, ſpectantur ſtellæ ſeptem inſigniores, ita diſpoſitæ, ut plauſtrum a bobus tractum exhibeant. Porro boves ab antiquis Latinis vocabantur triones, quaſi teriones, ideſt, humum terentes, & aratro ſcindentes. Hinc toti ſigno cęleſti nomen inditum, ut Septem triones, ſive Septemtrio, diceretur.

Contraria tellus. Meridiana.

Auſtro. Auſter flat a meridie, ac pluviam infert.

Hæc

Hæc ſuper impoſuit liquidum, & gravitate carentem
Æthera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem.

Hæc ſuper. Supra craſſum aerem, ventoſque.
Æthera. Eſt accuſandi caſus, Greco flexu: purioſem aerem ſignificat. Vide ſupra, num. 2.

I V.

Ornatur cœlum aſtris, tellus animantibus. Homo conditur.

Vix ita limitibus diſcreverat omnia certis:
Cum, quæ preſſa diu maſſa latuere ſub ipſa,
Sidera cœperunt toto efferveſcere cœlo.
Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæque Deorum:
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ:
Terra feras cepit: volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet:
Natus homo eſt: ſive hûc divino ſemine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo;
Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto

Diſcreverat. Separaverat, diſtinxerat.
Preſſa. Involuta, latentia.
Maſſa. In Chao: in acervo illo indigeſto.
Efferveſcere. Micare, prorumpere.
Aſtra. Sequitur veterum opinionem, qui ſtellas anima preditas putavere.
Solum. Id omne quod alicui ſubſternitur, cui innititur, & inheret, appellatur ſolum. Itaque celeſte ſolum eſt pars cœli convexa.
Formæ Deorum. Ipſi Dii. Forma ſæpe rei naturam, eſſentiamque ſignificat.
Ceſſerunt. In hac mundi partitione obtigerunt.
Cepit. Portandas, alendaſque accepit.
Sive hunc &c. Duplicem affert hominis originem; alteram veram, cum illum ab omnium rerum opifice Deo creatum ait: alteram fabuloſam, cum effictum a Prometheo narrat.
Divino ſemine. Hinc eſt quod Horatius humanam mentem vocat *Divinæ particulam auræ*: quaſi portionem e Divino ſpiritu deciſam.
Mundi melioris origo. Qui meliorem in formam mutavit Chaos incompoſitum.
Seducta. Separata.

Co-

Æthere, cognati retinebat ſemina cœli:
Quam ſatus Iapeto miſtam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum:
Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram;
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.
Sic modo quæ fuerat rudis, & ſine imagine, tellus
Induit ignotas hominum converſa figuras.

Cognati. Cum quo ſimul fuerat nata, & condita: cui fuerat mixta in chao.

Semina. Dotes; particulas puriores.

Satus Japeto. Prometheus, Japeti filius. Is quamdam e luto ſtatuam finxiſſe dicitur: eamque animaſſe, admoto igne, quem e ſolis curru ſubduxerat.

Prona. Ore in terram verſo.

In effigiem. In modum & ſimilitudinem.

Sic modo, &c. Sic tellus in hominum corpora eſt mutata per Prometheum.

Sine imagine. Sine figura humana. Imago proprie dicitur de hominis forma imitando.

Ignotas. Quas antea non habebat: quibus antea materiam non ſubminiſtraverat. Dixerit aliquis, non fuiſſe ignotas in terra hominum figuras, antequam ex illa homines Prometheus effingeret: ſiquidem Japetus & Prometheus jam exiſtebant. Fabulam cum veritate conciliabis, ſi dicas primos homines a Deo creatos: ab iis cæteros propagatos.

V.

Mundi ætates. Prima aurea, ſecunda argentea.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege, fidem, rectumque colebat;
Pœna, metuſque aberant; nec verba minantia fixo
Ære ligabantur, nec ſupplex turba timebat

Sata eſt. Orta, inchoata.

Vindice nullo. Nemine pœnarum metu virtutem ſuadente: delicta vindicante.

Sine lege. Nullis adhuc legibus conſtitutis.

Rectum. Æquitatem, virtutem.

Verba minantia. Edicta verbis minacibus concepta,

Fixo, &c. Edicta, legeſque, a Romanis in æs incidebantur, & in publico loco, v. gr. in foro, in valvis curiæ, aut templorum, figebantur, & alligabantur. Scribunt aliqui, *legebantur*.

Supplex turba. Videlicet reorum.

Judicis ora ſui: ſed erant, ſine judice, tuti.
Nondum cæſa ſuis, peregrinum ut viſceret orbem,
Montibus, in liquidas pinus deſcenderat undas:
Nullaque mortales, præter ſua, littora norant.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ:
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non enſis erat: ſine militis uſu
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes.
Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus;
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fetus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et, quæ deciderant patula Jovis arbore, glandes.
Ver erat æternum; placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephiri natos ſine ſemine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renovatus ager gravidis canebat ariſtis.

Tuti. Erant ſine judicis metu, quia crimine vacabant.

Pinus. Navis facta e pinu: ex arboribus.

Nulla. Non peregrina, & aliena. *Sua*. Vicina: ſuæ regionis.

Præcipites. In altitudinem depreſſæ.

Tuba directi æris. Tubæ rectæ ferme ſunt: cornua, inflexa; ære in gyrum torto, cujuſmodi ſunt cornua bubula, a quorum ſimilitudine nomen invenerunt.

Immunis. Otioſa, non laborioſis muneribus diſtricta: nullum coacta quaſi tributum pendere.

Per ſe. Sua ſponte.

Nullo cogente. Arante, & colente terram.

Arbuteos fetus. Fructus ex arbutis lectos. Eſt arbutus, arbuſcula cydoniæ malo non diſſimilis: ejus fructus, arbutum, pruni magnitudinem implet, nullo intus nucleo: maturum flavet, aut rubeſcit.

Corna. Decerptos e cornis fructus. Cornus arbor eſt e ceraſorum genere: baccas rubras & oblongas effert; nucleo duriſſimo.

Rubetis. Dumis.

Jovis arbore. Quercu. Hæc Jovi ſacra.

Fruges. Frumenta.

Renovatus. Aratris inverſus.

Canebat. Caneſcebat. Albicabat: flaveſcebat, recens natæ ſegetes viridem; maturæ album, ac ſubinde flavum colorem præferunt.

Jam

Flumina jam lactis: jam flumina nectaris ibant:
Flavaque de virili ſtillabant ilice mella.
Poſtquam, Saturno tenebroſa in Tartara miſſo,
Sub Jove mundus erat; ſubiitque argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretioſior ære:
Jupiter antiqui contraxit tempora veris;
Perque hyemes, æſtuſque, & inæquales autumnos,
Et breve ver, ſpatiis exegit quattuor annum.

Jam .. Jam. Hic, illic. Modo, modo.

Nectaris. Nectar, potio Deorum, ut poetæ fingunt.

Ilice. Apes in cavis quercubus ſæpe favos conſtruunt. Ilex, e quercuum genere eſt.

Poſtquam, &c. Cum pulſo in Tartarum Saturno, Jupiter imperium mundi capeſſivit, ac proles, ideſt, progenies, ſive ætas, argentea ſucceſſit aureæ: tunc Jupiter vernum tempus curtavit, &c.

Saturno. Saturnus, Deorum, ut poetæ tradunt, antiquiſſimus, Cœli ac *Veſtæ* filius, fratrem habuit Titanem ſive Titanum, majorem natu, cui proinde mundi regnum debebatur. Sed cum Titan videret Veſtam Saturno magis favere, illi orbis imperium, ſtudio pacis, conceſſit, ea conditione, ut Saturnus nullam prolem maſculam educaret, atque imperium mundi ad ſuos liberos, poſt obitum Saturni, rediret. Saturnus filios bona fide interemit, ſive, ut poetis placet, devoravit. Ops, eadem ac Cybele, Saturni conjux, occultavit natum Jovem, & clam in inſula Creta Corybantibus alendum tradidit. Ea re cognita, Titan Saturnum conjecit in vincula, vocatis in belli ſocietatem filiis ſuis Titanibus. Eos debellavit Jupiter, ac patrem vinculis exemit. At Saturnus, cum eſſe in fatis accepiſſet fore, ut a filio ſpoliaretur orbis imperio Jovi ſtruere cœpit inſidias. Jupiter antevertit, ac Saturnum relegavit in Tartara; ſive, ut aliis placet, fugere in Italiam compulit, ubi apud Janum regem latuit: incolaſque moribus, & artibus formavit. Sic auream ætatem invexiſſe fertur. Poſteriorem opinionem, quæ in Italiam pulſum tradit Saturnum, ſequitur Virg. Lib. VII. Priorem, quæ Saturnum in Tartara conjectum docet, amplectitur Ovidius. Lege Appendicem, cap. I.

Tartara. Tartarus (neutro genere inflectitur in numero multitudinis) locus eſt inferorum infimus.

Antiqui. Quo perpetuo & conſtanti ætas aurea olim fruebatur.

Contraxit. Imminuit, ſpatiis anguſtioribus circumſcripſit.

Inæquales autumnos. Modo frigore, modo calore abundantes, & corporibus idcirco infeſtos.

Spatiis &c. Annum quatuor tempeſtatibus definivit, incluſit.

Can-

Tum primum ſiccis aer fervoribus uſtus
Canduit, & ventis glacies adſtricta pependit:
Tum primum ſubiere domos; domus antra fuerunt,
Et denſi frutices, & junctæ cortice virgæ.
Semina tum primum longis Cerealia ſulcis
Obruta ſunt; preſſique jugo gemuere juvenci.

Canduit. Exarſit, æſtuavit. *Ventis*. Frigido ventorum flatu. *Subiere domos*. Homines ſoliti pernoctare ſub dio, quia nulla erat aeris inclementia, coacti ſunt domos ingredi. *Frutices*. Arbuſculæ, virgulta. *Virgæ*. Rami tenues, & lenti, qui cortices arborum nectebant: hi domorum parietes, hæc tabulata, tunc erant. *Cerealia*. Triticea. Ceres inventrix frumenti. *Obruta*. Mandata, infoſſa. *Preſſi jugo*, &c. Boves ſub aratro ſudavere.

VI.

Ætas ærea, & ferrea. Gigantes cœlo, ac Superis bellum inferunt.

Tertia poſt illam ſucceſſit ahenea proles,
Sævior ingeniis, & ad horrida promptior arma,
Non ſcelerata tamen: de duro eſt ultima ferro.
Protinus irrupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas: fugere pudor, verumque, fideſque:
In quorum ſubiere locum, fraudeſque, dolique,
Inſidiæque, & vis, & amor ſceleratus habendi.
Vela dabat ventis, nec adhuc bene noverat illos,
Navita: quæque diu ſteterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis inſultavere carinæ.
Communemque prius; ceu lumina ſolis, & auræ,

Poſt illam. Poſt argenteam. *Ahenea proles*. Ætas ærea. *Protinus*, &c. Subito confluxit in ætatem ferream omnium ſcelerum colluvies. *In ævum venæ pejoris*. In ætatem deterioris metalli, hoc eſt, ferri. Metallorum ſunt venæ quædam, & ſulci, in terra. *Inſultavere*. Quaſi periculi & naufragii ſecuræ. Inſultare, eſt, ſaltando premere, irridere. *Communem*, &c. Terram tam communem omnibus, quam lucem, & aerem.

Limi-

Cautus humum longo ſignavit limite menſor.
Nec tantum ſegetes, alimentaque debita, dives
Poſcebatur humus; ſed itum eſt in viſcera terræ,
Quaſque recondiderat, Stygiiſque admoverat umbris
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum,
Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto: non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer a genero: fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir conjugis, illa, mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos;
Victa jacet pietas; & virgo cæde madentes
Ultima cœleſtum terras Aſtræa reliquit.
Neve foret terris ſecurior arduus æther,
Affectaſſe ferunt regnum cœleſte Gigantes.

Limite. Terminis ad agros dividendos poſitis: foſſa inter agros ducta.

Stygiis. Styx, palus inferorum.

Admoverat umbris. In cavernas Tartaro ipſi vicinas abdiderat.

Irritamenta malorum. Opes, quibus mortales ad omnia ſcelera incitantur.

Prodierat. Effoſſum e terræ viſceribus fuerat.

Utroque. Ferro & auro: ſine quibus bellum jacet. Senec. VII. de Benef. cap. 1. *Ferrum ex iiſdem tenebris prolatum, quibus argentum, & aurum, ne aut inſtrumentum in cædes mutuas deeſſet, aut pretium.*

Gratia. Concordia.

Imminet exitio. Molitur illi necem.

Aconita. Venena. Aconitum eſt herba venenata in cautibus naſcens: ab Ἀκόνη, cautes. Lurida, ſeu nigra, vocat venena, quia corpora veneno interfectorum, apparent livida.

Ante diem. Filius conſulit hariolos, an diu victurus ſit parens: neque diem ejus mortis a Deo præſtitutum expectat, avidus hæreditatis potiundæ.

Inquirit. Ut, ſi diutius victurum eſſe reſciat, mortem illi acceleret.

Jacet. Contemnitur.

Virgo Aſtræa. Dea, juſtitiæ præſes, Jovis & Themidis filia.

Ultima cœleſtum. Poſt ceteros Deos, terris digreſſos.

Affectaſſe. De cœlo invadendo, Superiſque detrudendis, cogitaſſe. Affectare, eſt ambire ſollicite, ac fere præter jus, & æquum.

Gigantes. Vide ſuperius notam de Saturno.

Olym.

Altaque congeſtos ſtruxiſſe ad ſidera montes.
Tum pater omnipotens miſſo perfregit Olympum
Fulmine, & excuſſit ſubjectum Pelion Oſſæ.
Obruta mole ſua cum corpora dira jacerent,
Perfuſam multo natorum ſanguine terram
Immaduiſſe ferunt, calidumque animaſſe cruorem:
Et, ne nulla ſuæ ſtirpis monumenta manerent,
In faciem vertiſſe hominum; ſed & illa propago
Contemptrix Superum, ſævæque avidiſſima cædis,
Et violenta fuit: ſcires e ſanguine natam.

Olympum. Mons altiſſimus eſt in Macedonia, quem a Gigantibus impoſitum tradunt Theſſaliæ montibus Pelio, & Oſſæ.

Pelion. Terminatio eſt Græca, in accuſandi caſu.

Obruta mole ſua. Gigantes ſua magnitudine & pondere, cum caderent, obtriti, vel *mole ſua*, ideſt, montium quos congeſſerant, & quos Jupiter fulmine dejecerat, onere oppreſſi.

Natorum. Gigantes, ut ipſa vox Græca ſonat, terræ filii fuere, Γηγενεῖς, a γῆ *terra*, & γάω *naſcor*. Vide quæ dicta ſunt de Saturno: ſupra num.5.

Et ne nulla... Ut ſuorum filiorum memoria ſupereſſet, ne Gigantum progenies omnino ac nomen deleretur: animavit Terra illorum ſanguinem, ex eoque alios Gigantes procreavit: qui & ipſi crudeles, impii, cæde gaudentes, & ſanguine, extiterunt: adeo ut intelligi poſſet, eos e ſanguine prognatos fuiſſe.

Propago. Stirps hominum, progenies.

VII.

Jupiter convocat Superos. Via lactea.

Quæ pater ut ſumma vidit Saturnius arce,
Ingemit: & facto nondum vulgata recenti
Fœda Lycaoniæ referens convivia menſæ,
Ingentes animo, & dignas Jove, concipit iras:

Quæ. Tot ſcelera, tum a Gigantibus, tum ab aliis admitti paſſim tunc ſolita.

Pater Saturnius. Jupiter, Saturni filius.

Summa arce. Cœli vertice.

Facto &c. Secum revolvens, accingens ſe ad narrandas Superis, crudeles & impias Lycaonis epulas, quæ nondum erant divulgatæ, & cæteris Diis cognitæ, quia factum erat recentiſſimum, &c.

Ingentes &c. Stimulat ſe ad ſumendas de mortalibus

Conciliumque vocat: tenuit mora nulla vocatos:
Eſt via ſublimis, cœlo manifeſta ſereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo:
Hac iter eſt Superis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum: dextra, lævaque, Deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis:
Plebs habitat diverſa locis: a fronte potentes
Cœlicolæ, clarique, ſuos poſuere penates.
Hic locus eſt, quem, ſi verbis audacia detur;
Haud timeam magni dixiſſe palatia cœli.

pœnas, irato, & ultore Jove, dignas.

Concilium. Deorum cætum. Vide Virg. Lib. X.

Tenuit. Retardavit.

Eocatos. Superos.

Sublimis. In cœlo.

Cœlo ſereno manifeſta. Quæ facile conſpicitur, quando æther eſt ſerenus, & cœlum ſudum.

Lactea. Pars quædam cęli viſitur, inſtar faſciæ oblonga, cæteris candidior, minuſque cærulea. Candorem hunc, a quo lacteæ nomen habet, certum eſt oriri ab exiguarum ſtellarum ingenti numero, quæ in hoc cęli tractu reperiuntur. Poetæ candidum hujuſmodi colorem natum volunt e Junonis lacte, quo partem hanc cęli aſperſit, cum lactentis Herculis labris immulſit ubera. Vide Append. c. 15.

Dextra &c. Ab utraque parte viæ lacteæ viſuntur ædes nobiliorum, & principum Deorum: quarum fores ſemper patent.

Atria. Domus: palatia. Proprie, atrium eſt pars ædium prima; aditus, veſtibulum, area, circa quam porticus, aut patentes aulæ.

Valvis. Valvæ vocantur majoris januæ partes duæ, quæ quaſi volvuntur hinc inde, & in ſe coeunt.

Celebrantur. Frequentantur.

Plebs. Turba minorum Deorum. Ignobiliores Dii variis cœli locis promiſcue habitant.

A fronte. Dii potentiſſimi & nobiliſſimi, habitant in aditu, in principio viæ lacteæ. Duodecim majores Deos numerabant: Jovem, Neptunum, Apollinem, Mercurium, Vulcanum, Martem, Veſtam, Junonem, Minervam, Venerem, Dianam, & Cererem.

Penates. Proprie ſic vocabantur Dii domeſtici, cujuſque domus, & familiæ, peculiares, a vocabulo, *penitus*, quia in intima ædium parte colebantur. Pro tota domo vox ea fere ſumitur.

Hic locus eſt. Auguſti domus nominabatur Palatium, quia in Palatio, ſive monte Palatino, habitabat. Ait igitur Vates, ſe libenter (ſi terrena liceat cœleſtibus componere) iſtas Superum domos comparaturum cum Auguſti domo, Jovis regiam, cum-

Ergo, ubi marmoreo Superi ſedere receſſu:
Celſior ipſe loco, ſceptroque innixus eburno,
Terrificam capitis concuſſit terque, quaterque,
Cæſariem, cum qua terram, mare, ſidera movit.
Talibus inde modis ora indignantia ſolvit:

eumdem obtinere inter cæteras cœli ædes locum, quem obtinet inter alias Romæ domos vel ſplendidiſſimas, palatium Auguſti. Illi obiter adulatur.

Receſſu. Aula interiore; marmore conſtrata.

Ipſe. Jupiter.

Loco. In ſolio ſublimis.

Sceptro innixus. Regum veterum ſceptra, erant haſtilia auro, vel ære ornata: nonnulla ſpeciem pedorum paſtoralium præferebant, & a ſumma parte leviter erant curva, & repanda.

Solvit. Aperuit.

VIII.

Jupiter de hominum improbitate coram Superis expoſtulat.

Non ego pro mundi regno magis anxius illa
Tempeſtate fui, qua centum quiſque parabat
Injicere anguipedum captivo brachia cœlo.
Nam quanquam ferus hoſtis erat, tamen illud ab uno
Corpore, & ex una pendebat origine bellum:
Nunc mihi, quà totum Nereus circumſonat orbem,

Non ego, &c. Non fui magis ſollicitus de gubernando mundo, & imperio meo tutando, cum Gigantes cœlum attentarunt, quam nunc ſum, cum tot video ſceleratos mihi bellum inferre, meas leges violare.

Qua centum. Qua tempeſtate, quo tempore, unuſquiſque anguipedum (ſic vocat Gigantes, quibus draconum pedes poetæ dant) tentabat injicere centum manus cęlo, illudq; invadere, ac Superis captis vincula imponere. Centum brachia poetæ ſingulis Gigantibus, imo quidam, plura, largiuntur.

Ab uno corpore. Ab una gente, ab uno Gigantum populo, in unum quaſi corpus, & conſilium conveniente, mihi bellum inferebatur.

Origine. Progenie, gente: vel crimine ab uno, videlicet ambitione ac ſuperbia Gigantum.

Nunc mihi &c. At nunc homines univerſi ſuis ſceleribus mihi bellum indicunt; atq; adeo ſunt perdendi. Sic ratum eſt: Juro per Stygem.

Qua totum &c. Quacumque terra mali alluitur. Per totum orbem.

Nereus. Deus maris. Oceani & Thetidis filius. Pro mari accipitur.

Circumſonat. Circumſtre-

Perdendum eſt mortale genus: per flumina juro
Infera, ſub terras Stygio labentia luco.
Cuncta prius tentanda: ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.
Sunt mihi Semidei, ſunt ruſtica numina Fauni,
Et Nymphæ, Satyrique, & monticolæ Silvani:
Quos quoniam cœli nondum dignamur honore,
Quas dedimus, certe terras habitare ſinamus.

ſtrepit fluctibus: cingit.

Flumina infera: Stygem, Cocytum, Acherontem.

Juro. Per Stygem, & fluvios inferorum, jurabant Superi, Lege Virg. l. VI. verſu 324. Vide hic Lib. II. n. 1.

Luco Stygio. Per nemus ſacrum, Stygi vicinum.

Cuncta prius, &c. Sane omnia prius experiri convenit, quam ad extrema remedia deſcendatur: nihil omittendum reor, ut homines ad bonam frugem revocentur; ut ſanentur: ſed ſi nulla tot flagitiis, tam peſtilenti plagæ fieri medicina poteſt, hoc reſtat unum, ut lucus putridum ferro abſcindatur, ut improbi omnes deleantur, & quaſi membra vitioſa recenſentur, ne probi, tamquam pars corporis adhuc integra, & incorrupta, trahantur in exitium, exempli contage. Membra ſana corrumpuntur a putridis: nihil æque perniciofum probis, atque improborum conſuetudo.

Semidei. Semidei, erant minores quidem & exiles Dii, ut Pan, Silvanus, &c. Heroes, etiam Semidei, ſeu Divi, appellabantur: quorum e parentibus alter vulgo Deus, alter homo erat.

Nymphæ. Aliæ ſunt maris præſides; quæ Ner[illegible]es: aliæ fontium; quæ Najades; aliæ nemorum; quæ Dryades, Hamadryades & Napææ: aliæ montium, quæ Oreades, vocabantur.

Satyri. Dii Silvarum credebantur, itidem ut Fauni, & Silvani. Pingebantur capite cornuto, naſo ſimu, caprinis pedibus, villoſo corpore. S. Hieronymus in vita S. Pauli narrat, a S. Antonio eumdem Paulum, eremi ſanctum incolam, inviſente, conſpectum fuiſſe Satyrum, qui ſe hominis rationis compotem, & veri Numinis cultorem diceret. Idem refert S. Athanaſius in vita S. Antonii. Plutarchus Satyrum vivum Lucio Syllæ, Dyrrachio tranſeunti, oblatum teſtatur, cujus rauca vox, & abſona, hinnitum equi, aut capri vocem imitabatur.

Dignamur cœli honore. Nondum cenſemus dignos, qui cęlum incolant. Heroes, ac Semidei, non admittebantur in cęlum, niſi morte obita, & multis rebus bene fortiterque geſtis. Satyri & Fauni, cœlo indigni cenſebantur.

Quas dedimus &c. Obiici poterat Jovi, vacuas fore ter-

ter-

An ſatis, o Superi, tutos fore creditis illos?
Cum mihi, qui fulmen, qui vos habeoque regoque,
Struxerit inſidias notus feritate Lycaon?
Confremuere omnes, ſtudiiſque ardentibus auſum
Talia depoſcunt. Sic, cum manus impia ſævit
Sanguine Cæſareo Romanum extinguere nomen;
Attonitum tanto ſubitæ terrore ruinæ
Humanum genus eſt: totuſque perhorruit orbis.
Nec tibi grata minus pietas, Auguſte, tuorum,
Quam fuit illa Jovi: qui poſtquam voce, manuq;
Murmura compreſſit, tenuere ſilentia cuncti.

terras, deletis hominibus. Reſpondet illas a Semideis habitandas: ſed eorum ſecuritati conſulendum, ſublatis improbis.

Habeo. Tamquam rem meam poſſideo; quibus impero.

Lycaon. Rex Arcadiæ: in Græcia.

Auſum. talia. Auſum ſtruere Jovi inſidias.

Depoſcunt. Ad necem. Ut plectatur petunt.

Manus impia. Conjuratorum multitudo. Amplius ſexaginta de occidendo C. Julio Cæſare conſpiraverant, Caſſio & Bruto præcipuis ducibus conjurationis. Ab iis in Senatu tribus, & viginti plagis interfectus eſt Cæſar.

Sævit. Dictum pro, Sæviit: hoc eſt crudeliter conſpiravit.

Sanguine &c. Occiſo Cæſare imperium Romanum evertere: quaſi, Cæſare ſublato: ſtare non poſſet.

Tuorum. Civium Romanorum, & procerum, qui percuſſores Cæſaris, acriter inſectati ſunt. Adoptatus a Julio Cæſare fuerat Auguſtus: atque adeo ſe ultorem ejus necis palam profeſſus eſt, & collecto ſuorum exercitu, bellum Bruto Caſſioq; indixit. Lege l. XV. n.17.13. Item Oden 2. libri I. Horatii. Hunc locum ſunt qui explicent de conjuratione in ipſum Auguſtum haud ſemel inita, ut refert in ejus vita Svetonius. Non minorem igitur cepiſti voluptatem e tuorum pietate, & cura capitis tui ſervandi, quam Jupiter e ſuorum ſtudiis, Lycaonem ulciſci, & perdere cupientium.

I X.

Lycaon mutatus in lupum. Jupiter diluvio perdere orbem ſtatuit.

Subſtitit ut clamor preſſus gravitate regentis

Subſtitit, &c. Poſtquam ſtrepitus reſedit, Jovis auctoritate, ac majeſtate compreſſus.

Ille

Jupiter hoc iterùm ſermone ſilentia rupit.
Ille quidem pœnas (curam hanc dimittite) ſolvit;
Quod tamen admiſſum, quæ ſit vindicta, docebo.
Contigerat noſtras infamia temporis aures:
Quam cupiens falſam, ſummo delabor olympo,
Et Deus humana luſtro ſub imagine terras.
Longa mora eſt, quantum noxæ ſit ubique repertum
Enumerare: minor fuit ipſa infamia vero.
Mænala tranſieram latebris horrenda ferarum,
Et cum Cylleno gelidi pineta Lycei:
Arcados hinc ſedes, & inhoſpita tecta tyranni
Ingredior: traherent cùm ſera crepuſcula noctem.
Signa dedi veniſſe Deum, vulguſque precari
Cœperat; irridet primò pia vota Lycaon;
Mox ait, experiar, Deus hic, diſcrimine aperto,

Ille quidem. Lycaon.
Quod tamen &c. Dicam, narrabo, quid ſceleris ille admiſerit: & qua ratione illud vindicaverim.
Admiſſum. Crimen à Lycaone commiſſum.
Infamia temporis. Fama ſcelerum, quibus, ætas ferrea indulgebat.
Olympo. Olympus, mons altiſſimus eſt, in Græcia, ita ut cœlum videatur attingere, ac pro cœlo ipſo à poetis accipiatur.
Et Deus . . . Et humana forma divinitatem meam occultans.
Luſtro. Percurro: exploro.
Longa mora eſt. Longum ſit enumerare, &c.
Noxæ. Sceleris.
Minor &c. Plura comperi ſcelera, quàm audieram, rei veritas famam ſuperavit.
Mænala. Mænalus, mons & urbs Arcadiæ, in Græcia. Neutro effertur genere in numero multitudinis.
Cylleno. Mons in Arcadia, Mercurii natalibus inclytus.
Pineta. Nemora pinis conſita.
Lycei. Lyceus, mons Arcadiæ, Pani ſacer.
Arcados tyranni. Lycaonis, Arcadiæ regis.
Inhoſpita. Hoſpitibus infeſta & inimica, crudelia.
Traherent. Adducerent, Nocte adventante.
Crepuſcula. Crepuſculum dicitur illud tempus dubiæ inter diem noctemque lucis, paulò ante ortum ſolis, aut paulò poſt ejus occaſum. Creperus, antiqua vox latina, dubium & incertum ſignificat.
Veniſſe Deum. Me adeſſe, me Jovem eſſe, indicavi.
Precari. Me precibus colere.
Experiar. Explorabo, reſciam.
Diſcrimine aperto. Manifeſta experientia: certo indicio.
Deus hic. Utrum iſte ſit

An ſit mortalis, nec erit dubitabile verum.
Nocte gravem ſomno nec opina perdere morte
Me parat: hæc illi placet experientia veri.
Nec contentus eo, miſſi de gente Moloſſa
Obſidis unius jugulum mucrone reſolvit:
Atque ita ſemineces partim ferventibus artus
Mollit aquis, partim ſubjecto torruit igni.
Quos ſimul impoſuit menſis, ego vindice flamma
In dominum, dignoſque everti tecta Penates.
Territus ipſe fugit, nactuſque ſilentia ruris
Exululat, fruſtraque loqui conatur: ab ipſo
Colligit os rabiem: ſolitæque cupidine cædis
Utitur in pecudes, & nunc quoque ſanguine gaudet.
In villos abeunt veſtes, in crura lacerti,
Fit lupus: & veteris ſervat veſtigia formæ:
Canities eadem eſt, eadem violentia vultus,
Iidem oculi lucent, eadem feritatis imago eſt.
Occidit una domus: ſed non domus una perire
Digna fuit: qua terra patet, fera regnat Erinnys.

verè Deus, an merus homo, & mortalis.

Nec erit, &c. Ita ut nullius ſit locus de veritate dubitandi.

Nec opina. Improviſa. Nocturnas igitur Lycaonis inſidias detexit Jupiter, & cluſit.

Moloſſa. Moloſſi ſunt populi Epiri. Epirus pars Græciæ, Occidentem ſpectans, & Italiam.

Obſidis. Obſes vocatur, qui capitur inſtar pignoris, ad firmandam pacem, ad fœdus faciendum, &c.

Reſolvit: Aperit. Obſidem jugulat.

Semineces. Adhuc palpitantes, ac pene viventes.

Artus. Membra illius obſidis.

Impoſuit menſis. Mihi epulandos dedit: exploraturus, an iſta dignoſcerem fercula.

Everti, &c. Everti & proturbavi tecta in dominum: dejeci Lycaonis domum, in ipſum Lycaonem, & in ejus Penates, dignos qui cum eo plecterentur, & obruerentur: dignos tali domino. Hinc Muretus legit: *In domino dignos everti, &c.* *Penates* erant Dii domeſtici, Suprà, nu. 7.

Ab ipſo colligit os rabiem. Ab ipſo Lycaone, ab ejus mente furioſa, rabies in os, gulamque eſt derivata.

Veſtigia. Notas, indicia, priſtinæ, quam præferebat, cùm eſſet adhuc homo, figuræ.

Una domus. Lycaonis.

Erinnys. Furia tumultu, & cædibus, gaudens. Ab *E'ρις lis, contentio.* De Furiis plu-

In facinus juraſſe putes: dent ocyus omnes,
Quas meruere pati (ſic ſtat ſententia) pœnas.
Dicta Jovis pars voce probant, ſtimuloſq; frementi
Adjiciunt: alii partes aſſenſibus implent.
Eſt tamen humani generis jactura dolori
Omnibus: & quæ ſit terræ mortalibus orbæ
Forma futura rogant, quis ſit laturus in aras
Thura, feriſne paret populandas tradere terras.
Talia quærentes (ſibi enim fore cætera curæ)
Rex Superum trepidare vetat: ſobolemque priori
Diſſimilem populo promittit origine mira.
Jamque erat in totas ſparſurus fulmina terras.
Sed timuit, ne fortè ſacer tot ab ignibus æther
Conciperet flammas, totuſque ardeſceret axis.
Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli,
Ardeat; & mundi moles operoſa laboret.
Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.

plura lege apud Natal. lib. 3. cap. 10.

In facinus juraſſe. Videntur omnes ubique homines ſe impio adſtrinxiſſe ſacramento, & conjuraſſe, ut omnia ſcelera admitterent.

Partes aſſenſibus implent. Nutu aſſentiuntur: ſuas obeunt partes, capite, vel manu, ſignificando; ut alii, voce. *Orbæ*. Privatæ hominibus. *Populandas* Diripiendas.

Sibi enim. Pollicetur ſibi fore curæ modum & formam pœnæ imponendæ: quod verò ſpectabat ad terræ incolas futuros, promittit ſanctiores.

Sobolem, &c. Homines pios, iſtis longè diſſimiles.

Origine mira. Mirabili modo naſcituros: nempe oriundos è lapidibus in homines converſis.

Sacer axis. Cælum. Propriè axis ea linea dicitur, quæ ab uno ſphæræ polo ad alterum ducitur per ipſum centrum.

Eſſe quoque, &c. Id noſſe poterat Ovidius è verſibus Sibyllinis, quos refert Lactantius: vel è ſacris Bibliis: neque enim ignotas illis temporibus fuiſſe ſacras litteras multa docent.

Affore. Aliquando venturum.

Operoſa. Opere multo & labore condita. Vel, Trepidans, & fatiſcens.

Laboret. Diſſolvatur: deſtruatur.

Reponuntur. Abjicit Jupiter fulmina.

Cyclopum. Cyclopes, miniſtri Vulcani, oculo uno, quem in media gerebant fronte; præditi,

Pœna placet diverſa; genus mortale ſub undis
Perdere, & ex omni nimbos demittere cœlo.

κύκλος, *circulus* : *ὤψ*, *facies*, *viſus*.

Pœna diverſa. Diluviu: incendio contrarium.

X.

Diluvii deſcriptio.

Protinus Æoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quæcumque fugant inductas flamina nubes:
Emittitque Notum, madidis Notus evolat alis,
Terribilem picea tectus caligine vultum.
Barba gravis nimbis: canis fluit unda capillis:
Fronte ſedent nebulæ: rorant penneque, ſinuſque.
Utque manu latè pendentia nubila preſſit,
Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi.
Nuntia Junonis, varios induta colores,
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.
Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis
Vota jacent, longique perit labor irritus anni,
Nec cœlo contenta ſuo eſt Jovis ira: ſed illum

Protinus. Statim atque ſtetit Jovi hæc ſententia, de perdendo aquis orbe.

Æoliis. Æolus ventorum rex eſſe à poetis fingitur. Lege Virgil. I. Æneid.

Aquilonem. Spirat à Septentrione, ac nubes fugat; imbreſque.

Emittit. Ex Æolio carcere.

Notum. Flat à Meridie: imbres, & procellas vehit.

Canis. Caneſcentibus, Senilibus.

Rorant. Imbre multo fluunt.

Pennæ. Alis Ventos inſtruunt poetæ.

Utque manu, &c. Poſtquam Notus compreſſit utraque manu gravidas nubes, undique in aere ſuſpenſas, ut ex his imbrem, tamquam è ſpongiis, emitteret.

Iris. Eſt arcus cœleſtis, qui pingitur in roſcidis nubibus, occidenti, vel orienti ſoli oppoſitis. Illum inſidere Dea quædam dicitur à poetis, quam Irim appellant, & Junonis præcipuè nuntiam faciunt.

Concipit aquas. Colligit: exprimit è terra, & mari, iiſque nubes implet. Iris niſi pluvio, aut rorante cœlo, non apparet.

Deplorata. Deſperata: profligata.

Vota. Frumenta multis votis expetita. Spes meſſis.

Cœlo ſuo. Non ſatis eſt irato.

Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis.
Convocat hic amnes: qui poſtquam tecta tyranni
Intravere ſui, non eſt hortamine longo
Nunc, ait, utendum: vires effundite veſtras:
Sic opus eſt: aperite domos, ac mole remota,
Fluminibus veſtris totas immittite habenas.
Juſſerat: hi redeunt: ac fontibus ora relaxant,
Et defrenato volvuntur in æquora curſu.
Ipſe tridente ſuo terram percuſſit: at illa
Intremuit, motuque vias patefecit aquarum.
Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos:
Cùmque ſatis arbuſta ſimul, pecudeſque, viroſque
Tectaque, cumque ſuis rapiunt penetralia ſacris
Si qua domus manſit, potuitque reſiſtere tanto:
Indejecta malo; culmen tamen altior hujus
Unda tegit: preſſæque latent ſub gurgite turres.
Jamque mare, & tellus, nullum diſcrimen habebant:
Omnia pontus erat; deerant quoque littora ponto.
Occupat hic collem: cymbâ ſedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat:
Ille ſuper ſegetes, aut merſæ culmina villæ,
Navigat: hic ſumma piſcem deprendit in ulmo.
Figitur in viridi, ſi fors tulit, anchora prato:
Aut ſubjecta terunt curvæ vineta carinæ:

irato Jovi demittere imbres è cœlo, cui præeſt.

Cæruleus frater. Neptunus.

Tyranni ſui. Sui regis: Neptuni.

Auxiliaribus undis. Quaſi auxilium Jovi ferentibus, ad perdendos mortales.

Mole. Aggeribus, repagulis, ripis.

Habenas. Metaphora ducitur ab equis: ii laxatis habenis effundunt ſe in curſum.

Redeunt. Ex ædibus Neptuni, à quo fuerant convocati, ſuas domos repetunt.

Ora relaxant. Demunt obturamenta, quibus ora fontium claudebantur, arctabantur.

Vias aquarum. Aperuit occultos meatus, per quos aquæ in terræ cavernis, & receptaculis incluſæ, proruperunt.

Exſpatiata. Evagantia, effuſa ſine lege, ac fræno.

Satis. Frugibus.

Arbuſta. Loca arboribus conſita.

Penetralia. Deorum domeſticorum, quos Penates vocabant, ſacraria.

Sacris. Sacra ſupellectile; Deorum ſimulacris.

Indejecta malo. Non everſa undis.

Vineta. Agros vitib. cõſitos.

Et modò qua graciles gramen carpſere capellæ;
Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora phocæ.,
Mirantur ſub aqua lucos, urbeſque, domoſque.
Nereides: ſilvaſque tenent delphines, & altis
Incurſant ramis, agitataque robora pulſant.
Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones,
Unda vehit tigres; nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato proſunt velocia cervo.
Quæſitiſque diù terris, ubi ſiſtere poſſit,
In mare laſſatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immenſa licentia ponti,
Pulſabantque novi montana cacumina fluctus.
Maxima pars unda rapitur: quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.

Phocæ. Vituli marini. *Robora*. Quercus. *Vires fulminis*, Robur immane, quo dejicit omnia, inſtar fulminis. *Ablato*. Undis abrepto. *Siſtere*. Conquieſcere. *Tumulos*. Colles, montes minus editos. *Licentia ponti*. Mare, liberè in omnem partē effuſum. *Novi*. Non anteà in montibus conſpecti. *Pars*. Hominum. *Inopi victu*. Fame, inopia cibi.

X L.

Deucalion & Pyrrha è diluvio ſervati. Amborum pia querela. Orbis ſibi redditus.

Separat Aonios Actæis Phocis ab agris,
Terra ferax, dum terra fuit: ſed tempore in illo
Pars maris, & latus ſubitarum campus aquarum.
Mons ibi verticibus petit arduus aſtra duobus,

Separat &c. Ordo verborum eſt: Phocis (regio Græciæ) ſeparat Aonios agros ab Actæis, Aonia eſt Bœotiæ pars: Actæa, ſive Attica eſt Athenienſis tractus, ſic dictus, quia fermè totus jacet ad littus maris. Actæus enim, Græcè ἀκταῖος, idem eſt ac littoreus. Non Phocis Atticam à Bœotia ſeparat, ſed Bœotia Phocidem ab Attica: Itaque eſt Hypallage. Niſi malis Phocidis partem aliquam eſſe propiorem Atticæ quàm Aoniam. *Ibi*. In Phocide. *Verticibus duobus*. Vide Lib. II. nu. 5.

Hic

Nomine Parnaſſus, ſuperatque cacumine nubes.
Hìc ubi Deucalion (nam cætera texerat æquor)
Cum conſorte tori parva rate vectus adhæſit,
Corycidas Nymphas, & numina montis adorat,
Fatidicamque Themin, quæ tunc oracla tenebat.
Non illo melior quiſquam, nec amantior æqui
Vir fuit; aut illa reverentior ulla Deorum.
Jupiter ut liquidis ſtagnare paludibus orbem,
Et ſupereſſe virum de tot modo millibus unum,
Et ſupereſſe videt de tot modo millibus unam,
Innocuos ambos, cultores numinis ambos:
Nubila disjecit, nimbiſque Aquilone remotis,
Et cœlo terras oſtendit, & æthera terris.
Nec maris ira manet, poſitoque tricuſpide telo,
Mulcet aquas rector pelagi: ſupraque profundum
Extantem, atque humeros innato murice tectum
Cæruleum Tritona vocat: conchàque ſonanti
Inſpirare jubet, fluctuſque, & flumina ſigno

Hic ubi &c. Poſtquam in Parnaſſo conſtitit Deucalion cum Pyrrha uxore. Ille Promethei filius, hæc Epimethei proles: ambo ab undis, & fame defenſi, Superum beneficio.

Cætera. Omnia loca, præter Parnaſſum.

Corycidas. Corycium, Parnaſſi ſpelunca, nymphis ſacra.

Numina montis. Apollinem, Bacchum, Muſas. Illis omnibus ſacer Parnaſſus erat.

Themin. Dea erat juſtitiæ præſes. Vox ipſa Græca, Θέμις, fas, & æquum, ſignificat.

Quæ tunc, &c. Quæ, illa tempeſtate, reddebat oracula; quæ fata mortalibus, reſque futuras aperiebat.

Stagnare. Aquis reſidibus eſſe coopertum, inſtar vaſtæ paludis.

Aquilone. Aquilonis opera.

Nec maris ira manet. Nec iratus Neptunus perrexit obruere terram ſuperfuſo mari.

Tricuſpide telo. Tridente, quo velut armatus ſæviebat, abjecto.

Mulcet. Sternit, ſedat.

Supraque &c. Vocat Tritonem eminentem ſupra aquas, cujus humeri nativis muricibus, hoc eſt, conchis, erant tecti. Vel, nativo colore purpureo: è muricis enim piſciculi ſucco, vel ſanguine, fit purpura.

Tritona. Tritones, erant maris monſtra, ſuperiori parte homines; cum equinis pedibus anterioribus, inferiori piſces: illis tubicinibus Neptunus utitur.

Concha inſpirare. Spirare in concham, illam inflare concha vocem edere.

Jam revocare dato. Cava buccina ſumitur illi,
Tortilis in latum quæ turbine creſcit ab imo:
Buccina, quæ in medio concepit ubi aera ponto,
Littora voce replet ſub utroque jacentia Phæbo.
Tum quoque, ut ora Dei madida rorantia barba
Contigit, & cecinit juſſos inflata receptus:
Omnibus audita eſt telluris, & æquoris undis,
Et quibus eſt undis audita, coercuit omnes.
Jam mare littus habet, plenos capit alveus amnes,
Fulmina ſubſidunt, colles exire videntur,
Surgit humus, creſcunt loca decreſcentibus undis:
Poſtque diem longam nudata cacumina ſilvæ
Oſtendunt, linumque tenent in fronde relictum.
Redditus orbis erat: quem poſtquam vidit inanem,
Et deſolatas agere alta ſilentia terras,
Deucalion lacrymis ita Pyrrham affatur obortis:
O ſoror, o conjux, o fœmina ſola ſuperſtes,
Quam commune mihi genus, & patruelis origo,
Deinde torus junxit; nunc ipſa pericula jungunt:
Terrarum, quaſcumque vident occaſus, & ortus,

Revocare. In ſuum locum, & alveum.

Tortilis, &c. Quæ ab anguſta parte infima, & ore, dilatatur, & creſcit in amplitudinem, inſtar ſtriati, & contorti turbinis.

Ubi concepit aera. Poſtquam concha ſpiritum, & flatum à Tritone immiſſum accepit. Quandocumque à Tritone inflatur hæc buccina.

Replet. Conſuevit replere.

Utroque Phæbo. Oriente & Occidente Sole.

Tum quoque. Eadem tunc ori Tritonis hiſpido admota.

Cecinit receptus. Signum receptui dedit.

Juſſos. Ut Neptunus juſſerat.

Coercuit. Repreſſit: intra alveos, & littora, reduxit.

Subſidunt. Decreſcunt: minus alta ſunt.

Exire. Eminere: caput attollere.

Diem longam. Longum tempus. Dies, genere fœminino, tempus non definitum ſignificat.

Nudata. Spoliata foliis.

Redditus. Qui videbatur perditus ſub undis, & nullus eſſe.

Deſolatas. In ſolitudinem redactas; hominibus & animantibus orbatas.

Patruelis origo. Quia ſumus geniti è duobus fratribus, Prometheo & Epimetheo, Japeti filiis. De utroque conſule Appendicem cap. III. & XXIX.

Nos

Nos duo turba ſumus: poſſedit cetera pontus.
Hæc quoque adhuc vitæ non eſt fiducia noſtræ
Certa ſatis: terrent etiam nunc nubila mentem.
Quis tibi, ſi ſine me fatis erepta fuiſſes,
Nunc animus, miſeranda, foret? quo ſola timorem
Ferre modo poſſes? quo conſolante dolores?
Namq; ego (crede mihi) ſi te quoque pontus haberet,
Te ſequerer conjux; & me quoque pontus haberet.
O utinam poſſem populos reparare paternis
Artibus, atque animas formatæ infundere terræ!
Nunc genus in nobis reſtat mortale duobus,
Sic viſum eſt Superis; hominumq; exempla manemus.

Nos turba ſumus. Duo tantùm, ex ingenti hominum turba, reſtamus.

Poſſedit. Hauſit.

Hæc quoque &c. Ne nunc quidem ſatis tuta ſalus noſtra eſt.

Fatis erepta. Exempta periculo, ab undis erepta. Si mihi ſuperſtes manſiſſes.

Sine me. Me extincto.

Quo ſola. Quomodo poſſes dolori ſola reſiſtere?

Paternis artibus. Hominum corpora è luto ficta animando. Vide quæ ſupra dicta ſunt de Prometheo, Deucalionis patre.

Formatæ. Argillæ, in figuram hominis conformatæ.

Hominum exempla. Ad quorum ſimilitudinem ceteri fingantur. A quibus oriri debent omnes alii. Propriè dicendum erat, exemplaria: exemplar enim eſt id, ad cujus ſimilitudinem aliud effingitur: exemplum, id quod nobis proponitur ut ſequamur, aut fugiamus.

XII.

Homines è lapidibus procreati.

Dixerat; & flebant: placuit cœleſte precari
Numen, & auxilium per ſacras quærere ſortes.
Nulla mora eſt: adeunt pariter Cephiſidas undas,
Et nondum liquidas, ſed jam vada nota ſecantes.

Sortes. Oracula. Nam ductis ſortibus plerumque edebantur. Sortes porrò, erant teſſellæ quædam, ſeu tabellæ certis notis ſignatæ, quæ ex urna educebantur caſu. Aliud genus oraculorum edebatur voce; aliud alia ratione.

Cephiſidas undas. Pergunt ad fluvium Cephiſum. Is fluit è radice Parnaſſi.

Vada nota. Ripas conſuetas. Suo ſe alveo continentes. Propriè vadum dicitur fluvii locus, in quo eſt aqua hu-

Inde ubi libatos irroravere liquores
Veſtibus, & capiti, flectunt veſtigia ſanctæ
Ad delubra Deæ; quorum faſtigia turpi
Pallebant muſco, ſtabantque ſine ignibus aræ.
Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque pavens dedit oſcula ſaxo.
Atque ita: Si precibus, dixerunt, numina juſtis
Victa remolleſcunt; ſi flectitur ira Deorum:
Dic, Themi, qua generis damnum reparabile noſtri
Arte ſit; & merſis fer opem, mitiſſima, rebus.
Mota Dea eſt; ſortemque dedit: Diſcedite templo
Et velate caput, cinctaſque reſolvite veſtes,
Oſſaque poſt tergum magnæ jactate parentis.
Obſtupuere diù: rumpitque ſilentia voce
Pyrrha prior, juſſiſque Deæ parere recuſat:
Detque ſibi veniam pavido rogat ore, pavetque
Lædere jactatis maternas oſſibus umbras.
Intereà repetunt cæcis obſcura latebris
Verba datæ ſortis ſecum, inter ſeque volutant.
Inde Promethides placidis Epimethida dictis
Mulcet: &, aut fallax, ait, eſt ſolertia nobis;
Aut pia ſunt, nullumque nefas oracula ſuadent.

humilior, ita ut impunè ac facilè tranſmitti poſſit. Proto o fluvio, vel mari, ſæpe accipitur.

Inde ubi, &c. Poſtquam Cephiſi aquas, ore leviter hauſtas, inſperſere veſtibus, & capitibus.

Deæ. Themidis.

Atque ita. Ordo verborum eſt; Atque ita dixerunt: Si precibus ...

Remolleſcunt. Mitigantur, placantur.

Merſis. Perditis. *Sortem*. Oraculum: reſponſum.

Reſolvite. Diſcingite.

Recuſat. Impium enim habebatur mortuorum ſepulchra violare. Vide quæ poſteà dicentur de mortuo-rum umbris. Lib. xiv. n. 3.

Maternas umbras. Matris manes, matris animam. Anima inſtar umbræ, & fumi, concipitur.

Pavet lædere. Timet ne peccet contra pietatem matri mortuæ debitam, jactando, & diſſipando ejus oſſa.

Repetunt. Revolvunt.

Latebris. Ambagibus.

Secum. Tacita cogitatione.

Inter ſe. Alternis ſermonibus.

Promethides. Deucalion, Promethei filius.

Epimethida. Pyrrham, Epimethei filiam.

Mulcet. Conſolatur, & confirmat.

Aut fallax, &c. Aut falsò inter-

Magna parens terra eſt: lapides in corpore terræ
Oſſa reor dici: jacere hos poſt terga jubemur.
Conjugis augurio quamquam Titania mota eſt,
Spes tamen in dubio eſt: adeò cæleſtibus ambo
Diffidunt monitis; ſed quid tentare nocebat?
Diſcedunt, velantque caput, tunicaſq; recingunt:
Et juſſos lapides ſua poſt veſtigia mittunt.
Saxa (quis hoc credat, niſi ſit pro teſte vetuſtas?)
Ponere duritiem cœpere, ſuumque rigorem,
Mollirique mora, mollitaque ducere formam.
Mox, ubi creverunt, naturaque mitior illis
Contigit; ut quædam, ſic non manifeſta, videri
Forma poteſt hominis: ſed uti de marmore cœpta
Non exacta ſatis, rudibuſque ſimillima ſignis.
Quæ tamen ex illis aliquo pars humida ſucco,
Et terrena fuit; verſa eſt in corporis uſum:
Quod ſolidum eſt, flectiq; nequit, mutator in oſſa:

interpretamur oraculum.

Augurio. Divinatione: interpretatione oraculi, acuta, & pia.

Titania. Pyrrha, neptis Japeti, unius è Titanibus.

Diffidunt. Non ſatis credunt. Nondum aſſentiuntur.

Diſcedunt. E templo Themidis in campum.

Velant caput. Pars erat religionis velare caput in ſacris, ne quid objiceretur oculis, quod avocare mentem, ac turbare poſſet.

Tunicas recingunt. Zonas veſtium ſolvunt. Pertinebat ad ritum ſacrorum, maximè ſi vellent aliquo ſoluti eſſe metu, ac periculo liberari, ut veſtem diſcingerent.

Niſi ſit &c. Niſi hoc veterum affirment monumenta. Eſt autem magna vetuſtæ fidei auctoritas, quia veriſimile non eſt tot homines, tamdiù fuiſſe verſatos in errore.

Mora. Senſim, paulatim: temporis aliquo ſpatio interjecto.

Ducere formam. Novam formam accipere.

Natura mitior contigit. Ubi ſaxa cœperunt molleſcere, induere humanos artus, qui ſunt alterius, & mitioris naturæ.

Ut quædam, &c. Etſi quædam in ſaxis apparet hominis figura, tamen nondum eſt perfecta, & perſpicua: ſed adhuc rudis & indigeſta, qualis videtur in ſtatuis marmoreis, inchoatis, & imperfectis.

Quæ tamen. E partibus ſaxorum, humidiores, & glebæ ac ceſpiti ſimiliores, in carnem mutatæ ſunt: ſolidiores, in oſſa, &c.

Corporis uſum. Partes corporis tractabiles.

Quæ modò vena fuit, ſub eodem nomine manſit:
Inque brevi ſpatio, Superorum numine, ſaxa
Miſſa viri manibus faciem traxere virorum;
Et de fœmineo reparata eſt fœmina jactu.
Inde genus durum ſumus, experienſque laborum,
Et documenta damus, qua ſimus origine nati.

Vena. Sunt in ſaxis venæ quædam, ſive ſulci: id quod maximè perſpicitur in marmore, ubi vena ſæpe nigra lapidem candidiſſimum pererrat. Venæ ſaxorum, inquit, in corporum venas converſæ, idem nomen retinuerunt.

Superorum numine. Nutu, voluntate.

Miſſa &c. A Prometheo jactata.

De jactu fœmineo. De ſaxis à fœmina conjectis.

Documenta damus. Oſtendimus.

XIII.

Apollo Pythonem ſerpentem enecat: ludos Pythios inſtituit.

Cetera diverſis tellus animalia formis
Sponte ſua peperit: poſtquam vetus humor ab igne
Percaluit ſolis, cœnumque, udæque paludes,
Intumuere æſtu, fœcundaque ſemina rerum
Vivaci neutrita ſolo, ceu matris in alvo
Creverunt; faciemque aliquam cepere morando.
Sic, ubi deſeruit madidos ſeptemfluus agros
Nilus, & antiquo ſua flumina reddidit alveo,

Cetera, &c. Homines quidem è ſaxis fuere procreati: aliæ verò animantes ex humo prodiere: poſtquam limus è ſtagnantibus aquis relictus incaluit à ſole, cœpitque fermenteſcere.

Intumuere. Inſtar fermenti. Hic tumor ferè corruptionem notat.

Vivaci. Vitali, apto ad vitam & animam ingenerandam. Vulgò, vivax idem eſt, ac longævus. Animalium ſemina ſunt in ipſa terra, inquit Vates: ea ſemina calore ſolis excitata, & animata, non aliter, atque in matris utero, crevere. Sic ranæ per æſtatem ex humido pulvere generantur, &c.

Faciem. Figuram.

Morando. Paulatim: temporis progreſſu.

Septemfluus. Qui per ſeptem oſtia in mare defluit.

Nilus. Ægypti fluvius, qui eam certis anni menſibus totam inundat, ac feraci limo fœcundat. Virg. IV. Georg.

Si-

Æthereoque recens exarſit ſidere limus:
Plurima cultores verſis animalia glebis
Inveniunt; & in his quædam modò cepta per ipſum
Naſcendi ſpatium; quædam imperfecta, ſuiſque
Trunca vident humeris: & eodem corpore ſæpe
Altera pars vivit; rudis eſt pars altera tellus.
Quippe, ubi temperiem ſumpſere humorque calorq;
Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cùmq; ſit ignis aquæ pugnax: vapor humidus omnes
Res creat: & diſcors concordia fœtibus apta eſt.
Ergo, ubi diluvio tellus lutulenta recenti
Solibus æthereis, altoque recanduit æſtu,
Edidit innumeras ſpecies, partimque figuras
Rettulit antiquas, partim nova monſtra creavit.
Illa quidem nollet, ſed te quoque maxime Python,
Tum genuit: populiſque novis, incognite ſerpens,
Terror eras; tantum ſpatii de monte tenebas.
Hunc Deus arcitenens, & numquam talibus armis

Sidere. Sole.

Cultores. Agricolæ.

Verſis. Ara:ro motis.

Et in his, &c. Inter hæc animalia è recenti formata limo, quædam reperiunt inchoata, & informia, eo ipſo tempore ſcilicet, quo incipiunt naſci: quædam imperfecta, & certis carentia partibus.

Trunca numeris. Nondum ſuis omnibus numeris, & partibus abſoluta. Lib. VII. num. 3.

Temperiem ſumpſere. Certo modo temperati ſunt.

Concipiunt. Producunt, gignuntque omnia.

Cùmque ſit &c. Licèt ignis & aqua inter ſe pugnent: tamen ignis humori, & aquæ admixtus omnia procreat: ac duæ res contrariæ, inter ſe conſpirantes amica temperie, idoneæ ſunt pariendis animantibus.

Vapor. Ea vox in hoc loco ſignificat exhalationem calidam.

Alto. Gravi, vehementi.

Recanduit. Exarſit: acriùs incaluit.

Edidit. Varia peperit animantium genera: partim ante diluvium viſa, & uſitata partim nova, necdum cognita. *Illa*. Tellus.

Nollet. Genuiſſe Pythonem anguem ſcilicet peſtiferum.

Novis. Recens è terra creatis.

Tantum &c. Propter vaſtā corporis tui molē, quæ totum ferè montem occupabat.

Deus arcitenens. Apollo, qui arcu, & ſagittis Pythonem interfecit. Python, ab illo putri cœno, unde natus eſt, nomen invenit: nam πύθω Græcis eſt putrefacio.

Armis. Sagittis.

Gra-

Ante, niſi in damis, capreiſque fugacibus uſus,
Mille gravem telis, exhauſta pęnè pharetra
Perdidit, effuſo per vulnera nigra veneno.
Neve operis famam poſſe delere vetuſtas:
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.
Hic juvenum quicumq; manu, pedibuſve, rotâve,
Vicerat, eſculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat: longoque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.

Gravem. Onuſtum, vulneratum, coopertum.
Perdidit. Peremit.
Pythia. Eſt generis neutrius, in multitudinis numero, & in accuſandi caſu. Subaudi, feſta, vel certamina. Hæc Pythia, ſive Ludi Pythii celebrabantur nono quoque anno ineunte, propè urbem Delphos, circa menſem Aprilem.
Hic. In Pythiis, quiſquis adoleſcens viciſſet alios, &c.
Manu. Pugilatu. Armabant pugnos cæſtibus, id eſt, loris quibuſdam, & ſe invicem tundebant. Virgilium conſule V. Æneid.
Pedibus. Curſu, velocitate pedum.
Rota. Curru. Equos ad metam velocius agitando. Lege primam oden Horatii.
Eſculeæ. Quernæ. Eſculus, ſpecies quercus eſt: ita dicta quòd illius glandes primis hominib. eſcam præbuerint.
Honorem. Coronam, è quercu conflatam.
Tempora &c. Caput, prolixis crinibus decenter, ac venuſtè ornatum. Poriò quatuor apud Græcos publica, & ſolemnia erant ludorum genera: Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea. Olympia, in honorem Jovis Olympii agitabantur, ad urbem Olympiam. Pythia, in honorem Apollinis, & memoria cæſi Pythonis. Iſthmia, in honorem Neptuni; Nemea in honorem Herculis, à quo cæſus leo in ſylva Nemea. Vide Pindarum, à Schmidio egregiè illuſtratum. Item Scaligerum Libr. I. Poet. cap. 23. 24. 25.

X I V.

Phœbus à Cupidine vulneratur.

Primus amor Phœbi Daphne Peneia: quem non
Sors ignara dedit: ſed ſæva Cupidinis ira.

Peneia. Filia Penei. Peneus Theſſaliæ fluvius, hodie *Salampria*, valles amœniſſimas perfluebat, quas vocabant Tempe.
Sors, ignara. Caſus for-

Delius hunc, nuper victo ſerpente ſuperbus.
Viderat adducto flectentem cornua nervo:
Quidque tibi, laſcive puer, cum fortibus armis?
Dixerat; iſta decent humeros geſtamina noſtros:
Qui dare certa feræ, dare vulnera poſſumus hoſti:
Qui modo peſtifero tot jugera ventre prementem
Stravimus innumeris tumidum Pythona ſagittis.
Tu face neſcio quos eſto contentus amores
Irritare tua: nec laudes aſſere noſtras.
Filius huic Veneris, Figat tuus omnia, Phœbe,
Te meus arcus, ait: quantoque animalia cedunt
Cuncta Deo, tanto minor eſt tua gloria noſtra.
Dixit: & eliſo percuſſis aere pennis
Impiger umbroſa Parnaſſi conſtitit arce:
Deque ſagittifera promſit duo tela pharetra
Diverſorum operum: fugat hoc, facit illud, amorem:
Quod facit, auratum eſt, & cuſpide fulget acuta:
Quod fugat, obtuſum eſt; & habet ſub arundine
plumbum.

fortuitus.

Delius. Apollo, id nominis habebat ab inſula maris Ægæi, Delo, in qua natus. Vide Appendicem.

Serpente. Pythone.

Adducto &c. Arcum ita contendebat Cupido, ut adduceret, ſive ad ſe attraheret, funem; arcum verò flecteret, id eſt, curvaret, ejus partibus extremis duabus, (quæ Vates cornua vocat) ad ſe mutuò accedentibus, & coeuntibus.

Quidque tibi, dixerat. Et dixerat Cupidini: Quid tibi negotii eſt cum iſtis armis?

Armis. Arcu & ſagittis. Quorſum hæc geſtas arma? non te decent, ſed me.

Qui dare, &c. Qui poſſum feram, hoſtemve, certo, & non fallente jaculo vulnerare.

Jugera. Jugerum, tantùm terræ ſpatium eſſe dicitur, quantum uno die arare par boum poteſt.

Stravimus. Proſtravimus, interfecimus.

Irritare. Accendere, provocare. Datur fax Cupidini.

Aſſere. Tibi arroga. Tribus maximè artibus Apollo gloriabatur, jugulandi arte, augurandi, & medendi.

Figat &c. Eſtò ſanè, tuus arcus feras, homines, omnia vulneret: at meus te vulnerabit.

Eliſo. Preſſo, impulſo.

Percuſſis. Motis, agitatis.

Umbroſæ arce. Nemoroſo culmine.

Operum. Effectuum. Quæ diſſimilem, & appoſitam vim habent.

Sub arundine. In extrema arundine, in cuſpide. Habet cuſpi-

Hoc Deus in Nympha Peneide fixit : at illo
Læſit Apollineas trajecta per oſſa medullas.
Protinus alter amat: fugit altera nomen amantis,
Sylvarum latebris, captivarumque ferarum
Exuviis gaudens, innuptæque æmula Phœbes.
Vitta coercebat poſitos ſine lege capillos.
Multi illam petiere: illa averſata petentes,
Impatiens, experſque viri, nemora avia luſtrat.
Nec quid Hymen, quid amor, quid ſint connubia curat.
Sæpe pater dixit, generum mihi filia debes:
Sæpe pater dixit, debes mihi nata nepotes.
Illa velut crimen tædas exoſa jugales,
Pulchra verecundo ſuffundens ora rubore,
Inque patris blandis hærens cervice lacertis,
Da mihi perpetua, genitor chariſſime, dixit,
Virginitate frui; dedit hoc pater ante Dianæ.
Ille quidem obſequitur: ſed te decor iſte, quod optas
Eſſe vetat: votoque tuo tua forma repugnat.
Phœbus amat, viſæque cupit connubia Daphnes:
Quodque cupit, ſperat, ſuaque illum oracula fallunt.
Utque leves ſtipulæ demptis adolentur ariſtis:
Ut facibus ſepes ardent; quas fortè viator
Vel nimis admovit, vel jam ſub luce reliquit:

cuſpidem plumbeam & hebetem; alterum verò telum, auream & acutam.

Hoc. Telum obtuſum & plumbeum.

Peneide. Daphne, Penei filia.

Illo. Aurato & acuto.

Trajecta. Transfixa.

Latebris. Tria præſidia caſtitatis indicantur; ſolitudo, otii fuga, neglectus ornamentorum, & elegantiæ.

Exuviis. Pellibus ferarum venando captarum.

Æmula. Imitatrix.

Phœbes. Dianæ.

Expers viri. Innupta.

Tædas. Faces conjugales. Sponſæ in ædes ſponſi ducebantur præeuntibus facibus.

Pater. Jupiter Dianæ conceſſit, ut innupta permaneret.

Ille quidem. Peneus, pater tuus, o Daphne, annuit tibi, ut innupta ſis; ſed tua forma non patitur te eſse talem, qualem cupis.

Sua oracula. Non rectè divinat. Sperat quod eventu rum non eſt.

Stipulæ. Culmi aridi, & inanes.

Demptis. In horreum abditis.

Adolentur. Uruntur.

Nimis admovit. Nimis propè ſepes poſuit.

Sub luce. Die illuceſcente.

Sic Deus in flammas abiit : Fugit ocyor aura
Illa levi : neque ad hæc revocantis verba reſiſtit :
Nympha, precor, Peneja, mane : non inſequor hoſtis:
Non ego ſum paſtor; non hìc armenta, gregeſve
Horridus obſervo : neſcis, temeraria, neſcis
Quem fugias, ideòque fugis : mihi Delphica tellus,
Et Claros, & Tenedos, Pataræaque regia, ſervit.
Jupiter eſt genitor : per me quod eritque, fuitque
Eſtque patet : per me concordant carmina nervis.
Certa quidem noſtra eſt, noſtra tamen una ſagitta
Certior, in vacuo quæ vulnera pectore fecit.
Inventum medicina meum eſt, opiferque per orbem
Dicor; & herbarum ſubjecta potentia nobis.
Hei mihi, quòd nullis amor eſt medicabilis herbis:
Nec proſunt domino, quæ proſunt omnibus, artes.

re. *Solent* viatores facibus, ne aberrent, per noctem uti; eas, orto die, projiciunt propè aliquam ſepem, quæ facibus non penitus extinctis ignem aliquando concipit.

Reſiſtit. Curſum ſiſtit.

Armenta. Propriè de majorum pecudum multitudine dicuntur, ut boum, equorum, &c. greges, de minorum; ut ovium, caprarum, &c.

Horridus. Incultus, impexus.

Delphica tellus. Delphi, urbs Phocidis, propè Parnaſſum: ubi templum celebre Apollinis.

Claros. Clarus, oppidum Joniæ, in Aſia minori, ſacrum Apollini : Patara, urbs Lyciæ. *Paterà*. Tenedus verò eſt inſula & urbs è regione Phrygiæ : *Tenedo*.

Patet. Innoteſcit : Futura prædico : aperio prætcrita : præſentia declaro.

Concordant carmina nervis. Jungo vocem fidibus. Lyræ, & muſicæ, inventor ſum.

Certa &c. Noſtræ quidem ſagittæ ſunt certæ, id eſt, à ſigno numquam aberrant : feriunt, quodcumque petunt : ſed illis tamen magis certa & gravis eſt una, &c.

Una. Nempè Cupidinis, à quo læſus ſum.

Opifer. Opem ægris ferens.

Subjecta nobis. Juris noſtri ac poteſtatis eſt. Earum vim & novimus, & adhibere, cùm libet, poſſumus.

Daphne

X V.

Daphne in laurum mutata.

Plura locuturum rapido Peneia curſu
Fugit: cumque ipſo verba imperfecta reliquit.
Ipſe amor admiſſo ſequitur veſtigia paſſu:
Ut canis in vacuo leporem cùm Gallicus arvo
Vidit: & hic prædam pedibus petit, ille ſalutem;
Alter inhæſuro ſimilis, jam jamque tenere
Sperat, & extento ſtringit veſtigia roſtro:
Alter in ambiguo eſt, an ſit comprenſus; & ipſis
Morſibus eripitur, tangentiaque ora relinquit.
Sic Deus, & virgo eſt: hic ſpe celer, illa timore.
Viribus abſumptis expalluit illa: citæque
Victa labore fugæ, ſpectans Peneidas undas,
Fer pater, inquit, opem: ſi flumina numen habetis.
Qua nimium placui, tellus, ait hiſce, vel iſtam,
Quæ facit ut lædar, mutando perde figuram.
Vix prece finita, torpor gravis occupat artus:
Mollia cinguntur tenui præcordia libro:
In frondem crines, in ramos brachia creſcunt:
Pes modò tam velox pigris radicibus hæret.
Cui Deus, at quoniam conjux mea non potes eſſe;
Arbor eris certè dixit mea: ſemper habebunt

Admiſſo. Incitato.
Cumque ipſo &c. Phœbum, ejuſque orationem nondum abſolutam, deſeruit.
Gallicus. Venatici canes optimi petebantur è Gallia.
Ille. Lepus. *Alter*. Canis.
Stringit veſtigia. Leporis pedes premit, radit.
Abſumptis. Defatigatis, & exhauſtis fuga.
Pater. Peneu.
Si habetis. Siquidem habetis: affirmantis potiùs, quàm dubitantis, eſt.
Numen. Divinam vim & poteſtatem.
Qua &c. O tellus, aut dehiſce (ut me ſcilicet hauſias) vel iſtam formam, qua nimium placui, & quæ mihi eſt damno, quæ me in periculum conjicit, mutando perde. Abrupta, & implexa oratio eſt, de induſtria, ut vehementem affectum ſignificet. Qu d., ſi primum ver-culum ita explices? O tellus, ò patria, in qua nimium placui, aut hiſce; aut me in aliam formam muta.
Libro. Cortice.

Coma.

Te coma, te citharæ, te noſtræ, laure, pharetræ.
Tu ducibus lætis aderis : cum læta triumphum
Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.
Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis, mediamque tuebere quercum.
Utque meum intonſis caput eſt juvenile capillis;

Coma. Te ſemper innectam meo capiti.

Citharæ. Laureati ſpectabantur in ſcena citharædi, in honorem Phœbi ſcilicet, à quo inventa muſica.

Latiis. Latinis: Romanis.

Aderis. Servies illorum triumphis: pars eris pompæ: eos coronabis. Lanceæ militum & pila, in triumpho involvebantur lauro; item litteræ victoriarum nunciæ. Laurus ſemper viret: odorem ſpargit gratiſſimum, numquam fulmine peti dicitur. Ob eas cauſas dicata fuit victoribus.

Cùm vox &c. Cùm populus applaudet triumphantibus læta voce. Uſurpabant iſtas voces *Io triumphe*, *Io triumphe*. Horat. libro IV. Od. I.

Viſent. Spectabunt. Triumphantes ibant in Capitolium, vota ſua Jovi reddituri; ejus in templum gentium victarum exuviæ inſigni pompa, per viam Sacram portabantur. Capitolium, arx olim Romæ fuit. Plura de illo vide in Martiale à nobis illuſtrato.

Auguſtis poſtibus. In Auguſti palatio. In Cæſarum domibus.

Ante fores ſtabis. Pendebis ante januam. Duplicis generis coronæ in valvis imperatoriæ domus viſebantur: è lauro aliæ, tamquam victoribus datæ, poſt hoſtes domitos: aliæ, è quercu, poſitæ tamquam civium ſervatoribus. Nam corona civica, tribui ſolita civem ſervanti, erat quercea.

Mediamque &c. Inquit Dio, ſolitam ante Cæſaris fores ſuſpendi coronam è quercu, ſub corona laurea. Extant etiam nummi veteres Auguſti, in quibus civica corona cernitur, quam duo laurei rami circumplectuntur, cum hac epigraphe, *Ob cives ſervatos*. Cujuſmodi ſymbolum apparet in Auguſti foribus, in æs aut marmor fuiſſe inciſum. Nonnulli putant arbores ipſas lauros, in ejus veſtibulo fuiſſe ſatas, quarum in medio eſſet plantata quercus, quam lauri veluti protegerent: hoc enim innuunt iſta Ovidii verba: *Ante fores ſtabis*... Laurus porrò tueri quercum dicitur, eique adjungitur, quia ſervari cives, niſi hoſtibus victis, nequeunt.

Cuſtos. Laurus incolumitatis ac tutelæ ſymbolum eſt, quia non feritur, ut ajunt fulmine. Ob eam cauſam Tiberius, cùm tonaret, lauream coronam imponebat capiti.

Pæan.

Tu quoque perpetuos ſemper gere frondis honores.
Finierat Pæan: factis modò laurea ramis
Annuit; utque caput, viſa eſt agitaſſe cacumen.

Pæan. Phœbus. Sic dictus à verbo Græco Παίειν, quod ſignificat *ferire*. Sol radiis, tamquam telis, ferit. Apollini Pythonem ferienti acclamaſse mater fertur ἵεπαῖ, παῖς, *jace tela, fili, percute*: Hinc factum volunt, ut hac vocula, *Io*, plauderetur victoribus: Apollo vocaretur Pæan: & hymni ob rem bene geſtam ſcripti, atque epinicia, vocarentur Pæanes. Alii vocem *Pæan* formatam volunt à vocibus Græcis παύειν τὰς ἀνίας, *dolores ſedare*: quod Apollinis medici munus eſt.

Modò factis. Recentibus, modò natis.

Laurea. Laurus, Propriè laurea, eſt lauri folium, ſeù corona è lauro. Cur autem laurus Apollini dicata fuerit, ea cauſa proditur, quòd hæc arbor ſole, apriciſque locis gaudeat, ſitque natura calidior: quòd ſemper vireat: quòd ejus folia pulvinari ſubjecta, gignere ſomnia vera, & futuri prænuncia putarentur. Hinc lauro coronabantur vates: quorum Apollo præſes.

Ut caput. Inſtar capitis. Ut ſi capite prædita eſset. Cacumine, non ſecùs atque capite, annuit.

X V I.

Io mutatur in vaccam.

Eſt nemus Æmoniæ, prærupta quod undique claudit
Silva: vocant Tempe, per quæ Peneus, ab imo
Effuſus Pindo, ſpumoſis volvitur undis:
Dejectuque gravi tenues agitantia fumos
Nubila conducit, ſummiſque aſpergine ſilvis

Æmoniæ. Theſsaliæ: ſic dictæ ab Æmone Theſsali patre.

Silva. Nemus opacitate arborum, & amænitate, commendatur: ſilva, proceritate, & copia.

Tempe. Eſt ea vox numeri pluralis, & generis neutrius: nemoroſas, & amænas Theſsaliæ valles ſignificat.

Peneus. Fluvius ejuſdem Theſsaliæ. Supra, n. 14.

Ab imo, &c. Fluens è Pindi radice. Pindus, mons Theſsaliæ, Muſis ſacer.

Dejectu gravi. Vehementi lapſu: magna undarum præcipitantium mole.

Conducit. Secum veluti ducit, ac portat, nebulas, ſive fumoſos vapores, ex aquis, ut fit, emergentes.

In-

Influit, & ſonitu pluſquàm vicina fatigat.
Hæc domus, hæc ſedes, hæc ſunt penetralia magni
Amnis: in his reſidens, facto de cautibus antro.
Conveniunt illuc popularia flumina primùm,
Neſcia gratentur, conſulenturque parentem:
Populifer Sperchius, & irrequietus Enipeus,
Apidanuſque ſenex, leniſque Amphryſus, & Æas:
Moxque amnes alii, qui, quà tulit impetus illos,
In mare deducunt feſſas erroribus undas.
Inachus unus abeſt, imoque reconditus antro
Fletibus auget aquas, natamque miſerrimus Io
Luget, ut amiſſam: neſcit vitane fruatur,
An ſit apud Manes: ſed quam non invenit uſquam,
Eſſe putat nuſquam, atque animo pejora veretur.
Viderat à patrio redeuntem Jupiter illam
Flumine: &, O, virgo, nemorum pete, dixerat,
umbras;

Diffluit. Aſpergit ſilvas humidis nebulis, quaſi per ſummas arbores ipſe flueret: legitur etiam, *impluit*: arborum cacumina rore tenui, velut imbre, perluit.

Et ſonitu &c. Et loca etiã remota ſtrepitu concutit.

Penetralia. Ædes intimæ: ſacra domus.

Amnis. Penei.

Popularia. Gentilia, domeſtica, vicina.

Gratentur. Quòd Daphne ipſius filia in arborem Phębo conſecratam ſit mutata: quòd Phębum eluſerit.

Conſolentur. Quòd filiam amiſerit.

Populifer. Cuius in ripis multæ populi naſcuntur.

Sperchius, &c. Omnes illi fluvii Theſſaliam alluunt, Sperchium hodie vocant l' *Agriomela*. Æas Epirum irrigat, vel Macedoniam, ſut alii ſcribunt, nunc *Polina* dictus.

Apidanus. Theſſaliæ amnis, nunc *Epideno*, Legunt aliqui *Eridanus*, ſed qui ſit diverſus ab Eridano, ſeù Pado, Italiæ fluvio. Hunc tamen Eridanum Græciæ, ponunt in Attica geographi, non in Theſſalia.

Inachus. Achajæ flumen, nunc *Planizza*.

Manes. Inferos: ubi degunt animæ mortuorum, quas manes, ſive Deos manes, honoris cauſa, vocitabant, ab antiquo vocabulo *manus*, quod bonum ſignificat. Appellabant eaſdem larvas, cum vivis erant infeſtæ.

Pejora veretur. Timet ne ab aliquo rapta, & dedecore affecta fuerit.

Patrio flumine. Inacho. Idem hoc nomen, & fluvium, & præſidem fluvii, Deum.

Dum calet, & medio ſol eſt altiſſimus orbe.
Ne fuge me, fugiebat enim. Jam paſcua Lernæ,
Conſitaque arboribus Lyrcæa reliquerat arva:
Cùm Deus inducta latas caligine terras
Occuluit: Medios Juno deſpexit in agros;
Et noctis faciem nebulas feciſſe volucres
Sub nitido mirata die, nec fluminis illas
Eſſe, nec humenti ſenſit tellure remitti:
Atque ſuus conjux ubi ſit circumſpicit: ut quæ
Deprenſi toties bene noſſe furta mariti.
Quem poſtquam cœlo non reperit: Aut ego fallor,
Aut ego lædor; ait: delapſaque ab æthere ſummo
Conſtitit in terris, nebulaſque recedere juſſit.
Conjugis adventum præſenſerat; inque nitentem
Inachidos vultus mutaverat ille juvencam.
Bos quoque formoſa eſt: ſpeciem Saturnia vaccæ
Quamquam invita, probat; necnon & cujus, & unde,
Quove ſit armento, veri quaſi neſcia, quærit.
Jupiter è terra genitam mentitur, ut auctor
Deſinat inquiri: petit hanc Saturnia munus.

Deum, ſignificat, Ius patrem.

Lernæ. Lerna, palus Græcia: Ibi ſtabulabat hydra, quam Hercules interfecit.

Lyrcea. Agros ita dictos à Lirceo monte Arcadiæ, ex quo fluit Inachus.

Reliquerat. Io fugiens.

Noctis faciem nebulas feciſſe. Tenebras nocti ſimiles à nebulis repentè inductas eſſe.

Fluminis eſſe. Non eſſe ortos è fluvio vapores. Vide notam primam paginæ 40.

Remitti. Non eſſe fumos & vapores illos, ex humida terra eductos, calore ſolis.

Ut quæ &c. Quippe quæ probè intelligebat, &c.

Furta. Adulteria.

Lædor. Ab adultero conjuge.

Inachidos. Ius, filiæ Inachi.

Speciem. Formam.

Cujus. Domini.

Unde. Quo ex loco illuc adducta.

Auctor. Dominus, creator. Tellus eam produxit: plura ne quære; inquit Jupiter.

Saturnia. Juno petit à Jove, ut hanc ſibi vaccam muneri det, annuit Jupiter.

Io

X V I I.

Io traditur Argo cuſtodienda. Agnoſcitur ab Inacho.

Pellice donata non protinus exuit omnem.
Diva metum, timuitque Jovem, & fuit anxia furti,
Donec Areſtoridæ ſervandam tradidit Argo.
Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:
Inde ſuis vicibus capiebant bina quietem;
Cætera ſervabant, atque in ſtatione manebant.
Conſtiterat quocumque loco, ſpectabat ad Io:
Ante oculos Io, quamvis averſus, habebat.
Luce ſinit paſci: cùm ſol tellure ſub alta eſt;
Claudit, & indigno circumdat vincula collo.
Frondibus arboreis, & amara paſcitur herba;
Proque toro, terræ, non ſemper gramen habenti,
Incubat infælix, limoſaque flumina potat.
Illa etiam ſupplex Argo cùm brachia vellet
Tendere, non habuit quæ brachia tenderet Argo:
Et conata queri, mugitus edidit ore,
Pertimuitque ſonos, propriaque exterrita voce eſt.
Venit & ad ripas, ubi ludere ſæpe ſolebat,
Inachidas ripas; novaque ut conſpexit in unda

Pellice donata. Poſtquam Jupiter Junoni dedit Io, ſuam pellicem.

Fuit anxia furti. Timuit Juno ne Jupiter eam furto auferret, uſque dum illam Argo cuſtodiendam tradidit.

Areſtoridæ. Areſtoris filio.

Inde. Ex illis oculis.

Suis vicibus. Per vices: ſuo quæque tempore & ordine: ita ut quietis & vigiliæ tempus in orbem rediret.

Servabant. Cuſtodiebant Io, & excubabant, ut milites in ſtatione, attenti ſcilicet, ac vigilantes.

Quamvis averſus. Quamvis Io illi retro, atq; à tergo, ſtaret. Quippe Argus oculos etiam habebat in occipite. Pars adverſa, eſt anterior: averſa poſterior.

Luce. Interdiù, de die, ducit illam ad paſcua.

Claudit. In ſtabulo.

Indigno. Vincula non merenti.

Proque toro. Loco mollis lecti incubat terræ, non ſemper veſtitæ herbis, & gramine, ſed duræ, ac nudæ.

Supplex. Ut aliquid ab eo rogaret: ut ſe illi indicaret.

Inachidas. Ripas fluvii Inachi, patris ſui.

Cornua, pertimuit; ſeſeque exterrita fugit.
Najades ignorant, ignorat & Inachus ipſe,
Quæ ſit: at illa patrem ſequitur, ſequiturq; ſorores:
Et patitur tangi, ſeque admirantibus offert.
Decerptas ſenior porrexerat Inachus herbas,
Illa manus lambit, patriiſque dat oſcula palmis,
Nec retinet lacrymas: &, ſi modò verba ſequantur,
Oret opem, nomenque ſuum, caſuſque loquatur.
Littera pro verbis, quam pes in pulvere duxit,
Corporis indicium mutati triſte peregit.
Me miſerum, exclamat pater Inachus: inq; gementis
Cornibus, & niveæ pendens cervice juvencæ,
Me miſerum, ingeminat: tu ne es quæſita per omnes
Nata mihi terras? tu non inventa, reperta es;
Luctus eras levior: retices: nec mutua noſtris
Dicta refers: alto tantùm ſuſpiria ducis
Pectore: quodq; unum potes, ad mea verba remugis.
Nec finire licet tantos mihi morte dolores,
Sed nocet eſſe Deum; præcluſaque janua leti
Æternum noſtros luctus extendit in ævum.
Talia mœrentem ſtellatus ſummovet Argus:
Ereptamque patri diverſa in paſcua natam
Abſtrahit: ipſe procul montis ſublime cacumen
Occupat: unde ſedens partes ſpeculatur in omnes.

Najades. Deæ fontium ac fluviorum, Inachi miniſtræ, ac filiæ.

Admirantibus. Tam familiarem, & blandientem vaccam. *Sorores*. Najades.

Oret opem. Opem imploraret, ſi poſſet vocem edere.

Duxit. Exaravit, impreſſit.

Peregit. Dedit, exhibuit. Se mutatam eſſe in vaccæ corpus, indicavit, nomen ſuum humi exarando.

Non inventa, &c. Tu inventa es, & non inventa: video te, & non video: video, quia non lates: non video, quia priorem formam amiſiſti.

Luctus eras levior. Eras levior mihi doloris cauſa dum latebas: non inventam eſſe mallem, quàm ſic inventam.

Præcluſaque &c. Mors mihi negata, Immortalitas mea, dolorem meum immortalem, & æternum facit.

Stellatus. Cujus in capite oculi, tamquam ſtellæ, fulgebant.

Summovet. Repellit: faceſſere jubet.

Procul. Ea vox ſæpè ſignificat, propè, quaſi, pre oculis. Virg. Eclog. 8. ſic vocē hanc uſurpat: *Serta procul tantùm capiti delapſa jacebant*.

Mer-

XVIII.

Mercurius Argum interficit, cujus oculi caudæ pavonis inſeruntur. Syrinx mutata in arundinem.

Nec Superum rector mala tanta Phoronidos ultra
Ferre poteſt: natumque vocat, quem lucida partu
Plejas enixa eſt: letoque det, imperat, Argum.
Parva mora eſt alas pedibus, virgamque potenti
Somniferam ſumpſiſſe manu, tegimenque capillis.
Hæc ubi diſpoſuit, patria Jove natus ab arce
Deſilit in terras: illic tegimenque removit,
Et poſuit pennas: tantummodò virga retenta eſt:
Hac agit, ut paſtor, per devia rura capellas,
Dum venit, adductas: & ſtructis cantat avenis.
Voce novæ captus cuſtos Junonius artis,
Quiſquis es, hoc poteris mecum conſidere ſaxo,

Phoronidos. Ionis, quæ Phoronei ſoror. Phoroneus Inachi filius.

Natum. Mercurium, ſuum & Majæ Plejadis, filium.

Plejas. Maja: una ex Plejadibus. Fuerunt illæ ſeptem, filiæ Atlantis, in ſidera tranſlatæ à poetis, & ad genua Tauri collocatæ. Vergiliæ à Latinis appellantur.

Parva mora eſt ſumpſiſſe. Brevi, ſtatim, ſumpſit.

Alas. Pennas Mercurii pedibus affigunt poetæ, ad ſignificandam celeritatem: & talaria vocant. Virg. Lib. IV. Æneid. verſ. 240.

Virgam. Caduceum. Infra, Lib. II. num. 16.

Tegimen. Capitis tegmen, pileum alatum.

Hæc ubi diſpoſuit. Poſtquam alas pileum, &c. aptavit.

Patria ab arce. Cœlo. Ubi Jupiter Mercurii pater regnat.

Tantummodò . . . Solam retinuit virgam, qua capellas agebat, ſumpto paſtoris cultu: depoſuit pileum, & pennas, &c.

Dum venit, adductas. Capellas, quæ interim dum Mercurius ad Argum propiùs accedebat, in unum conveniebant, aliæ ad alias aggregabant ſeſe. *Abductas* mallet Heinſius: quaſi Mercurius per iter illas furatus fuiſſet, Deorum ſcilicet ac furum furaciſſimus.

Structis. Cera compactis.

Avenis. Fiſtula.

Cuſtos Junonius. Argus, cui Juno cuſtodiendam Io dederat.

Novæ artis. Fiſtulæ recens inventæ.

C Ar-

Argus ait: neque enim pecori fœcundior ullo
Herba loco eſt: aptamque vides paſtoribus umbram.
Sedit Atlantiades: & euntem, multa loquendo,
Detinuit ſermone diem: junctiſque canendo
Vincere arundinibus ſervantia lumina tentat.
Ille tamen pugnat molles evincere ſomnos:
Et quamvis ſopor eſt oculorum parte receptus,
Parte tamen vigilat: quærit quoque (namque reperta
Fiſtula nuper erat) qua ſit ratione reperta.
Tum Deus, Arcadiæ gelidis in montibus, inquit,
Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas
Najas una fuit: nymphæ Syringa vocabant.
Non ſemel & Satyros eluſerat illa ſequentes,
Et quoſcumque Deos umbroſaque ſilva, feraxque
Rus habet: Ortygiam ſtudiis, ipſaque colebat
Virginitate Deam: ritu quoque cincta Dianæ,
Falleret, & credi poſſet Latonia, ſi non
Corneus huic arcus, ſi non foret aureus illi.
Sic quoque fallebat. Redeuntem colle Lyceo.

Atlantiades. Mercurius, Atlantis nepos.

Euntem. Leniter fluentem, ac citò prætereuntem, ob ſuavitatem colloquii.

Detinuit. Contrivit: occupavit, uſque ad noctem.

Servantia lumina, Excubitores oculos.

Vincere. In ſomnum ſolvere.

Tum Deus. Tunc Mercurius ita narrare cœpit: Fuit una Najas in montibus Arcadiæ, &c.

Hamadryadas, Sunt Nymphæ quercuum, & ſilvarum præſides, quæ cum illis vivere, ac mori, dicebantur: ut Græca vox ſonat. *Ἅμα, ſimul: δρῦς, quercus*.

Nonacrinas. Arcadicas. Nonacris, oppidum Arcadiæ, in Græcia.

Najas. Nympha. Supra, num. 17.

Et Quoſcumque, &c. Et Deos, quicumque colunt ſilvas & fertiles agros.

Ortygiam Deam. Dianam. Sic appellatam ab inſula Ortygia, ſive Delo, ubi nata.

Studiis. Venatione colebat Dianam, ejus occupationem, atque adeò virginitatem, imitando.

Cincta. Succincta, veſtita.

Falleret. Pro Diana ſumi poſſet, intuentesque in errorem induceret.

Latonia. Diana, Latonæ filia.

Huic. Syringi. *Illi*. Dianæ.

Fallebat. Diana ipſa putabatur eſſe.

Lyceo. Mons Lyceus eſt in Arcadia: Pani ſacer. Suprà, nu. 16.

Pan videt hanc: pinuque caput præcinctus acuta
Talia verba refert: Reſtabat verba referre:
Et precibus ſpretis fugiſſe per avia Nympham:
Donec arenoſi placidum Ladonis ad amnem
Venerat: hic illam, curſum impedientibus undis,
Ut ſe mutarent, liquidas oraſſe ſorores:
Panaque pro Nympha calamos tenuiſſe paluſtres:
Dumque ibi ſuſpirat, motus in arundine ventos
Effeciſſe ſonum tenuem, ſimilemque querenti:
Arte nova, vociſque Deum dulcedine captum,
Hoc mihi colloquium tecum, dixiſſe, manebit:
Atque ita, diſparibus calamis compagine ceræ
Inter ſe junctis, nomen tenuiſſe puellæ,
Talia dicturus, vidit Cyllenius omnes

Præcinctus. Redimitus. Coronam è frondibus pineis gerens. Pinus arbor Pani ſacra: folia ejus anguſta, & acuta.

Reſtabat. Reſtabat Mercurio, ut narraret verba quibus Pan allocutus erat Syringam, & abſolveret inchoatam narrationem; ut diceret nympham fugiſſe, oraſſe Najades, &c. ſed cùm hæc dicturus, & fusè narraturus eſſet, vidit Argum ſopitum: tunc narrationem abrumpens, eum obtruncavit.

Hic illam, &c. Nympham, objecto flumine ſiſtere coactam, oraſſe Najades: ut ſeipſam transformarent: ac reverà in arundinem fuiſſe converſam.

Ladonis. Fluvii Arcadiæ.

Liquidas ſorores. Najadas.

Suſpirat. Ereptam dolet Syringa.

Arte Nova. Nova muſica. Sono quem edebant moti vento calami.

Dixiſſe. Reliquum erat ut Mercurius adderet Pana ſic locutum eſſe: Hoc mihi colloquium, &c.

Hoc mihi colloquium tecum manebit. Calamos inflando tecum ſaltem veluti colloquar. Quidam argutiùs legunt & veriùs: *Hoc mihi concilium tecum manebit*. Concilium dicitur de perſonis unum in locum congregatis. Eris mecum ſemper, quia fiſtulas, & arundines ſemper mecum habebo. Hoc me tibi conciliabit. Concilio contrarium eſt diſſidium.

Atque ita &c. Itaque compactæ ex arundinibus fiſtulæ nomen ſyringis dediſſe.

Diſparibus. Aliis majoribus, aliis minoribus. Id explicatur eleganter Lib. VIII. in Icari fabula nu. 4.

Compagine. Cera, ut glutine compactis.

Nomen. Fiſtulam Græci vocant ſyringa.

Tenuiſſe. Retinuiſſe. Pana voluiſſe ut tribueretur fiſtulæ, nomen Syringis.

Cyllenius. Mercurius, in Cyllene, mõte Arcadiæ natus.

Succubuiſſe oculos, adopertaque lumina ſomno.
Supprimit extemplò vocem, firmatque ſoporem,
Languida permulcens medicata lumina virga.
Nec mora, falcato nutantem vulnerat enſe,
Qua collo eſt confine caput, ſaxoque cruentum
Dejicit, & maculat præruptam ſanguine rupem.
Arge, jaces; quodque in tot lumina lumen habebas,
Extinctum eſt, centumque oculos nox occupat una.
Excipit hos, volucriſque ſuæ Saturnia pennis
Collocat, & gemmis caudam ſtellantibus implet:

Adoperta. Tecta, velata, obruta.

Firmat. Auget, corroborat.

Permulcens. Leniter tangens.

Medicata. Certis pharmacis infecta: quodam toxico imbuta.

Nutantem. Ut ſomnolenti ſolent.

Lumen. Vitam, quæ omnes oculos animabat.

Excipit. Capit ex Argi capite.

Volucris ſuæ. Pavonis. Sunt pavones in Junonis tutela, cujus currum trahunt. Eos idcircò Junonis conſecratos tradit Atheneus, quod primum conſpecti fuerint in inſula Samo, quæ Junoni Sacra. Adde quod inter volucres hæc pulcherrima ſit, ut aquila fortiſſima. Itaque hæc Jovi; illa Junoni, dicata.

XIX.

Io priſtinæ formæ reſtituitur, & fit Iſis Ægyptiorum Dea.

Protinus exarſit, nec tempora diſtulit iræ:
Horriferamque oculis, animoque objecit Erinnyn
Pellicis Argolicæ, ſtimuloſque in pectore cæcos
Condidit, & profugam per totum terruit orbem.

Exarſit. Juno in iras exarſit, ob Argum interfectum.

Objecit animo Erinnyn. Immiſit furorem pellici Argolicæ, id eſt, Ioni. Erinnys, Græca vox, furiam ſonat. Suprà, num. 9.

Argolicæ. Argivæ, Argos, urbs clariſſima Græciæ.

Stimulos cæcos. Rabiem occultam. Metaphora ducitur à calcaribus, & ſtipulis quibus punguntur feræ, œſtro illam exagitaſſe Juno fertur. Eſt autem œſtrus, muſcæ genus, equis, & bobus infeſtum. Ea vox furorem etiam apud poetas ſignificat. Lege Virg. III. Georg. verſu 107.

Profugam &c. Compulit fugere per totum orbem.

Ultimus immenſo reſtabas, Nile, labori:
Quem ſimul ac tetigit, poſitiſque in margine ripæ
Procubuit genibus; reſupinoque ardua collo,
Quos potuit, ſolos tollens ad ſidera vultus,
Et gemitu, & lacrymis, & luctiſono mugitu
Cum Jove viſa queri eſt. Vultus capit ergo priores,
Fitque, quod ante fuit: fugiunt de corpore ſetæ,
Cornua decreſcunt, fit luminis arctior orbis,
Contrahitur rictus: redeunt humerique, manuſque
Ungulaque in quinos dilapſa abſumitur ungues:
De bove nil ſupereſt, formæ niſi candor, in illa:
Officioque pedum Nymphe contenta duorum
Erigitur; metuitque loqui, ne more juvencæ
Mugiat, & timidè verba intermiſſa retentat.
Nunc Dea Niligena colitur celeberrima turba.

cæco metu, terrore panico, agitatam.

Immenſo labori. Fugæ diuturnæ & infinitæ. Poſt luſtratas errore longo regiones plurimas, Ægyptum, ubi Nilus eſt, venerat.

Reſupino. In tergum reflexo.

Luminis. Oculi.

Rictus. Hiatus oris.

Ungulaque &c. Et ungula pedis bifida ſcinditur in quinque digitos, quorum extrema ſunt ungues: ſumitur quaſi materia unde formentur digiti.

Dilapſa. Decreſcens, diminuta, mutata.

Nymphe. Per e. ſimplex ſcribitur: eſtque recti caſus, ut Penelope.

Erigitur. Staturam priorem & erectam ſumit.

Intermiſſa. Interrupta.

Niligena turba. Ab Ægyptiis, Niliaccolis, & quaſi filiis, quippe qui ab eo alantur. Sacerdotes Iſidis lineis utebantur veſtibus. Hinc in quibuſdam codicibus legitur: *Linigera*. Ægyptii lunam Iſidis nomine colebant; Oſiridis, ſolem.

X X.

Epaphus, Jovis filius, fit Ægypti Deus. Cum Phaethonte delitigat.

Hinc Epaphus magni genitus de ſemine tandem
Creditur eſſe Jovis: perque urbes juncta parenti

Hinc Epaphus, &c. Ex eo quod Jovis pellex Io fuerit, Epaphus ex illa natus aliquanto poſt, creditus eſt

Templa tenet. Fuit huic animis æqualis, & annis
Sole ſatus Phaethon, quem quondam magna loquentem,
Nec ſibi cedentem, Phœboque parente ſuperbum
Non tulit Inachides: matrique, ait, omnia demens
Credis, & es tumidus genitoris imagine falſi.
Erubuit Phaethon, iramque pudore repreſſit:
Et tulit ad Clymenen Epaphi convitia matrem.
Quoque magis doleas, genitrix, ait, ille ego liber,
Ille ferox, tacui: pudet hæc opprobria nobis
Et dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli.
At tu, ſi modò ſum cœleſti ſtirpe creatus
Ede notam tanti generis, meque aſſere cœlo.
Dixit, & implicuit materno brachia collo,
Perque ſuum, Meropiſque caput, tædaſque ſororum,
Traderet oravit veri ſibi ſigna parentis.
Ambiguum eſt Clymene precibus Phaethontis, an ira
Nota magis dicti ſibi criminis; utraque cœlo
Brachia porrexit: ſpectanſque ad lumina ſolis,

Jovis filius, & ab Ægyptiis, in ipſorum urbibus, cum matre colitur.

Animis. Superbia, ob natalium ſplendorem.

Magna loquentem. Se jactantem arrogantiùs.

Inachides. Epaphus, Inachi nepos.

Matri. Clymene credis, te Phœbi filium dicenti; valdè falleris.

Imagine. Inani, & ambitioſo nomine, Opinione falſa.

Ille ego liber. Ego ille, qui liber, & ferox, in reſpondendo eſſe conſuevi, tamen tacui, &c.

Ede notam. Oſtende mihi ſigno aliquo, & argumento, me tam nobili genere natum eſſe.

Meque aſſere cœlo. Doce me originem à Superis ducere.

Per ſuum, &c. Oravit Clymenen per ipſius caput. Mos erat deprecari, jurare, per caput, id eſt, vitam ac ſalutem ſuam, vel alterius, quia nihil vita charius.

Meropis. Clymene, poſt ſuſceptum è Phœbo Phaethontem, nupſerat Meropi.

Tædas. Nuptias. Ita, inquit, bene ac fæliciter nubant meæ ſorores, uti te oro, & obteſtor, &c. Faces ante recens nuptam ferebantur, cùm ſponſi domum veſperè ducebatur.

Ambiguum eſt &c. Incertum eſt, an magis fuerit commota filii precibus, quàm ira & dolore objecti criminis: nempè quòd Phaethontem ex alio, quàm Apolline, ſuſcepiſſet.

Ju-

Per jubar hoc, inquit, radiis inſigne coruſcis
Nate, tibi juro, quod nos auditque, videtque,
Hoc te, quem ſpectas; hoc te, qui temperat orbem,
Sole ſatum: ſi ficta loquor, neget ipſe videndum
Se mihi, ſitque oculis lux iſta noviſſima noſtris.
Nec longus patrios labor eſt tibi noſſe penates:
Unde oritur, terræ domus eſt contermina noſtræ,
Si modò fert animus, gradere, & ſcitabere ab ipſo.
Emicat exemplò lætus poſt talia matris
Dicta ſuæ Phaethon; & concipit æthera mente.
Æthiopaſque ſuos, poſitoſque ſub ignibus Indos
Sidereis, tranſit; patrioſque adit impiger ortus.

Juro te ſatum. Juro te natum eſſe hoc ſole, quem ſpectas, &c.

Noviſſima. Ultima. Statim emoriar.

Penates. Domum. Suprà, num. 7.

Unde oritur &c. Domus unde Sol oritur, non abeſt procul à noſtra regione.

Emicat. Exſilit; ad iter ſe accingit.

Concipit æthera mente. Cœlum adire ipſum ſtatuit; jam in cœlo eſt.

Æthiopas ſuos. Populos Africæ interioris: quibus imperabat, vel quorum unus erat.

Ignibus ſidereis. Sole calidiſſimo. Sub Zonæ torridæ parte.

Indos. India, Aſiæ pars, ab Indo fluvio appellata.

Ortus patrios. Locum, unde Sol, ipſius parens, oritur; & ubi erat ejus regia, quæ deſcribitur Libri ſequentis initio.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER SECUNDUS.
SYNOPSIS.

Phaethon cœlo dejectus : Ejus Sorores in populos mutatæ : Cycnus in Olorem : Caliſto in urſam : Corvus ex albo in nigrum : Ocyroe in equam : Apollo in paſtorem : Battus, & Agraulos in lapides : Jupiter in taurum. Invidiæ domus. Europe rapta.

I.

Phaethon poſtulat à Sole, ut ejus currum ſaltem uno die regat. Solis regia, currus, equi, deſcribuntur.

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammaſque imitante pyropo:
Cujus ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat:
Argenti bifores radiabant lumine valvæ.
Materiam ſuperabat opus: nam Mulciber illic
Æquora cælarat medias cingentia terras,

Pyropo. Eſt genus æris ductilis, admixta auri parte quarta, quod in laminas tenuatum inducebatur inſtar fulgentis tectorii. Plin. Lib. XXXIV. cap. 8. *pyropi bracteam* vocat. Propertius etiam lib. IV. Eleg. XI. Sic ſcribit : *Inducto fulgebat parma pyropo*. Quibus è locis patet pyropum non eſſe gemmam, aut carbunculum, ut vulgò fertur.

Bifores valvæ. Duplices, ita ut in medio diviſæ, hinc & inde aperirentur. Lib. I. num. 7.

Radiabant lumine argenti. Argento tectæ, aut è ſolido conflatæ erant.

Opus. Artificium, quo materia erat ornata, & polita : cælatura.

Mulciber. Vulcanus : Sic dictus à mulcendo, ſeù molliendo ferro.

Illic. In illis valvis.

Medias. In mediis aquis poſitas.

Ha-

Terrarumque orbem, cœlumque quod imminet orbi.
Cæruleos habet unda Deos, Tritona canorum,
Proteaque ambiguum, balænarumque prementem
Ægæona ſuis immania terga lacertis,
Doridaque, & natas: quarum pars nare videtur.
Pars in mole ſedens virides ſiccare capillos:
Piſce vehi quædam: facies non omnibus una;
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.
Terra viros, urbeſque gerit, ſilvaſque, feraſque,
Fluminaque, & Nymphas, & cætera numina ruris.
Hæc ſuper impoſita eſt cœli fulgentis imago,
Signaque ſex foribus dextris, totidemque ſiniſtris.
Quo ſimul, acclivo Clymeneia limite proles
Venit, & intravit dubitati tecta parentis:
Protinus ad patrios ſua fert veſtigia vultus,
Conſiſtitque procul (neque enim propiora ferebat
Lumina.) Purpurea velatus veſte ſedebat

Habet. Cælatos.

Tritona. Vide Lib. I. n. XI.

Protea. Græca terminatio. Proteus, Neptuni paſtor qui ejus phocas (Lib. I. num. 10.) paſcit. Vide Virgil. Lib. IV. Georg. ſub finem.

Ambiguum. Cujus incerta forma & varia figura eſt: modò enim fiebat urſus; modò ignis, &c.

Ægæona. Ægæon, unus è Gigantibus, Terræ & Ponti filius, inter marinos Deos hìc numeratur, & balænis inſidens vehitur.

Dorida. Doris, Oceani filia, Nerei uxor.

Natas. Nereidas.

Mole. Rupe, ſcopulo, extante ex aquis.

Diverſa. Valdè diſſimilis.

Gerit. Cælata eſt plena viris, urbibus, &c.

Hæc ſuper. Supra terras, & maria.

Signa. Inter celeſtis ſphæræ circulos Zodiacus eſt obliquus, & latus (infra, n. 3.) In eo ſunt ſigna, ſive conſtellationes, ut aſtrologi loquuntur, duodecim, ſingula ſingulis anni menſibus reſpondentia, ſex hibernis, totidem æſtivis. Comprehenduntur binis verſiculis: *Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo; Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces*. Hæc ſigna ſol percurrit anno quolibet. Arietem ingreditur exeunte Martio; Taurum, Aprili, &c. Erant igitur ea ſidera deſcripta in regiæ foribus.

Quo. Quam ſolis domum.

Acclivo. Surſum leviter erecto.

Clymeneia proles. Phaëthon Clymenes filius.

Dubitati. A quo ſe ortum dubitabat. Vide finem lib. 1.

Ferebat. Suſtinere poterat. Propius ad ſolis radios

In ſolio Phœbus claris lucente ſmaragdis.
A dextra, lævaque, dies, & menſis, & annus,
Sæculaque, & poſitæ ſpatiis æqualibus horæ,
Verque novum ſtabat, cinctum florente corona:
Stabat nuda æſtas, & ſpicea ſerta gerebat:
Stabat & autumnus calcatis ſordibus uvis:
Et glacialis hyems canos hirſuta capillos.
Inde loco medius, rerum novitate paventem
Sol oculis juvenem, quibus aſpicit omnia, vidit.
Quæque viæ tibi cauſa? quid hac, ait, arce petiſti,
Progenies Phaeton haud inficianda parenti?
Ille refert: O lux immenſi publica mundi,
Phœbe pater, ſi das uſum mihi nominis hujus,
Nec falſa Clymene culpam ſub imagine celat;
Pignora da, genitor, per quæ tua vera propago
Credar, & hunc animis errorem detrahe noſtris.
Dixerat; at genitor circum caput omne micantes
Depoſuit radios, propiuſque accedere juſſit,
Amplexuque dato: Nec tu meus eſſe negari
Dignus es; & Clymene veros, ait, edidit ortus:
Quoq; minus dubites, quodvis pete munus, & illud
Me tribuente, feres: promiſſis teſtis adeſto
Dis juranda palus, oculis incognita noſtris.

accedere impunè non poterat.

Smaragdis. Smaragdus eſt gemma viridi colore.

Ver novum. Quo nempe flores naſcuntur. Tres occupat menſes ver: primo menſe dicitur novum; ſecundo, adultum; tertio, præceps. Idem aliis tempeſtatibus accidit.

Inde. Ex hoc ſolio, in quo medius inter quatuor anni tempeſtates ſedebat.

Hac arce. In hac mundi ſuprema regione.

Haud inficianda. Haud neganda; non erubeſcenda. Quem ego pro filio meo libenter agnoſco.

Refert. Reſpondet.

Nominis hujus. Patris. Si te patrem à me appellari non recuſas.

Culpam. Adulterium.

Falſa imagine. Mendacio.

Pignora. Indicia certa.

Errorem. Dubitationem.

Veros edidit ortus. Veram originem tuam tibi declaravit.

Quoque. Utque minimè dubitare poſſis, te meum eſſe.

Feres. Obtinebis.

Palus. Styx, palus inferorum, per quam Dii jurabant. Styx Victoriam peperit: Victoria ſtetit à Jove, in bello contra Gigantes inito. Jupiter beneficii memor, illi con-

Vix bene deſierat: currus petit ille paternos,
Inque diem alipedum jus, & moderamen equorum.

conceſſit, ut per Stygem, ejus matrem, Dii omnes jurarent, ac ſi quis pejeraret, divinitate centum annos privaretur.

Incognita. Sol inferos, æternis nempè damnatos tenebris, numquam luſtrat.

In diem. Unius diei ſpatio.

Alipedum. Celerrimorum: qui non tam currere videntur, quàm volare.

II.

Phœbus deterrere Phaethontem fruſtra conatur à temeraria petitione.

Pœnituit juraſſe patrem, qui terque, quaterque
Concutiens illuſtre caput: Temeraria, dixit,
Vox mea facta tua eſt: utinam promiſſa liceret
Non dare: confiteor, ſolum hoc tibi, nate, negarem.
Diſſuadere licet: non eſt tua tuta voluntas:
Magna petis Phaethon, & quæ nec viribus iſtis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.
Sors tua mortalis; non eſt mortale, quod optas.
Plus etiam, quàm quod Superis contingere poſſit

Temeraria, &c. Vocem meam fecit temerariam tua vox: propter tuam temerariam petitionem, jure mea promiſſa temeritatis accuſantur.

Tua. Eſt in auferendi caſu: tua voce. Ego fui temerarius, qui omnia promiſi, nihil excepi: ſimulque, cur iſtud imprudenter peteres, in cauſa fui. Poteſt etiam ſumi *tua* in recto caſu: vox mea temeraria, facta eſt tua temeraria vox, ei anſam & occaſionem mea præbuit.

Promiſſa non dare. Non ſtare promiſſis. Cur autem non licet, quia per Stygem juraverat: *Dì cujus jurare timent, & fallere Numen*. Virgil. Lib. VI. verſ. 324.

Diſſuadere licet. Negare non poſſum, quia promiſi: poſſum ſaltem diſſuadere.

Tua. Sapiens, tibi utilis. Rem periculi plenam optas.

Iſtis. Tuis exiguis, & mortalibus.

Sors. Conditio, natura.

Non eſt mortale. Mortali naturæ aptum, & congruens.

Plus etiam &c. Immò, aliquid majus ambis, & præ inſcitia concupiſcis, quàm quod à Superis rectè geri poſſit, & illis concedi.

Neſcius affectas: placeat ſibi quiſque licebit,
Non tamen ignifero quiſquam conſiſtere in axe
Me valet excepto: vaſti quoque rector Olympi,
Qui fera terribili jaculatur fulmina dextra
Non aget hos currus: & quid Jove majus habetur?
Ardua prima via eſt, & qua vix mane recentes
Enituntur equi, media eſt altiſſima cœlo.
Unde mare, & terras ipſi mihi ſæpe videre
Sit timor, & pavida trepidet formidine pectus.
Ultima prona via eſt, & eget moderamine certo:
Tunc etiam, quæ me ſubjectis excipit undis,
Ne ferar in præceps Tethys ſolet ipſa vereri.
Adde, quod aſſidua rapitur vertigine cœlum,
Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.
Nitor in adverſum: nec me, qui cætera, vincit

Placeat &c. Quamlibet magnificè Deorum quiſque de ſe ſentiat; ſuis viribus confidat, quantum volet.

Axe. Curru.

Aget. Commodè reget.

Recentes. Reparatis nocturna quiete viribus.

Enituntur. Erepunt: aſcendunt ægrè.

Moderamine. Arte certa: nempe ad inhibendos, & moderandos equos, præcipitantes per viam pronam.

Thetys. Dea maris, Mare. In mari ſol occidere credebatur, & pernoctare.

Vertigine. Converſione, rapide in orbem motu.

Cœlum. Supremum, quod ab aſtrologis primum Mobile nuncupatur.

Volumine. Impetu in gyrum incitato.

Torquet. Cœlum ſupremum volvitur, ab Oriente in Occidente, & ſtellas ſecum trahit: interim ſtellæ, & ipſe ſol, contrario motu, & obliquo, in Orientem ab Occidente procedunt.

In adverſum. In oppoſitam partem, nempe Orientem.

Nec me . . . Non abripit me impetus, qui alia ſidera trahit. Rapior in Occidentem ſimul cum ſideribus: ſed hoc non impedit, quin ferar motu proprio in Orientem: idque recta via, per eumdem circulum, nempe Eclipticam: dum alii planetæ hinc inde declinant.

Qui cætera. Fallitur Ovidius: nam aſtra, ſive ſtellæ, ut vocant, fixæ in Orientem quoque aguntur motu proprio. Dici tamen poteſt locutus ad ſenſum vulgi, qui ſtellas fixas moveri tantùm ab Oriente in Occidentem putat: quia motus illarum proprius eſt valdè lentus, vixque deprehenditur: itaque conficere dicuntur multis annorum millibus orbem illi ſimilem, quem ſol anno

Impetus; & rapido contrarius evehor orbi.
Finge datos currus; quid ages? poteriſne rotatis
Obvius ire polis, ne te citus auferat axis?
Forſitan & lucos illic, urbeſque Deorum,
Concipias animo, delubraque ditia donis
Eſſe: per inſidias iter eſt, formaſque ferarum.
Utque viam teneas, nulloque errore traharis,
Per tamen adverſi gradieris cornua Tauri,
Æmonioſque arcus, violentique ora Leonis,
Sævaque circuitu curvantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curvantem brachia Cancrum.
Nec tibi quadrupedes animoſos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore, & naribus ef-
flant,

uno in Ecliptica peragit.

Rapido orbi. Cœlo in Occidentem præcipitanti.

Rotatis polis. Incitatiſſimæ cœli converſioni reſiſtere. Poli ſunt puncta duo in ſphæra, circa quæ tota volvitur. Pro integra cœleſti ſphæra hìc ſumuntur.

Citus axis. Cœlum celerrimè agitatum: Axis eſt linea ducta per centrum à polo ad polum. Pro cœlo ipſo celeriter in occaſum rapto hìc uſurpatur.

Auferat. Impediendo quominus in Orientem eveharis.

Urbes Deorum. A Diis habitatas.

Ditia Donis. Donariis locupletibus ornata templa.

Ferarum. Signa Zodiaci omnia, quatuor exceptis, belluarum habere formas finguntur à poetis, & aſtrologis. Ab iis porrò excogitatæ ſunt illæ figuræ, ut faciliùs ſtellæ diſtinguerentur.

Ut viam teneas. Quamvis recta, & inoffenſa via gradiaris.

Adverſi. Tibi occurrentis ex adverſo. Sol enim proprio motu ab Ariete fertur in Taurum, à Tauro in Geminos, &c.

Tauri. Unus è ſignis Zodiaci, ſupra numeratis, n. 1.

Æmonios arcus. Occurret tibi Chiron centaurus, arcu minax. Chiron unus è centauris, qui dimidia parte corporis homines; poſteriori, equi eſſe fingebantur, in Æmonia, id eſt, Theſſalia, vixit: Æſculapium, & Achillem, educavit, ac demum in ſidera translatus eſt.

Scorpion. Pro, Scorpium. Octavum eſt ſignum Zodiaci.

Aliter &c. Scorpius brachia diffundit longè, & ea curvat à principio: Cancer in extrema parte, & breviore circuitu ſua inflectit. Prætereà Cancer brachia occidenti habet obverſa: Scorpius, orienti: Cancer deorſum verſa tenet, Scorpius ſurſum.

Animoſos. Inflammatos.

In

In promptu regere eſt: vix me patiuntur, ubi acres
Incaluere animi; cervixque repugnat habenis.
At tu, funeſti ne ſim tibi muneris auctor,
Nate, cave, dum reſque ſinit, tua corrige vota.
Scilicet, ut noſtro genitum te ſanguine credas,
Pignora certa petis; do pignora certa, timendo:
Et patrio pater eſſe metu probor: aſpice vultus
Ecce meos: utinamque oculos in pectora poſſes
Inſerere, & patrias intus deprendere curas.
Denique quidquid habet dives circumſpice mundus:
Deque tot, ac tantis cœli, terræque, mariſque,
Poſce bonis aliquid; nullam patiere repulſam.
Deprecor hoc unum, quod vero nomine pœna,
Non honor eſt: pœnam Phaethon pro munere poſcis.
Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis?
Ne dubita: dabitur (Stygias juravimus undas)
Quodcumque optaris: ſed tu ſapientius opta.

In promptu eſt. Facile eſt.
Me patiuntur. Mihi obſequuntur.
Vultus meos. Timore conturbatos. In iis extat amor erga te meus.
Deprecor. Recuſo, abnuo, licèt ægrè: oro, ne petas.

I I I.

Phœbus currui ſuo Phaethontem imponit, ac monitis nihil profuturis inſtruit.

Finierat monitus: dictis tamen ille repugnat:
Propoſitumque premit, flagratque cupidine currus.
Ergo, qua licuit genitor cunctatus, ad altos
Deducit juvenem, Vulcania munera, currus.
Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo:
Per juga chryſolithi, poſitæque ex ordine gemmæ

Monitus. Conſilia, monita.
Premit propoſitum. In propoſito perſtat: urget Phębū.
Qua licuit cunctatus. Moratus, quantum potuit.
Vulcania munera. Soli à Vulcano donata.
Radiorum. Radii vocantur in rotis, tigilla recta, quæ à modiolo ad curvaturam pertingunt.
Per juga. Per temonem.
Chryſolithi. Gemmæ aurei

Clara repercuſſo reddebant lumina Phœbo.
Dumque ea magnanimus Phaethon miratur, opuſque
Perſpicit, ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, & plena roſarum
Atria: diffugiunt ſtellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & cœli ſtatione noviſſimus exit.
At pater, ut terras, mundumque rubeſcere vidit,
Cornuaque extremæ velut evaneſcere lunæ,
Jungere equos Titan velocibus imperat horis:
Juſſa Deæ celeres peragunt, ignemque vomentes
Ambroſiæ ſucco ſaturos præſepibus altis
Quadrupedes ducunt; adduntque ſonantia fræna.
Tum pater ora ſui ſacro medicamine nati
Contigit, & rapidæ fecit patientia flammæ,
Impoſuitque comæ radios, præſagaque luctus
Pectore ſollicito repetens ſuſpiria, dixit:
Si potes his ſaltem monitis parere parentis,
Parce, puer, ſtimulis, & fortius utere loris:
Sponte ſua properant; labor eſt inhibere volantes.
Nec tibi directos placeat via quinque per arcus:

rei coloris *χρυσὸς*, *aurum*, *λίθος*, *lapis*.

Repercuſſo Phœbo. Lumen à Sole acceptum reflectentes.

Vigil. Quæ multo manè ſurgit.

Purpureas. Rutilas.

Diffugiunt. Evaneſcunt, lucere deſinunt.

Cogit. Congregat inſtar ducis, qui poſtremam aciem: urgente hoſte, colligit, ac recipit in tutum: ipſe poſtremus campo excedit.

Lucifer. Stella Veneris, quæ ſoli præit certis diebus, manè, ceteriſque ſtellis latitantibus, diù apparet: ſerò, ſolem ſequitur, & prima ſtellarum lucet. Id fit eò, quia volvitur circa ſolem, tamquam centrum. Serò cùm apparet, vocatur Heſperus; manè Lucifer, ſeù Phoſphorus.

Rubeſcere. Is Auroræ, color eſt.

Ambroſiæ ſucco. Ambroſia, Deorum cibus: nectar, potus eſt.

Medicamine. Unguento quodam perunxit oculos, ut eſſent lucis & caloris patientes.

Parce ſtimulis... Parcius utere flagello: lora fortius conſtringe. Nam equi mei ſponte currunt, non egent ſtimulis: in eo laborandum, ut currentes compeſcantur, adductis habenis.

Nec tibi directos &c. Noli evagari per omnes quinque Zonas, aut per illarum quamlibet: neque rectum iter ſic tene, ut circulum deſcribas Æquatori parallelum.

Arcus. Sic vocantur partes

Sectus in obliquum eſt lato curvamine limes,
Zonarumque trium contentus fine, polumque
Effugit auſtralem, junctamque Aquilonibus Arcton,
Hac ſit iter; manifeſta rotæ veſtigia cernes.
Utque ferant æquos & cœlum, & terra, calores,
Nec preme, nec ſummum molire per æthera curſum.
Altius egreſſus cœleſtia tecta cremabis;
Inferius, terras: medio tutiſſimus ibis.
Neu te dexterior tortum declinet ad anguem;

tes & ſegmenta circulorum. Quinque in armillari Sphæra præcipui ſunt circuli paralleli, quibus totidem Zonæ includuntur: circuli duo Polares, duo Tropici, & Æquator: de illis fusè dictum initio libri I. n. 3. Porrò illi circuli numquam toti apparent in uno hemiſphærio, ſed eorum dumtaxat partes, & ſegmenta, quæ hic *arcus* appellantur.

Sectus &c. Eſt via quædam, in obliquo & lato circulo: hanc viam, hunc limitem tene, qui attingit fines trium Zonarum, & ab utroque polo remotus eſt.

Lato curvamine. Indicat Zodiacum, qui eſt unus è ſphæræ circulis majoribus: ſolus ex omnibus circulis, latus, quia omnium planetarum viam complectitur, qui ſæpe ab Ecliptica diſcedunt. Eſt Ecliptica, linea in medio Zodiaco, quam ſol numquam deſerit. Inde nomen invenit, quòd ſol & luna in hac eſſe debeant ſemita, quoties contingunt eclipſes.

In obliquum. Obliquus eſt Zodiacus, quia eſt via quam planetæ motu proprio conficiunt, verſus Auſtrum, & Boream; Æquatorem ſecando ad angulos obliquos.

Zonarum. Explicui lib. I.

Trium. Zodiacus totam Zonam torridam pervadit, & utriuſque temperatæ fines ac partem exiguam, ultra Tropicum ſcilicet Cancri & Capricorni, attingit. Tribus igitur Zonis continetur, torrida integra, & aliqua parte temperatum.

Polum effugit. Zodiacus ad neutrum accedit polum: Tropicos parum excedit.

Arcton. Polum Arcticum, Arctos, ſive Urſa, cœleſte ſignum, polo Septemtrionali proximum eſt.

Hac. Per Zodiacum: per Eclipticam.

Preme. Nimis deprime.

Molire. Impelle.

Neu te &c. Noli nimis ad ſeptemtrionem accedere, ubi Anguis eſt, cœleſte ſignum: noli nimis ad meridiem, ubi Ara.

Dexterior. Currus ab Oriente iter inchoaturus erat: quo in ſitu habebat ſeptemtrionem à dextra parte: meridiem à ſiniſtra. Ergo rota dexterior eſt illa, quæ Septemtrioni eſt obverſa: ſiniſterior, quæ Auſtro. Huc adde quòd poetæ, cum de cęlo, & ſide-

Neve ſiniſterior preſſam rota ducat ad aram:
Inter utrumque tene: fortunæ cætera mando,
Quæ juvet, & melius, quàm tu tibi, conſulat opto.
Dum loquor, Heſperio poſitas in littore metas
Humida nox tetigit, non eſt mora libera nobis:
Poſcimur, & fulget tenebris Aurora fugatis.
Corripe lora manu: vel, ſi mutabile pectus
Eſt tibi, conſiliis, non curribus, utere noſtris,
Dum potes, & ſolidis etiam nunc ſedibus adſtas;
Dumque malè optato nondum premis inſcius axes;
Quæ tutus ſpectes, ſine me dare lumina terris.
Occupat ille levem juvenili corpore currum,
Statque ſuper, manibuſque datas contingere habenas
Gaudet, & invito grates agit inde parenti.

& ſideribus loquebantur, ſemper occaſum reſpiciebant; augures & divini, ortum; aſtronomi, meridiem; geographi, ſeptemtrionem. Hoc indicant veteres verſiculi duo: *Ad Boream terra; ſed cœli menſor, ad Auſtrum. Præco Dei exortum videt occaſumque poeta.*

Anguem. Inter ſigna ſeptemtrionalia numeratur Draco, cuſtos olim horti Heſperidum, ut poetis placet: interfectus ab Hercule: à Junone relatus inter ſidera.

Preſſam. Depreſſam, devexam. *Ara*, eſt ſignum auſtrale. Pars mundi auſtrina iis deprimitur, & infra Horizontem latet, qui ad Arcticum polum accedunt; quales ſunt quicumque Europam incolunt; attollitur iiſdem & erigitur ſupra Horizontem pars mundi ſeptemtrionalis. Id fit propter ſphæræ inclinationem ob quam unus polorum Arcticus in Europa (eminet ſupra Horizontem: alter Antarcticus dictus, quia opponitur Arctico) numquam à nobis cernitur, quia eſt infra Horizontem. Virgil. I. Georg. verſu 240.

Utrumque. Sidus: nempe Anguem, & Aram.

Tene. Viam.

Mando. Permitto.

Heſperio &c. Nox diſcedit, & in Heſperium mare præceps ruit: tempus eſt ut illi dies ſuccedat: diutius morari non poſſum. Heſperium mare, eſt Occidentale, ſeu Atlanticum, in quo dies, noxque ſimiliter, occidere dicuntur à poetis.

Metas. Noctis & diei certos fines.

Solidis ſedibus. In mea regia: nondum in curru fluctuante.

Sine me, &c. Patere, ut currum aſcendam, & impertiar terris lucem, quam ſine periculo videas.

Invito. Nempe filii exitium proſpicienti.

Phae-

I V.

Phaethon male currum Solis regit; habenas mentis impos abjicit.

Intereà volucres Pyroeis, Eous, & Æthon,
Solis equi, quartuſque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibuſque repagula pulſant.
Quæ poſtquam Tethys, fatorum ignara nepotis,
Reppulit, & facta eſt immenſi copia cœli;
Corripuere viam, pedibuſque per aera motis
Obſtantes ſcindunt nebulas, penniſque levati
Prætereunt ortos iiſdem de partibus Euros.
Sed leve pondus erat, nec quod cognoſcere poſſent
Solis equi, ſolitaque jugum gravitate carebat.
Utque labant curvæ juſto ſine pondere naves,
Perque mare inſtabiles nimia levitate feruntur;
Sic onere inſueto vacuos dat in aere ſaltus,
Succutiturque alte, ſimiliſque eſt currus inani.
Quod ſimul ac ſenſere, ruunt, tritumque relinquunt
Quadrijuges ſpatium: nec, quo prius, ordine currunt.

Volucres. Avibus celeritate pares.

Pyroeis, &c. Iſta ſolis equorum nomina è Græco ducuntur. Pyroeis ignitum ſonat; (*πῦρ, ignis; πυρόεις*) Eous, matutinum: (*ἠώς, aurora*) Æthon, ardentem; (*Αἴθω, ardeo*) Phlegon, urentem; (*φλέγω, uro*)

Repagula; Clathres. Priuſquam circum, ſeù ſtadium, inirent quadrigæ, attinebantur quibuſdam cācellis ligneis, quibus apertis, omnes eodem tempore prorumpebant: hinc ducta ſimilitudo.

Tethys. Oceani uxor, mater Clymenes. Solem è mari prodire, cum oritur, credebant; aut ex ea cœli parte, quæ mari vicina, & illi conjuncta apparet, cum ſol oritur, occiditve.

Reppulit. Emovit, aperuit.

Facta eſt copia cœli. Liberum, in quo excurrerent, cœlum nacti ſunt.

Euros. Eurus ab Oriente ſpirat.

Cognoſcere. Sentire. Quia tam levi oneri non erant aſſueti. Antea Deum vehebant: nunc hominem, ac puerum. Itaque nullum ſentiebant onus: vacuum putabant eſſe currum.

Quadrijuges. Equi quatuor jugo juncti. Legitur etiam, Quadrijugi.

Tritum ſpatium. Orbitam notam: Eclypticam.

Qua

Ipſe pavet, nec qua commiſſas flectat habenas,
Nec ſcit qua ſit iter: nec, ſi ſciat, imperet illis.
Tum primum radiis gelidi caluere triones;
Et vetito fruſtra tentarunt æquore tingi.
Quæque polo poſita eſt glaciali proxima ſerpens,
Frigore pigra prius, nec formidabilis ulli,
Incaluit, ſumpſitque novas fervoribus iras.
Te quoque turbatum memorant fugiſſe Boote,
Quamvis tardus eras, & te tua plauſtra tenebant.
Ut verò ſummo deſpexit ab æthere terras
Infelix Phaethon, penitus penituſque jacentes;
Palluit, & ſubito genua intremuere timore,
Suntque oculis tenebræ per tantum lumen obortæ:
Et jam mallet equos numquam tetigiſſe paternos,
Jam cognoſſe genus piget, & valuiſſe rogando:
Jam Meropis dici cupiens, ita fertur, ut acta
Præcipiti pinus Borea, cui victa remiſit

Qua flectat. Quam in partem flectat.

Imperet. Poteſt equis imperare.

Triones. Stellæ ſunt ſeptem circa polum Arcticum, ita diſpoſitæ, ut plauſtrum à bobus tractum exhibeant. Lib. I. num. 3. Abſunt longius à ſole, ac proinde à calore; tunc primum illum ſenſerunt, curru ſolis ad eos accedente, præter morem.

Et vetito. Stellæ circa polum poſitæ, numquam iis, qui polum ſublimem vident, quales ſunt omnes Europæi, occidunt, nec merguntur oceano, in quo, ut diximus, aſtra veteres credebant occidere.

Tentarunt. Ut calorem inſolitum fugerent.

Frigore. Veneno frigido.

Fervoribus. Serpentes æſtu fiunt ſæviores. Virg. 3. Georg.

Boote. Bootes ſignum eſt cœleſte, vicinum illis ſtellis quas Septemtriones, ſive Plauſtrum appellant, adeò ut videatur plauſtrum agitare, & urgere. Hinc ductum nomen *Boötes*, *boum agitator*.

Tardus. Sidera polo proxima tardius moventur, quia breviorem circulum conficiunt circa ipſum polum.

Jacentes. Depreſſas, profundas.

Per tantum lumen. Nimio lumine oculi caligant, ac perſtringuntur.

Genus. Suam originem.

Valuiſſe. Impetraſſe quod petebat.

Meropis dici. Filius Meropis appellari. Vide finem primi libri.

Pinus. Navis ex arboribus compacta.

Fræna. Gubernaculum, quo naves reguntur, ut equi frænis.

Remiſit. Abjecit. Deſeruit.

Quam

Fræna ſuus rector, quam Dis, votiſque reliquit.
Quid faciat? multum cœli poſt terga relictum,
Ante oculos plus eſt: animo metitur utrumque:
Et modo, quos illi fas tum contingere non eſt,
Proſpicit occaſus; interdum reſpicit ortus:
Quidque agat ignarus, ſtupet: & necfræna remittit,
Nec retinere valet: nec nomina novit equorum.
Sparſa quoque in vario paſſim miracula cœlo,
Vaſtarumque videt trepidus ſimulacra ferarum.
Eſt locus, in geminos ubi brachia concavat arcus
Scorpius, & cauda, flexiſque utrimque lacertis,
Porrigit in ſpatium ſignorum membra duorum.
Hunc puer ut nigri madidum ſudore veneni
Vulnera curvata minitantem cuſpide vidit:
Mentis inops, gelida formidine, lora remiſit.
Quæ poſtquam ſummo ſenſere jacentia tergo,
Expatiantur equi; nulloque inhibente per auras
Ignotæ regionis eunt; quaque impetus egit,
Hac ſine lege ruunt, altoque ſub æthere fixis
Incurſant ſtellis, rapiuntque per avia currum:
Et modo ſumma petunt; modo per decliva, viaſque
Præcipites, ſpatio terræ propiore feruntur:
Inferiuſque ſuis fraternos currere Luna
Admiratur equos, combuſtaque nubila fumant.

Quam Dis, &c. Cujus curam Superis permiſit.

Votis. Facile vota concipiuntur à periclitantibus; ad ea decurrunt naufragi, cum ipſos alia remedia deficiunt.

Miracula. Miras ſiderum formas.

Eſt locus. In cœlo, in Zodiaco.

Geminos arcus. Ita ut Scorpii brachia referant gemini arcus figuram.

Scorpius. Unum è ſignis cœleſtibus, Libræ vicinum: ſupra, n. 1. Porrò brachia Scorpii porriguntur paulo longius, & partem anterioris ſigni attingunt: ejuſdem cauda partem ſigni poſterioris occupat. Hinc dicitur ab Ovidio porrigere membra in locum duorum ſignorum.

Curvata cuſpide. Cauda inflexa. Cauda Scorpius ferit.

Expatiantur. Evagantur.

Avia. Loca invia, & non trita.

Decliva. Declivia, prona.

Inferius. Luna multo propior terræ, quam Sol, eſt.

Mon-

V.

Montes flammis corripiuntur.

Corripitur flammis ut quæque altiſſima tellus,
Fiſſaque agit rimas, & ſuccis aret ademptis.
Pabula caneſcunt: cum frondibus uritur arbor:
Materiamque ſuo præbet ſeges arida damno.
Parva queror: magnæ pereunt cum mœnibus urbes:
Cumque ſuis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt: ſilvæ cum montibus ardent:
Ardet Athos, Tauruſque Cilix, & Tmolus, & Oete,
Et tum ſicca, prius celeberrima fontibus, Ide;
Virgineuſque Helicon, & nondum Oeagrius Hæmus,
Ardet in immenſum geminatis ignibus Ætna,
Parnaſſuſque biceps, & Eryx, & Cynthus, & Othrys,
Et tandem nivibus Rhodope caritura, Mimaſque.

Ut quæque altiſſima, Quanto eſt altior, tanto citius uritur.

Succis ademptis. Humore conſumpto.

Aret. Exareſcit.

Caneſcunt. Amiſſa viriditate, pallidum colorem induunt.

Damno ſuo. Incendio, quo abſumitur.

Cum ſuis populis, *&c.* In una gente multi ſunt populi. Sic in Italia veteri erant Lucani, Samnites, Brutii, Ligures, &c.

Athos. Mons Macedoniæ, *Monte Santo*: Taurus, & Tmolus, Aſiæ; Oeta, Theſſaliæ; Ida, Phrygiæ; & Cretæ; quæ proprio quodam epitheto prædicatur ab Homero πολυπίδαξ, hoc eſt, fontibus abundans. Helicon Bœotiæ, Muſis virginibus ſacer; hinc virgineus hic appellantur; Hæmus, Thraciæ. Nondum, inquit Vates, vocabatur Oeagrius, quia id nominis adeptus non eſt, niſi cum, longo poſt tempore, in eo diſcerptus eſt à Mænadibus Orpheus, Oeagri filius. Vide Lib. XI. num. I. 2.

Ætna. Mons Siciliæ, *Il Mongibello*, ignes vomens, qui tunc (ait Vates) geminati, ſeu duplicati fuerunt.

Parnaſſus. Mons Phocidis. Lib. I. num. XI.

Biceps. Qui duos habet vertices, Cyrrham Apollini, Niſam, Baccho, ſacram.

Eryx. Mons Siciliæ, Veneri Sacer: Cynthus, Deli: Othrys, Theſſaliæ: Mimas, Thraciæ, & Aſiæ minoris: Rhodope, Thraciæ, nivibus coopertus, quas tunc amiſit.

Dira

Dindymaque, & Mycale, natuſque ad ſacra Cithæron:
Nec proſunt Scythiæ ſua frigora: Caucaſus ardet,
Oſſaque cum Pindo, majorque ambobus Olympus,
Aeriæque Alpes, & nubifer Apenninus.
Tunc verò Phaethon cunctis è partibus orbem
Aſpicit accenſum, nec tantos ſuſtinet æſtus:
Ferventeſque auras, velut è fornace profunda,
Ore trahit; curruſque ſuos candeſcere ſentit,
Et neque jam cineres, ejectatamque favillam
Ferre poteſt; calidoque involvitur undique fumo:
Quoque erat, aut ubi ſit, picea caligine tectus
Neſcit, & arbitrio volucrum raptatur equorum.
Sanguine tum credunt in corpora ſumma vocato
Æthiopum populos nigrum traxiſſe colorem.
Tum facta eſt Libye, raptis humoribus æſtu,
Arida: tum Nymphæ paſſis fonteſque, lacuſque,
Deflevere comis: quærit Bœotia Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas undas.

Dindyma. Mons Phrygiæ, ſacer Cybele. Eſt pluralis numeri: rectus ſingularis, Dyndimus. Mycale, oppidum & mons Cariæ: Cithæron, Bœotiæ, *Il monte di Thives*.

Ad ſacra. Bacchi, in eo celebrari ſolita.

Scythiæ. Eſt regio Europæ, ad Septemtrionem, perfrigida.

Caucaſus. Mons Aſiæ: *Il Cocas*; Oſſa, Pindus, Olympus, Theſſaliæ: Lib. I. nu. 9. Alpes Galliam, & Germaniam, ab Italia ſeparant: Apenninus hanc pervadit ab occaſu, & ſeptemtrione in ortum & meridiem; *L'Apennino*. *Aeria*. Altiſſimæ.

Candeſcere. Deflagrare.

Favillam ejectatam. Calidos cineres undique prorumpentes.

Vocato. Educto, vi caloris, ex imo corpore in vultum.

Æthiopum. Æthiopes partem Africæ interioris obtinent, verſus Auſtrum.

Libye. Africæ Pars, arenoſa & ſicca: ad Boream & occaſum. *Paſſis*. Sparſis.

Lacus, fontes. Perditos, exhauſtos.

Dircen. Dirce, fons Bœotiæ, Amymone, fons Achajæ, propè urbem Argos.

Ephyre. Corinthus: illi Pirene fons vicinus eſt.

Flu-

V I.

Flumina, & maria exareſcunt.

Nec ſortita loco diſtantes flumina ripas
Tuta manent: mediis Tanais fumavit in undis,
Peneuſque ſenex, Teuthrantheuſque Caycus,
Et celer Iſmenos, cum Phocaico Erymantho,
Arſuruſque iterum Xanthus, flavuſque Lycormas,
Quique recurvatis ludit Mæander in undis,
Mygdoniuſque Melas, & Tænarius Eurotas.
Arſit & Euphrates Babylonius; arſit Orontes,
Thermodonque citus, Gangeſque & Phaſis, & Iſter.
Æſtuat Alpheus: ripæ Sperchiades ardent:
Quodque ſuo Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum.
Et quæ Mæonias celebrabant carmine ripas.

Nec ſortita... Nec flumina non exareſcunt, quæ ſortita ſunt ripas loco diſtantes: id eſt, à Zona torrida remotas.

Tanais. Fluvius Sarmatiæ Europææ, *La Tana*, inter Aſiam & Europam: Peneus, Theſſaliæ: Caycus, Aſiæ minoris: ubi eſt regio Theutrantia: Iſmenus, Bœotiæ. Erymanthus, Phocidis hìc eſſe dicitur: Erymanthum tamen Plinius Lib. 4. c. 6. docet eſſe fluvium Arcadiæ. Hoc ſi eſt ita, non convenit epithetum *Phocaico*, nam Phocis in Arcadia non eſt, immò neque in Peloponneſo. Itaque doctis quibuſdam videtur legendum, *Pſophaico*, Pſophis enim, urbs Arcadię, præter quam fluebat Erymanthus: quæ urbs pariter eſt Erymanthus appellata.

Xanthus. Fluvius Troadis, quem in bello Trojano deflagraſſe Homerus canit, Lib. XXI. Hinc arſurus iterum dicitur. *Lo Scamandro*.

Lycormas. Fluvius Ætoliæ; hodie *Fidari*: Mæander, Phrygiæ, ſinuoſo curſu errans, hodie *Mindre*. Melas, Mygdoniæ: Eurotas, Laconiæ, propè Tænarum promontorium. Ultima ſyllaba producitur in *Tanarius*, propter cæſuram, ut loquuntur poetæ.

Euphrates. Fluvius, Babylonem alluens: Orontes flumen eſt Syriæ, *Farfar*: Thermodon, Cappadociæ, nunc *Pormon*: Ganges, Indiæ: Phaſis, Colchidis: Iſter, Germaniæ, *Il Danubio*: Alpheus, Elidis; Sperchius, Theſſaliæ: Tagus, Hiſpaniæ; *Il Tago*, aureas arenas volvere jactatus.

Celebrabant. Celebres reddebant. Cycnorum cantus, præſertim morientium, celebratur apud veteres poetas.

Cayſ-

Fluminеæ volucres medio caluere Cayſtro.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet: oſtia ſeptem
Pulverulenta vacant, ſeptem ſine flumine valles.
Sors eadem Iſmarios Hebrum cum Strymone ſiccat,
Heſperioſq; amnes, Rhenum, Rhodanumq; Padumq;
Cuique fuit rerum promiſſa potentia, Tibrim.
Diſſilit omne ſolum, penetratque in Tartara rimis
Lumen, & infernum terret cum conjuge regem.
Et mare contrahitur, ſiccæque eſt campus arenæ
Quod modo pontus erat, quoſq; altum texerat æquor
Exiſtunt montes, & ſparſas Cycladas augent.
Ima petunt piſces: nec ſe ſuper æquora curvi
Tollere conſuetas audent delphines in auras.
Corpora phocarum ſummo reſupina profundo
Exanimata jacent: ipſum quoque Nerea fama eſt,
Doridaque, & natas, tepidis latuiſſe ſub undis.
Ter Neptunus aquis cum torvo brachia vultu
Exſerere auſus erat, ter non tulit aeris ignes.

Cayſtro Cayſter, *Caraſou*, fluvius Lydiæ, quæ olim dicta eſt Mæonia.

Fluminеæ volucres. Cycni, Cayſtro innantes.

Nilus. Ægypti fluvius, cujus fontes & origo diu latuerunt. Septem oſtiis in mare procurrit, quæ tunc exaruere.

Vacant. Vacua ſunt: carent aqua.

Sors eadem &c. Eodem incendio ſiccari ſunt duo Thraciæ fluvii, Hebrus, *La Mariza*; & Strymon, *Stromona*. Iſmarios vocat, ideſt, Thracios, à monte Thraciæ Iſmaro. Strymon tamen in Macedonia vulgo collocatur.

Heſperios. Occidentales. Heſpero ſubjectos. Lib. I. n. 3. Rhodanus Galliæ fluvius: *Le Roſne*. Rhenus. *Il Rheno*, inter Galliam & Germaniam fluit; Padus Italiæ ſuperioris partem rigat: Tiberis Roma gaudet, mundi principe.

Promiſſa. Virg. I. Æneid. *His ego nec metas rerum, nec tempora pono.*

Diſſilit. Finditur.

Regem. Plutonem.

Conjuge. Proſerpina.

Exiſtunt. Emergunt, qui ſub aquis antea latebant: & augent numerum Cycladum.

Cycladas. Cyclades vocantur multæ minores inſulæ, inſtar totidem ſcopulorum, aut montium, in mari Ægypto, in orbem diſpoſitæ, *κύκλος*, *orbis*, *circulus*.

Sparſas. Huc illuc temerè diſperſas.

Phocarum. Vituli marini phocæ vulgo appellantur. Vide Lib. I. ubi etiam facta mentio de Nereo, Doride, & Nereidibus.

Tellus

VII.

Tellus de Orbis exitio expoſtulat cum Jove.

Alma tamen Tellus, ut erat circumdata ponto,
Inter aquas pelagi, contractoſque undique fontes,
Qui ſe condiderant in opacæ viſcera matris :
Suſtulit omniferos, collo tenus, arida vultus;
Oppoſuitque manum fronti, magnoque tremore
Omnia concutiens, paulum ſubſedit, & infra
Quam ſolet eſſe, fuit; ſacraque ita voce locuta eſt:
Si placet hoc, meruique, quid o tua fulmina ceſſant
Summe Deum? liceat perituræ viribus ignis,
Igne perire tuo, clademque auctore levare.
Vix equidem fauces hæc ipſa in verba reſolvo :
(Preſſerat ora vapor) toſtos en aſpice crines;
Inque oculis fumum; volitant ſuper ora favillæ.
Hoſne mihi fructus? hunc fertilitatis honorem,
Officiique, refers? quod adunci vulnera aratri,
Raſtrorumque fero, totoque exerceor anno?
Quod pecori frondes, alimentaque mitia fruges
Humano generi, vobis quoque thura, miniſtro?
Sed tamen exitium fac me meruiſſe: quid undæ?
Quid meruit frater? cur illi tradita ſorte
Æquora decreſcunt, & ab æthere longius abſunt?

Alma tamen. Tellus loqui utcumque potuit, quia in mediis aquis erat, ac rigata fontibus.

Contractos. Congregatos, congeſtos.

Omniferos. Omnia producentes, & ferentes.

Oppoſuit &c. Ut ſolent, quibus ignis, aut nimia lux, præſtringit oculos.

Subſedit. Se demiſit : ut à calore abeſſet longius, & commodius loqueretur.

Sacra voce. Quippe Dea, & quidem antiquiſſima, & maxima, ut fingebant.

Si placet hoc. Nempe, me perdere.

Si merui. Si rea ſum, ſi perire merui.

Liceat &c. Si mihi pereundum eſt igne; da, ut fulmine tuo peream. Levior erit clades, quam Jovis manus intulerit; cui ſumma rerum poteſtas. *Reſolvo*. Aperio.

Fructus. Pręmia, mercedē.

Refers. Reddis. Sic me remuneras?

Fruges. Frumenta, fructus.

Frater. Neptunus; tuus frater. Poteſt etiam dici

D ter-

Quod ſi nec fratris, nec te mea gratia tangit:
At cœli miſerere tui: circumſpice, utrimque
Fumat uterque polus, quos ſi violaverit ignis,
Atria veſtra ruent: Atlas en ipſe laborat,
Vixque ſuis humeris candentem ſuſtinet axem,
Si freta, ſi terræ pereunt, ſi regia cœli,
In chaos antiquum confundimur: eripe flammis,
Si quid adhuc ſupereſt, & rerum conſule ſummæ.
Dixerat hæc Tellus: neque enim tolerare vaporem
Ulterius potuit, nec dicere plura; ſuumque
Rettulit os in ſe, propioraque Manibus antra.

terræ frater: amborum enim Saturnus pater.
Quos. Ambos polos.
Atria. Lib. I. num. 7.
Atlas. Mons Mauritaniæ; ejus olim rex cœlum ſuſtinere humeris creditus, ob aſtrologiæ cognitionem. Quomodò in montem mutatus, leges Libro IV. num. 9.

Candentem. Flagrantem.
Confundimur. Omnia brevi redibunt in priſcum chaos. Lib. I. n. 1.
Rerum ſummæ. Mundo ruenti.
In ſe. In ſuum ſinum: in latentes cavernas.
Manibus. Inferis, ubi Manes, ſive animæ mortuorum. Lib. I. n. 16.

VIII.

Phaeton fulmine percutitur. Ejus tumulus & elogium tumulo inſcriptum.

At pater omnipotens, Superos teſtatus, & ipſum,
Qui dederat currus, niſi opem ferat, omnia fato
Interitura gravi, ſummam petit arduus arcem:
Unde ſolet nubes latis inducere terris,
Unde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.
Sed neque, quas poſſet terris inducere, nubes
Tunc habuit: nec quos cœlo demitteret imbres.
Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure

Superos teſtatur. Teſtes appellans; ac docens, omnia eſſe peritura, niſi tanto malo mederetur.
Ipſum. Phœbum.
Imbres. Quibus incendium extingueret: quippe pluvias, nubeſque, æſtus conſumpſerat.
Dextra ab aure. Geſtum eorum, qui vibrant aliquid, expreſſit; tum, moris eſt

Miſit in aurigam ; pariterque animaque , rotiſque
Exuit , & ſævis compeſcuit ignibus ignes.
Conſternantur equi , & ſaltu in contraria verſo ,
Colla jugo eripiunt , abruptaque lora relinquunt .
Illic fræna jacent , illic temone revulſus
Axis: in hac radii fractarum parte rotarum:
Sparſaque ſunt latè laceri veſtigia currus.
At Phaethon , rutilos flamma populante capillos ,
Volvitur in præceps, longoque per aera tractu
Fertur: ut interdum de cœlo ſtella ſereno,
Etſi non cecidit , potuit cecidiſſe videri.
Quem procul à patria diverſo maximus orbe
Excipit Eridanus , fumantiaque abluit ora.
Najades Heſperiæ trifida fumantia flamma
Corpora dant tumulo: ſignant quoque carmine ſaxum.
Hic ſitus eſt Phaethon , currus auriga paterni:
Quem ſi non tenuit , magnis tamen excidit auſis.

fortunata omnia vocare dextra : ut ſiniſtra dicuntur , quæ infælicia.

Conſternantur . Attoniti corruunt.

Saltu &c. In poſteriorem partem.

In hac &c. Jacent in hac parte radii rotarum.

Populante . Depaſcente : abſumente.

Tractu &c. Ductu , & quaſi filo.

Stella , &c. Exhalationes in aerem ſublatæ, aliquando ignem concipiunt, cœlo ſereno & calido , ac ſpeciem ſtellæ cadentis præſe ferunt: rectè igitur ſubjungit vates , *potuit cecidiſſe videri* . Nam ſi ſtella vera caderet , totum terrarum orbem obrueret , quippe terreno globo major.

Diverſo orbe . In remota terrarum parte . Longè diſtat Italia ab Æthiopia , Phaethontis patria.

Eridanus . Idem qui Padus, Italiæ fluvius.

Najades Heſperiæ . Nymphæ Italæ. Italia vocata eſt olim Heſperia magna . Hiſpania verò , Heſperia ultima : quia utraque regio ſpectat occidentem & Heſperum. Supra , n. 3.

Trifida flamma . Fulmine. Pingitur cum tribus hinc & inde cuſpidibus , ſive radiis. Virg. VIII. Æneid.

Saxum . Tumulum è marmore . Scribitur in quibuſdam codicibus *factum* .

Tenuit . Fœliciter gubernavit.

Excidit magnis auſis . Rem difficilem, & arduam , tentare auſus eſt , quamvis illa non ſucceſſerit . Aliquid eſt rem tantam auſum eſſe.

IX.

Sorores Phaethontis in arbores mutantur: Cycnus in Olorem.

At pater obductos luctu miſerabilis ægro
Condiderat vultus, & (ſi modo credimus unum
Iſſe diem ſine ſole ferunt:) incendia lumen
Præbebant, aliquiſque malo fuit uſus in illo.
At Clymene, poſtquam dixit quæcumque fuerunt
In tantis dicenda malis, lugubris, & amens,
Et laniata ſinus, totum percenſuit orbem:
Exanimes artus primò, mox oſſa requirens.
Repperit oſſa tamen peregrina condita ripa:
Incubuitque loco; nomenque in marmore lectum
Perfudit lacrymis, & aperto pectore ſovit.
Nec minus Heliades lugent, & inania morti
Munera, dant lacrymas, & cæſæ pectora palmis
Non auditurum miſeras Phaetonta querelas
Nocte dieque vocant; adſternunturque ſepulcro.
Luna quater junctis implerat cornibus orbem:
Ille more ſuo (nam morem fecerat uſus)
Plangorem dederant: è queis Phaethuſa, ſororum
Maxima, cum vellet terræ procumbere, queſta eſt
Diriguiſſe pedes, ad quam conata venire
Candida Lampetie, ſubita radice retenta eſt.

Pater. Phœbus.

Obductos. Luctu obſcuratos: mœrore dejectos.

Uſus. Utilitas. Incendia vice ſolis, & diei, functa ſunt.

Percenſuit. Peragravit.

Peregrina ripa. In ripa Eridani, longè à Phaethontis patria remoti.

Incubuit. Abjecit ſe pronam in ripa.

Aperto pectore. Nudato ſinu.

Heliades. Solis filiæ: ſorores Phaethontis, facta vox ab ἥλιος, *Sol*.

Inania morti. Mortuis non profutura.

Adſternuntur. Advolvuntur.

Luna quater &c. Menſes quatuor fluxerant.

Nam morem. Mos, nihil eſt aliud, quàm ejuſdem rei frequens uſus.

E queis. E quibus, Quas inter ſorores.

Terræ procumbere. Humi ſe proſternere, ut plangeret.

Exſta-

Tertia cum crinem manibus laniare pararet;
Avellit frondes: hæc ſtipite crura teneri,
Illa dolet fieri longos ſua brachia ramos.
Dumque ea mirantur, cortex humeroſque manuſque,
Ambit, & exſtabant tantum ora vocantia matrem.
Quid faciat mater? niſi, quo trahit impetus illam,
Huc eat, atque illuc? &, dum licet, oſcula jungat?
Non ſatis eſt, truncis avellere corpora tentat,
Et teneros manibus ramos abrumpit: at inde
Sanguineæ manant, tamquam de vulnere, guttæ.
Parce precor, mater, quæcumque eſt ſaucia clamat:
Parce, precor: noſtrum laceratur in arbore corpus:
Jamque vale, cortex in verba noviſſima venit.
Inde fluunt lacrymæ, ſtillataque ſole rigeſcunt
De ramis electra novis; quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.
Affuit huic monſtro proles Stheneleia Cycnus,
Qui tibi materno quamvis à ſanguine junctus,
Mente tamen, Phaeton, propior fuit; ille relicto
(Nam Ligurum populos, & magnas rexerat urbes)

Exſtabant. Extra corticem: eo nondum obvoluta, ſtabant.

Venit in verba &c. Obduxit cortex os puellæ, vocem ultimam, nempe, *Vale*, pronunciantis.

Inde. Ex illis arboribus.

Stillata. Guttatim manantia.

Rigeſcunt. Durantur, denſantur.

Electra. Succina. Succinum porrò veteres, teſte Plinio (l. XXXVII. c. 3.) putaverunt arboris ſuccum eſſe; hinc nomen ſuccini factum. Hujuſmodi gluten exſudant vulgò pinus, & ceraſi. Illud hodie cenſetur optimum, quod inſtar viſcoſi bituminis, è cautibus littoreis, præſertim in mari Baltico, profluit, ac velut æquoris purgamentum, concreſcit, fluctuum, quibus alluitur, frigore. Lege plura in Plinii loco indicato.

Lucidus amnis. Padus. *Il Po*.

Nuribus. Mulieribus recens nuptis, quæ cultiùs ornantur. Nurus, proprie eſt filii uxor.

Affuit. Præſens fuit.

Huic monſtro. Miræ converſioni Heliadum in arbores, & lacrymarum in ſuccina.

Proles Stheneleia. Stheneli filius.

Qui &c. Quamvis materna (Clymenes) ſtirpe, tuus propinquus foret.

Mente. Benevolentia.

Ligurum. Liguria eſt pars

Imperio, ripas virides, amnemque querelis
Eridanum implerat, ſilvamque ſororibus auctam:
Cum vox eſt tenuata viro, canæque capillos
Diſſimulant plumæ, collumque à pectore longè
Porrigitur, digitoſque ligat junctura rubentes:
Penna latus velat, tenet os ſine acumine roſtrum:
Fit nova Cycnus avis: nec ſe cœloque, Jovique,
Credit, ut injuſtè miſſi memor ignis ab illo:
Stagna petit, patuloſque lacus, ignemque peroſus,
Quæ colat, elegit contraria flumina flammis.

Italiæ ſuperioris circa Padum & Genuam. *La Riviera di Genoa*.

Auctam. Novis arboribus, quæ modò ſorores Phaetontis fuerant.

Tenuata. Imminuta.

Diſſimulant. Tegunt, repræſentant.

Junctura. Pellis quædam latior articulos pedum cycnorum jungit: iis utuntur cycni tamquam palmulis ad natandum.

Sine acumine. Cycnis roſtrum acutum non eſt, ſed curvum & obtuſum.

Quæ colat. Ubi degat. Cycni non ſine cauſa (inquit Tullius. I. Tuſcul.) Apollini dicati ſunt, quòd ab eo divinationem habere videantur, quia prævidentes, quid in morte boni ſit, cum cantu & voluptate moriuntur.

X.

Phœbus à Superis oratus, currum & priſtina munia repetit.

Squalidus intereà genitor Phaethontis, & expers
Ipſe ſui decoris, qualis, cum deficit orbi,
Eſſe ſolet, lucemque odit, ſeque ipſe, diemque,
Datque animum in luctus, & luctibus adjicit iram:
Officiumque negat mundo: Satis, inquit, ab ævi
Sors mea principiis fuit irrequieta; pigetque
Actorum ſine fine mihi, ſine honore, laborum:
Quilibet alter agat portantes lumina currus:

Expers ſui decoris. Solita pulchritudine orbatus.

Lucem odit. Captat ſolitudinem.

Seque ipſe. Se odit: ſibi gravis ipſi ac moleſtus eſt.

Dat animum in luctus. Totum ſe mærori tradit.

Ab ævi principiis. Ab ipſa mundi origine.

Sors mea. Munus, officium.

Ipſe.

Si nemo eſt, omneſque Dei non poſſe fatentur;
Ipſe agat: ut ſaltem, noſtras dum tentat habenas,
Orbatura patres aliquando fulmina ponat:
Tunc ſciet, ignipedum vires expertus equorum,
Non meruiſſe necem, qui non bene rexerit illos.
Talia dicentem circumſtant omnia Solem
Numina: neve velit tenebras inducere rebus,
Supplice voce rogant: miſſos quoque Jupiter ignes
Excuſat, precibuſque minas regaliter addit.
Colligit amentes, & adhuc terrore paventes,
Phœbus equos, ſtimuloque dolens, & verbere ſævit:
Sævit enim: natumque objectat, & imputat illis.

Ipſe. Jupiter.
Rebus. Orbi.
Regaliter. Regio more. Reges minis, & imperio plus utuntur, quam precibus.
Imputat. Illos increpat velut auctores ejus necis: quaſi fuerint in cauſa cur filius ſuus Phaethon perierit.

X I.
Caliſto in urſum mutata.

At pater omnipotens ingentia mœnia cœli
Circuit, & ne quid labefactum viribus ignis
Corruat, explorat: quæ poſtquam firma, ſuique
Roboris eſſe videt: terras, hominumque labores,
Perſpicit: Arcadiæ tamen eſt impenſior illi
Cura ſuæ, fonteſque, & nondum audentia labi
Flumina, reſtituit: dat terræ gramina, frondes
Arboribus: læſaſque jubet revireſcere ſilvas.
Dum redit, itque frequens, in virgine Nonacrina
Hæſit, & accepti caluere ſub oſſibus ignes.
Non erat hujus opus lanam mollire trahendo,
Nec poſitas variare comas: ubi fibula veſtem,

Sui roboris eſſe. Priſtinas vires obtinere.
Labores. Strages ab incendio illatas.
Arcadiæ ſuæ. In qua natus ferebatur. Vulgò tamen Creta patria Jovis dicitur.
Nonacrina. Arcadica. Lib. I. num. 18.
Hæſit. Oculos & animum defixit.
Non erat &c. Hæc virgo non tractabat colum. Lana dum trahitur, leneſcit, ac deducitur.
Poſitas. Compoſitas, digeſtas. Legitur etiam *poſitu*, id eſt, vario ordine, & ornatu.
Variare. Componere, con-

Vitta coercuerat neglectos alba capillos,
Et modo leve manu jaculum, modo ſumpſerat arcum.
Miles erat Phœbes: nec Mænalon attigit ulla
Gratior hac Triviæ. Sed nulla potentia longa eſt:
Ulterius medio ſpatium ſol altus habebat:
Cum ſubit illa nemus, quod nulla ceciderat ætas.
Exuit hic humero pharetram, lentoſque retendit
Arcus: inque ſolo, quod texerat herba, jacebat:
Et pictam poſita pharetram cervice premebat.
Ecce ſuo comitata choro Dictynna per altum
Mænalon ingrediens, & cæde ſuperba ferarum,
Aſpicit hanc, viſamque vocat; clamata refugit.
Heu quam difficile eſt crimen non prodere vultu!
Vix oculos attollit humo: nec, ut ante ſolebat,
Juncta Deæ lateri, nec toto eſt agmine prima;
Sed ſilet, & læſi dat ſigna rubore pudoris.
I procul hinc, dixit, nec ſacros pollue fontes,
Cynthia: deque ſuo juſſit ſecedere cœtu.
Senſerat hoc olim magni matrona Tonantis:

cinnare. Sunt qui ſcribant *verſare*.

Ubi &c. Statim atque adſtrinxerat veſtes rudi fibula, & vitta candida crines; cum ſumpſerat jaculum, tunc venabatur, ac venaticam exercebat militiam.

Leve. Politum.

Miles Phœbes. Venatrix Dianæ, & ſocia.

Mænalon. Mænalus, mons Arcadiæ. Lib. I. n. 9.

Triviæ. Dianæ. Lib. VII. nu. 2. & 5. Hæc triviis præerat, qua triplici cum vultu pingebatur: eſt autem trivium locus, in quem tres viæ concurrunt.

Potentia. Virtus.

Ulterius medio &c. Sol percurrebat ſpatium illud in cœlo, quod ultra meridiem, ultra medium cœlum eſt: vergebat in occaſum.

Ceciderat. Secuerat.

Lentos. Flexibiles.

Retendit. Remiſit. Laxavit.

Suo. Nympharum.

Comitata. Patiendi ſignificationem habet comitor, hoc in loco.

Cincta. Stipata.

Dictynna. Diana. Sic vocatur à voce Græca *δίκτυ*, quæ rete ſignificat. Retia ſæpe in ſilvis ad captandas feras adhibentur.

Hanc. Caliſtonem.

Refugit. Conſcia ſibi pudoris erepti à Jove.

Fontes. Quò ibat, ut lavaret, cum nymphis.

Sacros. Suum fontibus inerat numen.

Cynthia. Diana, à Cyntho, inſulæ Deli, ubi nata eſt, monte, ſic dicta.

Senſerat. Jam dudum ſuſpica-

Diſtuleratque graves in idonea tempora pœnas.
Cauſa moræ nulla eſt: & jam puer Arcas (idipſum
Indoluit Juno) fuerat de pellice natus.
Quo ſimul obvertit ſævam cum lumine mentem;
Scilicet hoc etiam reſtabat, adultera, dixit,
Ut fœcunda fores, fieretque injuria partu
Nota, Joviſque mei teſtatum dedecus eſſet.
Haud impune feres: adimam tibi namque figuram,
Qua tibi, quaque places noſtro importuna marito.
Dixit: & adverſa prenſis à fronte capillis
Stravit humi pronam. Tendebat brachia ſupplex:
Brachia cœperunt nigris horreſcere villis,
Curvarique manus; & aduncos creſcere in ungues,
Officioque pedum fungi, laudataque quondam
Ora Jovi, lato fieri deformia rictu.
Neve preces animos, & verba precantia flectant,
Poſſe loqui eripitur: vox iracunda, minaſque,
Plenaque terroris rauco de gutture fertur:
Mens antiqua tamen facta quoque manſit in urſa;
Aſſiduoque ſuos gemitu teſtata dolores,
Qualeſcumque manus ad cœlum, & ſidera, tollit:
Ingratumque Jovem nequeat cum dicere, ſentit.
Ah quoties ſola non auſa quieſcere ſilva,
Ante domum, quondamque ſuis erravit in agris!
Ah quoties per ſaxa canum latratibus acta eſt;
Venatrixque metu venantum territa fugit!
Sæpe feris latuit viſis, oblita quid eſſet;

picata erat Juno Jovis flagitium.
Cauſa moræ nulla eſt. Non eſt cur ampliùs differat ſupplicium, quod in Caliſtonem meditabatur, nata ſcilicet prole.
Quo ſimul, &c. In quem puerum ubi oculos, & iram. Juno vertit.
Teſtatum. Manifeſtum.
Tibi. Tibi places.
A fronte adverſa, Ab anteriori capitis parte.
Pronam. Ore in terram verſo.
Jovi. A Jove.
Mens. Ratio.
Qualeſcumque. Ferinas, quæ impropriè dicuntur manus.
Nequeat. Quia vox adempta.
Venatrix. Ipſa olim venatrix.
Quid eſſet. Oblita ſe quoque

Urſaque conſpectos in montibus horruit urſos:
Pertimuitque lupos: quamvis pater eſſet in illis.

que feram eſſe.
Pater. Lycaon, Caliſtonis pater, mutatus in lupum. Lib. 1. num. 9.
In illis eſſet. Eſſet inter lupos.

XII.

Caliſto inter ſidera, cum Arcade filio, reponitur à Jove.

Ecce Lycaoniæ proles ignara parentis
Arcas adeſt, ter quinque ferens natalibus annos.
Dumque feras ſequitur, dum ſaltus eligit aptos,
Nexilibuſque plagis ſilvas Erymanthidas ambit:
Incidit in matrem, quæ reſtitit Arcade viſo,
Et cognoſcenti ſimilis fuit: ille refugit,
Immotoſque oculos in ſe ſine fine tenentem
Neſcius extimuit, propiuſque accedere fugit
Vulnifico fuerat fixurus pectora telo:
Arcuit Omnipotens: pariterque, ipſoſque, nefaſq;
Suſtulit, & celeri raptos per inania vento
Impoſuit cœlo, vicinaque ſidera fecit.
Intumuit Juno, poſtquam inter ſidera pellex

Lycaoniæ parentis. Matris ſuæ Caliſtonis, quæ Lycaonis filia.
Proles ignara. Arcas, filius Caliſtonis, ignorans matrem in urſam fuiſſe mutatam.
Adeſt. Prodit in ſilvam, venandi ſtudio.
Ter quinque, &c. Annos quindecim natus: ter quinquies numerans natales ſuos.
Ferens &c. Heinſius, veterum codicum fide legit: *Ter quinque ferè natalibus actis*.
Nexilibus plagis. Retibus intextis.
Erymanthidas. Erymanthus, mons Arcadiæ.
Arcuit. Impedivit.
Ipſos ſuſtulit. Ambos in cœlum evexit.
Nefas ſuſtulit. Parricidium, quod erat Arcas commiſurus, prohibuit.
Per inania. Per vacuum aerem.
Vicina. Urſa major eſt propè polum: nec abeſt longe Arcas, ſive Arctophylax: cœleſte item ſignum: quaſi dicas, Urſæ cuſtos, ab ἄρκτος & φυλάττω.
Intumuit. Indignè tulit.

Fulſit, & ad canam deſcendit in æquora Tethyn,
Oceanumque ſenem, quorum reverentia movit
Sæpe Deos; cauſamque viæ ſcitantibus inſit:
Quæritis æthereis quare regina Deorum
Sedibus huc adſim: pro me tenet altera cœlum.
Mentiar, obſcurum niſi cum nox fecerit orbem,
Nuper honoratas ſummo, mea vulnera, cœlo
Videritis ſtellas illic, ubi circulus axem
Ultimus extremum, ſpatioque breviſſimus, ambit.
Eſt verò, cur quis Junonem lædere nolit?
Offenſamque tremat? quæ proſum ſola nocendo.
O ego quantum egi, quàm vaſta potentia noſtra eſt!
Eſſe hominem vetui, facta eſt Dea: ſic ego pœnas
Sontibus impono: ſic eſt mea magna poteſtas.
Vindicet antiquam faciem; vultuſque ferinos
Detrahat: Argolica quod in ante Phoronide fecit:
Cur non & pulſa ducit Junone? meoque
Collocat in thalamo? ſocerumque Lycaona ſumit?

Canam. Valdè vetulam: quippe Junonis olim nutricem.

Quorum reverentia, &c. Qui magno in honore ſunt apud Superos: ita ut in Thetyos, & Oceani gratiam multa præſtent.

Pro me. Meo loco.

Nuper honoratas. A Jove nuper inter ſidera ſummo cum honore collocatas.

Mea vulnera. Meum dedecus.

Circulus ultimus. Polaris. Lib. 1. num. 3.

Eſt verò, &c. Ecquis erit prætereà, qui me lædere pertimeſcat?

Offenſam. Læſam timeat,

Quæ proſum . . . . Sola ſum inter Superos, quæ cum volo nocere alicui, tunc maximam illi utilitatem affero. Tunc proſum, cum obſum. Juvat à me damnum aliquod capere, unde major utilitas in capientem redundet.

Eſſe hominem vetui. Eripui formam hominis Caliſtoni.

Vndicet. Reſtituat Jupiter Caliſtoni faciem humanam. Ironica conceſſio.

Phoronide. Vide Lib. I. num. 18. 19.

Ducit. Sumit illam uxorem.

Lycaona. Patrem Caliſtonis, Lib. I. num. 9.

At vos ſi læſæ tangit contemptus alumnæ:
Gurgite cæruleo ſeptem prohibete Triones.

Alumnæ. Mei, quæ à vobis educata ſum.
Gurgite. Æquore.
Triones. Explicui ſupra, num. 4. numquam æquore merguntur hæc aſtra, quia numquam ſub Horizonte noſtro latent, cauſam veram attuli nu. 3. & 4. hujus libri. Hanc iſtius fabulæ originem Palephatus prodit. Caliſto venatrix urſam inſequens, & in ejus cubile ingreſſa penitùs, ab illa devorata eſt. Exivit deinde urſa, nec deinceps apparuit Caliſto. Eam in urſam fuiſſe mutatam comites crediderunt.

XIII.

Corvus ex albo, niger.

Di maris annuerant: habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pavonibus æthera pictis:
Tam nuper pictis cæſo pavonibus Argo:
Quam tu nuper eras, cum candidus ante fuiſſes,
Corve loquax, ſubito nigrantes verſus in alas.
Nam fuit hæc quondam niveis argentea pennis
Ales; ut æquaret totas ſine labe columbas,
Nec ſervaturis vigili Capitolia voce.
Cederet anſeribus, nec amanti flumina cycno.
Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci,

Di Maris. Oceanus & Thetys.
Annuerant. Poſtquam Junonis precibus annuerunt.
Saturnia. Juno, Saturni filia.
Pictis. Quorum caudæ ſunt variis coloribus picturatæ.
Tam nuper &c. Quemadmodum haud ita pridem pavonum cauda variis coloribus fuerat picta, propter oculos Argi perempti, illi inſertos: ſic haud ita pridem tu, o corve, nigras alas habere cœperas, qui prius candidis utebare.
Argo. Lib. I. num. 18.
Ut æquaret, *&c.* Adeo ut corvus par eſſet puris, & candidis ab omni parte columbis, anſeribus, & cycnis.
Servaturis &c. Galli Senones Romam obſederant anno ejus conditæ 364. & noctu capitolium aſcendebant, excubiis ſomno oppreſſis. Detecti ſunt clangore anſerum, & repulſi. Livius, lib. V. Virgil. Lib. VIII. ſub finem.
Lingua faciente. Lingua loquaci hanc illi mutationem

Qui color albus erat, nunc eſt contrarius albo.
Pulchrior in tota, quam Lariſſæa Coronis
Non fuit Æmonia: placuit tibi, Delphice: ſenſit
Ales adulterium Phœbeius; atque latentem
Detexit culpam. Delapſa eſt laurea Phœbo,
Et pariter vultuſque Deo, plectrumque, colorque,
Fxcidit: utque animus tumida fervebat ab ira,
Indevitato trajecit pectora telo.
Icta dedit gemitum: tractoque à vulnere ferro,
Candida puniceo perfudit membra cruore,
Et dixit: Potui pœnas tibi, Phœbe, dediſſe;
Sed peperiſſe prius: duo nunc moriemur in una.
Hactenus: & pariter vitam cum ſanguine fudit,
Corpus inane animæ frigus letale ſecutum eſt.
Pœnitet heu ſero pœnæ crudelis amantem:
Seque, quod audierit, quod ſic exarſerit, odit:
Odit avem; per quam crimen, cauſamque dolendi
Scire coactus erat, necnon arcumque, manumque,
Odit, cumque manu, temeraria tela, ſagittas:
Collapſamque fovet, feraque ope vincere fata

nem afferente. Cauſam dedit ejus loquacitas, cur colorem albo contrarium ſumpſerit.

Lariſſæa. Nata Lariſſæ; eſt urbs Theſſaliæ.

Æmonia. Theſſalia.

Delphice. Apollo, qui Delphis colebatur. Lib. I. n. 14. X. 4. XV. 13.

Phœbejus. Corvus Phœbo erat ſacer, quia multa auguria, & vaticinia, ſumebantur è volatu corvorum, cantuque. Phœbus autem auguriis præerat.

Adulterium. Coronidis, ab alio amatæ, quam à Phœbo, cui adulterum indicavit corvus.

Delapſa eſt. Cecidit è capite Phœbi corona laurea, poſtquam crimen Coronidis audivit.

Vultus excidit. Mutatus eſt, obducto mærore: palluit, incanduit.

Plectrum. Inſtrumentum, quo nervi citharæ percutiuntur. Lib. V. n. 4.

Indevitato. Certo. Quod vitari non potuit.

Icta. Coronis percuſſa.

Tractoque ... Et extrahens telum de plaga.

Potui, &c. Potuiſti me punire, fateor: at poteras expectare dum peperiſſem, neque me ſimul, ac fetum perdere.

Hactenus. Subaudi, locuta eſt. Plura non dixit.

Amantem. Phœbum.

Audierit. Crimen Coronidis, corvo indice.

Vincere fata. Necem prohibere.

Qua

Nititur, & medicas exercet inaniter artes.
Quæ poſtquam fruſtra tentata rogumque parari
Vidit, & arſuros ſupremis ignibus artus:
Dum vero gemitus (neque enim cœleſtia tingi
Ora licet lacrymis) alto de corde petitos
Edidit: haud aliter, quam cum, ſpectante juvenca,
Lactentis vituli dextra libratus ab aure
Tempora diſcuſſit claro cava malleus ictu.
Sed Phœbus natum flammis, uteroque parentis
Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum:
Sperantemque ſibi non falſæ præmia linguæ,
Inter aves albas vetuit conſiſtere corvum.

Quæ poſtquam &c. Ubi fruſtra tentavit omnia, ut illam ſervaret.
Juvenca. Vitula, matre vituli.
Tempora cava. Caput.
Dextra ab aure. Vide num. 8.
Diſcuſſit. Contudit, diffidit.
Natum. Æſculapium.
Gemini. Semiferi: dimidia parte hominis, dimidia equi.
Chironis. Centauri, ſupra, num. 2.
Sperantem ſibi. Sibi promittentem ingens præmium indicii dati.
Non falſæ. Veracis.
Inter &c. Nigris avibus adnumeravit.

X I V.

Variæ mutationis Æſculapii, Chironis, & Ocyroes.

Semifer intereà divinæ ſtirpis alumno
Lætus erat: miſtoque oneri gaudebat honore.
Ecce venit rutilis humeros protecta capillis
Filia Centauri, quam quomdam nympha Chariclo,

Semifer. Chiron. Suprà num. 13.
Alumno. Æſculapio: Phœbi, ex Coronide, filio.
Oneri. Labori, quem in educando puero ſumebat. Honoris ducebat educare filium Apollinis, etſi honor ille aliquid oneris admixtum haberet.
Protecta. Cooperta: tectos habens humeros capillis.
Centauri. Chironis: quam è nympha Chariclone ſuſceperat. Manuſcripti quidam codices habent *Nympha Cayci*. Eſt Caycus, Aſiæ minoris fluvius: Sed à Theſſalia, ubi degebat Chiron, remotior.

Ocy-

Fluminis in rapidi ripis enixa, vocavit
Ocyroen. Non hæc artes contenta paternas
Edidiciſſe fuit; fatorum arcana canebat.
Ergo, ubi vaticinos concepit mente furores,
Incaluitque Deo, quem clauſum pectore habebat.
Aſpicit infantem: Totique ſalutifer orbi
Creſce, puer; dixit: tibi ſe mortalia ſæpe
Corpora debebunt: animas tibi reddere ademptas
Fas erit: idque ſemel Dis indignantibus auſus,
Poſſe dare hoc iterum flamma prohibebere avita:
Eque Deo corpus fies exangue: Deuſque,
Qui modo corpus eras; & bis tua fata novabis.
Tu quoque, chare pater, non jam mortalis, & ævis
Omnibus ut maneas, naſcendi lege creatus,
Poſſe mori cupies tum, cum cruciabere diræ

Ocyroen. Ab ὠκὺς, celer; & ῥέω, fluo.

Artes paternas. Muſicam, & medicinam.

Incaluitque Deo. Afflata eſt vaticinio ſpiritu: à Phœbo concitata. Lege initium libri VI. Æneidos, ubi de Sibylla fit mentio.

Infantem. Æſculapium.

Se. Valetudinem ſibi reſtitutam: vitam.

Ademptas. Egreſſas corpore, ſublatas morte.

Idque ſemel, &c. Cum id auſus aliquando fueris, nempe animam reſtituere mortuo: cum Hippolytum, iratis Superis, revocaveris ad vitam: impedieris quominus idipſum altera vice facias, & fulmine percutieris. Fulmen vocat *flammam avitam*, quia Jupiter avus erat Æſculapii. Is enim Phœbi filius: Phœbus Jovis. Plura de Hippolyto leges lib. XV. num. 11. De Æſculapio, num. 13. & 14. ejuſdem Libri.

Eque Deo &c. Quamvis Deus, morieris tamen: rurſumque ad vitam excitatus, fies rurſum Deus, & bis novabis fata, id eſt bis vitam accipies: bis ejus curſum inſtaurabis: ſemel ab ortu; iterum cum extinctus fulmine, reviviſces, & in cœlum migrabis.

Corpus eras. Homo, obnoxius morti.

Pater. Chiron.

Non jam &c. Qui modò es immortalis, & creatus ea naſcendi lege, ea originis, & vitæ conditione, ut ævis omnibus dures, ut nullo tempore intereas, tamen optabis mortem, & impetrabis.

Tum &c. Chiron Herculem hoſpitio excepit: ejuſque ſagittas, hydræ cruore, & veneno immedicabili, tinctas, cum tractaret, una è manibus lapſa, pedem nudum tetigit, ac tantis Chironem affecit doloribus ut Deorum miſeratione mors ei conceſſa fuerit. Poſt mor-

Sanguine ſerpentis per ſaucia membra recepto:
Teque ex æterno patientem numina mortis
Efficient: tripliceſque Deæ tua fila reſolvent.
Reſtabat fatis aliquid; ſuſpirat ab imis
Pectoribus, lacrymæque genis labuntur obortæ,
Atque ita, prævertunt, inquit, mea fata, vetorque
Plura loqui, vociſque meæ præcluditur uſus.
Non fuerant artes tanti, quæ numinis iram
Contraxere mihi: mallem neſciſſe futura.
Jam mihi ſubduci facies humana videtur:
Jam cibus herba placet, jam latis currere campis
Impetus eſt: in equam, cognataque pectora vertor.
Tota tamen quare? pater eſt mihi nempe biformis.
Talia dicenti pars eſt extrema querelæ
Intellecta parum, confuſaque verba fuerunt.
Mox nec verba quidem, nec equæ ſonus ille videtur,
Sed ſimulantis equam, parvoque in tempore certos
Edidit hinnitus, & brachia movit in herbas.
Tum digiti coeunt, & quinos alligat ungues

mortem in ſidera eſt relatus. Locum obtinet in Zodiaco, & Arcitenens, ſive Sagittarius, appellatur.

Serpentis. Hydræ, quam in Lerna palude Hercules interfecit.

Ex æterno. Ex immortali.

Patientem mortis. Mortalem. Ordo verborum eſt, teque Numina efficient, ex æterno, mortis patientem.

Triplices Deæ. Parcæ.

Tua fila. Stamina tuæ vitæ, ac fatale filum, ſecabunt: Morieris.

Reſtabat &c. Aliquid dicendum illi reſtabat, è fatis quæ canere incæperat.

Prævertunt. Occupant me, antevertunt: obſunt, ne loquar plura.

Mea. Quibus decretum eſt, ut in feram vertar; iratoſque Deos experiar, quia indicata mihi futura, liberiùs aperui.

Non fuerant &c. Ars vaticinandi tanti æſtimanda non erat, ut iratos mihi propter illam Superos haberem; minus mihi lucri & honoris attulit, quam exitii.

Contraxere. Comparavere. *Subduci*. Auferri.

Cognata. Quia ejus pater Chiron Centaurus, equus erat, ſaltem dimidia corporis parte.

Tota &c. Cur tamen tota in feram mutor? ac non dimidia ſaltem parte mei (ut pater) homo ſum?

Biformis. Humanam, & equinam, habens formam.

Coeunt. Simul junguntur pedum ac manuum digiti quinque; & in ungulam coaleſcunt.

Per-

Perpetuo cornu levis ungula : creſcit & oris ,
Et colli ſpatium: longæ pars maxima pallæ
Cauda fit: utque vagi crines per colla jacebant ,
In dextras abiere jubas, pariterque novata eſt
Et vox , & facies ; nomen quoque monſtra dederunt.

Perpetuo . Non interrup. to: non diviſo . *Pallæ* . Veſtes oblongæ . *Nomen &c.* Appellatam ajunt Evippen : quæ vox Græca ſignificat elegantem equam : Eὖ *bene* ὖ ἵππος , *equa:* Igitur prodigioſa hæc mutatio nomen illi novum peperit.

X V.

Battus in lapidem mutatus.

Flebat, opemque tuam fruſtra Philyreius heros,
Delphice, poſcebat: nam nec reſcindere magni
Juſſa Jovis poteras: nec, ſi reſcindere poſſes ,
Tunc aderas: Elim , Meſſeniaque arva , colebas ,
Illud erat tempus, quo te paſtoria pellis
Texit , onuſque fuit baculum ſilveſtre ſiniſtræ;
Alterius , diſpar è ſeptem fiſtula cannis.
Dumque amor eſt curæ, dum te tua fiſtula mulcet,
Incuſtoditæ Pylios memorantur in agros

Flebat . Filiam amiſſam , & male mutatam . *Philyreius heros* . Chiron , Saturni , & Philyræ , filius . *Delphice* . Apollo Lib. I. num. 14. *Juſſa Jovis*. Qui Ocyroen mutaverat in equam , indignè ferens , quòd fatorum arcana vulgaſſet . *Elim* . Elis , urbs Peloponneſi : Meſſenia , ejuſdem regio . *Illud &c.* Hoc evenit eo tempore , quo eras paſtor . Apollo iratus Jovi , quòd Æſculapium fulmine percuſſiſſet , iram in Cyclopas , fulminis fabricatores , effudit , eorumque plurimos interfecit . Ob id flagitium à Jove privatus eſt divinitate per annum integrum & pulſus cœlo . Delapſus in terras operam locavit Admeto , regi Theſſaliæ , ne periret fame , ejuſque boves pavit . *Onus &c.* Baculum agreſte manu ſiniſtra : dextra verò fiſtulam gerebas . *Alterius* . Manus alterius , nempe dextræ , onus erat fiſtula . *Pylios agros* . Pylus , Meſſeniæ in Græcia , civitas , Neſtoris patria .

At-

Proceſſiſſe boves: videt has Atlantide Maja
Natus, & arte ſua ſilvis occultat abactas.
Senſerat hoc furtum nemo, niſi natus in illo
Rure ſenex: Battum vicinia tota vocabat.
Divitis hic ſaltus, herboſaque paſqua Nelei,
Nobiliumque greges cuſtos ſervabat equarum.
Hunc timuit, blandaque manu ſeduxit, & illi,
Quiſquis es, hoſpes, ait, ſi forte armenta requiret
Hæc aliquis, vidiſſe nega: neu gratia facto
Nulla rependatur, nitidam cape præmia vaccam;
Et dedit: accepta, voces has reddidit hoſpes:
Tutus eas; lapis iſte prius tua furta loquetur:
Et lapidem oſtendit. Simulat Jove natus abire:
Mox redit, & verſa pariter cum voce figura,
Ruſtice, vidiſti ſi quas hoc limite, dixit,
Ire boves, fer opem, furtoque ſilentia deme:
Juncta ſuo pariter dabitur tibi fœmina tauro.
At ſenior, poſtquam eſt merces geminata, ſub illis
Montibus, inquit, erant; & erant ſub montibus illis.
Riſit Atlantiades, &, me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait: perjuraque pectora vertit

Atlantide. Atlantis filia.

Natus. Mercurius, Majæ filius. Lib. I. II. 18.

Arte ſua. Furandi.

Abactas. Abductas. Horat. Lib. I. Od. quæ ab his verbis incipit: *Mercuri facunde*, *&c.* Conſule Appendicem.

Nelei. Neleus, Pyli rex, Neſtoris pater.

Nobilium. Regiarum: regalis armenti.

Timuit. Ne furtum proderet.

Seduxit. Blandiendo abduxit in locum ab arbitris remotum.

Neu gratia &c. Utque me gratum, & memorem, ſentias.

Hoſpes. Sæpe accipitur hoſpes pro ignoto, & peregrino.

Tutus eas. Quieſce: confide.

Hoc limite. Per hanc viam.

Furto ſilentia deme. Noli furtum cognitum ſilere: indica.

Juncta ſuo &c. Taurum & vaccam pro mercede indicii capies.

Erant, *&c.* Ex ea repetitione venuſtiſſima datum volunt ſermonis vitio in venuſtiſſimo nomen, quod appellatur Battologia, id eſt inepta vocis ejuſdem iteratio.

Atlantiades. Mercurius, Atlantis nepos.

In-

In durum ſilicem, qui nunc quoque dicitur index:
Inque nihil merito vetus eſt infamia ſaxo.

Index. Id nominis habet lapis, quo utuntur aurifices ad aurum probandum: coticula quoque, & lapis Lydius, appellatur.

Nihil merito. Nomen Index, inquit Ovidius, ignominioſum eſt, quia impoſitum fuit propter perfidiam indicis Batti: & jure inditum illi ſaxo in quod mutatus eſt Battus: at lapides cæteri huic primo ſimiles qui nunc quoq; indices vocantur, nihil commiſere, cur hac nominis ignominia notarentur.

XVI.

Mercurius Herſen viſam deperit.

Hinc ſe ſuſtulerat paribus Caducifer alis:
Munychioſque volans agros, gratamque Minervæ
Deſpectabat humum, cultique arbuſta Lycei.
Illa forte die caſtæ de more puellæ
Vertice ſuppoſito feſtas in Palladis arces
Pura coronatis portabant ſacra caniſtris.
Inde revertentes Deus aſpicit ales, iterque

Hinc. Ex Elide, & Meſſenia.

Caducifer. Mercurius. Caduceus, bacillum eſt, quod hinc inde amplectuntur angues duo, inſertis, tranſductiſque decuſſatim, in ſumma bacilli parte capitibus; caudis in ima: cætero corpore in hemicyclum circa mediam virgam utrimque circumfuſo. Originem caducei lege in Appendice, cap. 8. Dictum à cadendo volunt, quod ejus ope, cadant ac dirimantur bella.

Munychios. Atticos. Munychia, promontorium Atticæ.

Minervæ. Minerva præſidebat Athenis.

Deſpectabat. E ſummo aere cernebat.

Lycei. Lyceum, locus Athenis amænus erat, arboribus conſitus, in quo deambulans Ariſtoteles philoſophiam docebat: unde vocati Peripatetici: à Lyco, Pandionis filio, nomen habuiſſe fertur.

Arces Palladis. Athenas; Templum Minervæ.

Sacras, &c. Tunc fortè agebatur feſtus Minervę dies, quo ſacrorum ſupellectilem ferebant puellæ nobiles in ciſtis, ſeu caniſtris, capiti impoſitis: Hinc feſtum ipſum vocabatur Κανηφόρια, quaſi diceres, Caniſtrorum tranſvectio.

Coronatis. Erant ciſtæ corollis floreis redimitæ.

D:us ales. Mercurius

Lib.

Non agit in rectum, ſed in orbem curvat eumdem:
Ut volucris viſis rapidiſſima milvius extis,
Dum timet, & denſi circumſtant ſacra miniſtri,
Flectitur in gyrum; nec longius audet abire,
Spemque ſuam motis avidus circumvolat alis:
Sic ſuper Actæas agilis Cyllenius arces
Inclinat curſus, & eaſdem circinat auras.
Quanto ſplendidor, quam cætera ſidera, fulget
Lucifer, & quanto, quam Lucifer, aurea Phœbe,
Tanto virginibus præſtantior omnibus Herſe
Ibat: eratque decus pompæ, comitumque ſuarum.
Obſtupuit forma Jove natus, & æthere pendens
Non ſecus exarſit, quam cum balearica plumbum
Funda jacit: volat illuc, & incandeſcit eundo,
Et quos non habuit, ſub nubibus invenit ignes.
Vertit iter, cœloque petit diverſa relicto:
Nec ſe diſſimulat; tanta eſt fiducia formæ.
Quæ quamquam juſta eſt, cura tamen adjuvat illam:

Lib. I. num. 28.

In orbem. In gyrum.

Extis. Viſcer.bus pecudum immolatarum.

Spem ſuam. Exta, quæ vorare ardet.

Acteas. Atticas. Lib. I. num. II.

Circinat. In orbem circumvolat.

Lucifer. Stella veneris, ſolem præcedens, cæteris lucidior. Supra, n. 3.

Phœbe. Quanto Luna lucifero eſt ſplendidior.

Herſe. Filia Cecropis, regis Athenienſium.

Balearica. Baleares inſulæ duæ ſunt, ad Orientem Hiſpaniæ, nunc *Majorca*, & *Minorca*. Earum incolæ funda plurimum, & ſcite, utebantur.

Plumbum. Glandem plumbeam.

Incandeſcit. Deflagrat: ignem concipit: liqueſcit.

Invenit. Motus celerrimus ignem affert corporibus, quia illorum partes vehementer agitat: ex illa agitatione exiſtit calor, è calore ignis.

Vertit iter. Athenas petit, viamque illuc à cœlo, in quod ſe refercbat, flectit.

Petit diverſa. Viam diverſam init: in terram deſcendit, non revolat in cœlum.

Nec ſe diſſimulat. Eſſe Mercurium. Non adſciſcit formam alienam.

Tanta &c. Adeo putat ſe non deformem eſſe: confidit ſe ore ſuo, & forma, placiturum.

Juſta. Bona: elegans.

Adjuvat. Auget.

Per-

Permulcetque comas, clamydemque ut pendeat apte,
Collocat; ut limbus, totumque appareat aurum:
Ut teres in dextra, qua ſomnos ducit, & arcet,
Virga ſit, ut terſi niteant talaria plantis.
Aſpicit hunc oculis iiſdem, quibus abdita nuper
Viderat Aglauros flavæ ſecreta Minervæ:
Vertit ad hanc torvi Dea bellica luminis orbes:

Permulcet. Pectit, componit.
Ut pendeat apte. Ut ab utroque humero æqualiter, & concinne pendeat.
Limbus. Fimbria aurea.
Virga. Caduceus.
Ducit. Inducit: conciliat.
Talaria. Lib.I. num.18.
Hunc. Mercurium.
Iiſdem. Nempe curioſis: explorans quorſum adeſſet, quid ſibi vellet.
Aglauros. Cecropis filia, ſoror Herſes.
Secreta Minervæ. Curioſos oculos arcebant Minervæ ſacra. Hinc irata Pallas Aglauro.
Ad hanc. Aglauron. Huic Minerva infenſa fecit ut invideret ſorori ſuæ Herſæ conjugium Mercurii, eumque tectis excludere conaretur. Quo facto iratus Mercurius Aglaurum in lapidem mutavit.
Dea bellica. Pallas, belli æque, ac litterarum præſes.

XVII.

Pallas Invidiæ domum petit.

Protinus Invidiæ nigro ſqualentia tabo
Tecta petit. Domus eſt imis in vallibus antri
Abdita, ſole carens, non ulli pervia vento,
Triſtis, & ignavi pleniſſima frigoris; & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.
Huc ubi pervenit bello metuenda virago:
Conſtitit ante domum (neque enim ſuccedere tectis
Fas habet) & poſtes extrema cuſpide pulſat.
Concuſſæ patuere fores. Videt intus edentem

Tabo. Proprie tabum eſt ſanguis concretus: ſanies: Hic ſitum, & pædorem, ſignificat.
Petit. Pallas. Ut ulciſcatur Aglauron, quæ arcana vetita conſpexerat. Supra, nu.16.
Virago. Pallas, Dea bellatrix. Virgo, animum gerens virilem.
Neq; enim. Non cadit in Superos invidia, quippe felices, ac nullius egentes rei.
Cuſpide. Haſta.

Pa.

Vipereas carnes, vitiorum alimenta ſuorum,
Invidiam, viſaque oculos avertit: at illa
Surgit humo pigre, ſemeſarumque relinquit
Corpora ſerpentum, paſſuque incedit inerti.
Utque Deam vidit, formaque, armiſque decoram,
Ingemuit, vultumque Deæ ad ſuſpiria duxit.
Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto:
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno:
Riſus abeſt; niſi quem viſi movere dolores:
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo,
Succeſſus hominum, carpitque, & carpitur una,
Suppliciumq; ſuum eſt. Quamvis tamen oderat illam:
Talibus affata eſt breviter Tritonia dictis:
Infice tabe tua natarum Cecropis unam;
Sic opus eſt: Aglauros ea eſt. Haud plura locuta
Fugit, & impreſſa tellurem reppulit haſta.
Illa Deam obliquo fugientem lumine cernens
Murmura parva dedit, ſucceſſurumque Minervæ
Indoluit, baculumque capit, quem ſpinea tortum
Vincula cingebat, adopertaque nubibus atris

Vitiorum, &c. Veneno Invidia paſcitur: immò in venenum vertit omnia.

Semeſarum. Dimidia parte comeſarum.

Vultuque &c. Duxit ſuſpiria ad Deæ vultum: videns lætam, doluit. Vel: Fecit ut Dea vultum ſuſpirantis indueret: ut ſuſpiraret.

Nuſquam recta acies. Oculi ſemper obliqui. Invidi limis aſpiciunt omnia.

Virent. Color fellis eſt e viridi, & flavo, mixtus.

Ingratos ſucceſſus. Inviſos: qui ipſi non placent. Beatis enim invidetur.

Carpit. Vellicat, accuſat.

Carpitur. Angitur: mæret.

Tritonia. Pallas; id nominis habet vel à Tritonide palude, ad quam eſt nata: vel, quia è cerebro Jovis prodiiſſe fingitur. Græca vox Τρυτὼ caput ſonat.

Impreſſa. Incuſſa.

Reppulit. Percuſſit, quaſi inviſam: vel potius ut ſe ſublimēto tolleret, haſta nitēs.

Parva murmura. Mulſant crebro invidi, ac taciti commurmurant. Legitur etiam, *rauca murmura*.

Succeſſorum. Fælicitatis. Dicitur ſucceſſa ſucceſſorum, declinationis ſecundæ licet vulgo ſit quartæ. Sic dicimus eventa, & eventus: effecta, & effectus. Porro eſt in genitivo, quia ſubauditur Greco more particula,

cau-

Quacumque ingreditur, florentia poterit arva;
Exuritque herbas, & ſumma papavera carpit;
Afflatuque ſuo populos, urbeſque, domoſque,
Polluit, & tandem Tritonida conſpicit arcem,
Ingeniiſque, opibuſque, & feſta pace, virentem:
Vixque tenet lacrymas, quia nil lacrymabile cernit.

cauſa, vel *gratia:* Succeſſorum cauſa: propter ſucceſſum, & felicitatem Minervæ, doluit. Legit Heinſius: *Succeſſurumque Minervæ Indoluit*. Doluit rem ſucceſſuram Palladi: eum habituram exitum quem optabat Minerva, negotium bene eventurum ægre tulit.

Summa papavera carpit. Decutit, quaſi dolens ea caput altius efferre. Reſpicit Ovidius factum Tarquinii Superbi, qui ut ſignificaret Gabiorum proceres è medio tollendos eſse, ſumma papaverum capita baculo decuſſit. Liv. lib. I.

Tritonida. Athenienſem.

Virentem. Florentem: Tritonidi, ſeu Palladi, charam.

XVIII.

Invidia vexat Aglaurum, quæ in lapidem à Mercurio transformatur.

Sed poſtquam thalamos intravit Cecrope natæ:
Juſſa facit, pectuſque manu ferrugine tincta
Tangit, & hamatis præcordia ſentibus implet:
Inſpiratque nocens virum, piceumque per oſſa
Diſſipat, & medio ſpargit pulmone, venenum.
Neve mali cauſæ ſpatium per latius errent;
Germanam ante oculos, fortunatumque ſororis
Conjugium, pulchraque Deum ſub imagine ponit:

Cecrope natæ. Aglauri.

Juſſa facit. Mandata Palladis exequitur.

Ferrugine. Nigricante manu, quaſi ferrugine imbuta. Ferrugo, eſt rubigo ferri. Hæc ut ferrum: ſic invidia animum exedit.

Hamatis. Uncinatis: acutis: hamus, eſt uncinus ferreus, quo piſces trahuntur.

Neve mali &c. Ac ne longius cauſæ doloris, & invidiæ abſint, ne longius Aglauros quærat lugendi materiam, Invidia ponit illi ob oculos ſororem Herſen, beandam conjugio Mercurii.

Pulchra ſub imagine. Ut Filium

Cumċtaque magna facit; quibus irritata, dolore
Cecropis occulto mordetur, & anxia noċte,
Anxia luce gemit; lentaque miſerrima tabe
Liquitur, ut glacies incerto ſaucia ſole:
Feliciſque bonis aliter non utitur Herſes,
Quam cum ſpinoſis ignis ſupponitur herbis,
Quæ neque dant flammas, lenique tepore cremantur.
Sæpe mori voluit, ne quicquam tale videret;
Sæpe, velut crimen, rigido narrare parenti:
Denique in adverſo venientem limine ſedit
Excluſura Deum: cui blandimenta, preceſque,
Verbaque jaċtanti mitiſſima: Deſine, dixit,
Hinc ego me non ſum, niſi te, motura, repulſo.
Stemus, ait, paċto velox Cyllenius iſto:
Cœleſtique fores virga patefecit: at illi
Surgere conanti, partes, quaſcumque ſedendo
Fleċtimus, ignava nequeunt gravitate moveri.
Illa quidem pugnat reċto ſe attollere trunco;
Sed genuum junċtura riget, friguſque per ungues
Labitur, & pallent amiſſo ſanguine venæ.
Utque malum late ſolet immedicabile cancer
Serpere, & illæſas vitiatis addere partes:

lium Jovis, Deum eloquentiæ, &c. ipſi depingit.

Cecropis. Aglauros. Cecropis, Cecropidis.

Mordetur. Cruciatur.

Tabe. Phthiſi, languore, macie.

Liquitur. Conſumitur.

Incerto Sole. Nubibus reċto, debili. Certus enim & liquidus ſol glaciem ſubito ſolveret.

Aliter non uritur. Legit Heinſius: *Non ſecus uritur*.

Quæ &c. Quæ ſpinæ herbis admixtæ, non vividum emittunt ignem, ſed fumoſum, & humidum potius vaporem.

Ne quiſquam &c. Ne ſororis cum Mercurio conjugium cerneret.

Parenti. Cecropi. Apud eum accuſare Herſen, velut pellicem Mercurii.

In adverſo &c. In janua oppoſita Mercurio accedenti. Sedit in limine adverſo, excluſura venientem Deum.

Stemus. Accipio conditionem, ait Mercurius. Ita ſit, uti dicis: non te movebis inde.

Virga. Caduceo.

Illi. Aglauro.

Partes &c. Summa femora.

Reċto trunco. Ereċto corpore.

Vitiatis. Corruptis, depaſtis,

paſtis ,

Sic letalis hiems paulatim in pectora venit;
Vitaleſque vias, & reſpiramina clauſit.
Nec conata loqui eſt: nec, ſi conata fuiſſet,
Vocis habebat iter: ſaxum jam colla tenebat.
Oraque duruerant, ſignumque exſangue ſedebat.
Nec lapis albus erat: ſua mens infecerat illam.

paſtis.
Letalis hiems. Mortiferum frigus.
Signum. Statua.
Sua mens. Invida.
Infecerat. Nigro colore ſuffuderat. Mentis nigra improbitas in lapidem redundavit.

XIX.

Jupiter tauri formam induit.

Has ubi verborum pœnas, mentiſque profanæ
Cepit Atlantiades: dictas à Pallade terras
Linquit, & ingreditur jactatis æthera pennis.
Sevocat hunc genitor: nec cauſam faſſus amoris,
Fide miniſter, ait, juſſorum, nate, meorum,
Pelle moram, ſolitoque celer delabere curſu,
Quæque tuam matrem tellus à parte ſiniſtra

Verborum. Quæ Aglauros protulerat, negans abituram ſeſe, niſi Mercurio expulſo.
Atlantiades. Nepos Atlantis. Mercurius.
A Pallade dictas. Atticam: Athenas, Minerva, quæ Athenas condidit, à Græcia Ἀθηνᾶ vocatur.
Sevocat. Seorſum vocat.
Tuam Matrem &c. Pete Phœnicen, quæ tellus à ſiniſtra parte jacet iis, qui tuam matrem ſuſpiciunt. Mercurii mater eſt Maia, una è Plejadibus: illæ ſtellæ ſunt in Tauro, quod ſignum in Zodiaco eſt, & in Zona torrida. Porrò qui Zonam torridam, & Meridiem ſuſpicit ex Attica, ubi tunc erat Mercurius, habet Phœnicen, & Aſiam, à ſiniſtra; Europam verò à dextra. De Maja vide Lib. I. nu 18. Quid, ſi per *tuam matrem* intelligamus ipſam Arcadiam Mercurii patriam, ubi Maja, ejus mater, degebat? Id ſi placet, ſenſus erit, pete illam terram, quæ Arcadiam à parte ſiniſtra videt. Qui enim hinc Phœnicen, inde Arcadiam aſpicit, vultu ad ſeptemtrionem converſo, habet Arcadiam à læva, Phœnicen à dextra. Porrò id ſemper obſervatur in tabulis geographicis, accuratè

Suſpicit (indigenæ Sidonida nomine dicunt)
Hanc pete: quodque procul montano gramine paſci
Armentum regale vides, ad littora verte.
Dixit, & expulſi jamdudum monte juvenci
Littora juſſa petunt, ubi magni filia regis
Ludere, virginibus Tyriis comitata, ſolebat.
Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur,
Majeſtas, & amor: ſceptri gravitate relicta,
Ille pater, rectorque Deum, cui dextra triſulcis
Ignibus armata eſt, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, miſtuſque juvencis
Mugit, & in teneris formoſus obambulat herbis.
Quippe color nivis eſt, quam nec veſtigia duri
Calcavere pedis, nec ſolvit aquaticus Auſter.
Colla toris exſtant: armis palearia pendent:
Cornua parva quidem, ſed quæ contendere poſſes
Facta manu, puraque magis perlucida gemma:
Nullæ in fronte minæ: nec formidabile lumen:

deſcriptis, (niſi res & locus aliter cogat) ut ſeptemtrio ſit in ſumma tabulæ parte, meridies in ima, oriens à dextra, occidens à ſiniſtra. Supra, n. 3. Arcadia ſic eſt ad occidentem, & lævam, Phœnices.

Indigenæ. Incolæ, in ipſa regione nati.

Sidonida. Phœnicia hic appellatur Sidonis, ſive tellus Sidonia, quia ibi eſt Sidon (*Seyde*), emporium celebre.

Verte. Perducito.

Jamdudum. Adeò celeriter Mercurius mandata Jovis peregerat.

Filia. Europe.

Regis. Agenoris: regis Phœnices.

Tyriis. Tyrus, ejuſdem Phœniciæ civitas eſt.

Triſulcis ignibus. Fulminibus.

Quam. Quam nivem non calcaverunt petulci pedes: primam nivem Martialis vocat Lib. VII.

Solvit. Nix liquefacta nigreſcit.

Aquaticus. Pluvius: humidus.

Toris. Tori vocantur partes carnoſæ colli, brachiorum, &c. ait igitur collum iſtius tauri non vaſta mole carnis oppreſſum, & obſtipum eſſe, at expeditum, ſubrectum, gracile. Vel, exſtant toris, eſt, eminent ob toros: ut canit Virgilius III. Georg. de equo: *Luxuriatque toris animoſum pectus*.

Armis. Ab humeris.

Palearia. Ita vocantur quædam vacuæ pelles, quæ, inſtar ſacci, pendent è collo boum, quaſi pellearia.

Fal-

Pacem vultus habet. Miratur Agenore nata
Quod tam formoſus, quod prælia nulla minetur.
Sed, quamvis mitem, metuit contingere primo:
Mox adit, & flores ad candida porrigit ora.
Qui nunc alludit, viridique exſultat in herba:
Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis:
Paulatimque metu dempto, modo pectora præbet
Virginea plaudenda manu; modo cornua ſertis
Impedienda novis: auſa eſt quoque regia virgo,
Neſcia quem premeret, tergo conſidere tauri.
Tum Deus à terra, ſiccoque à littore ſenſim
Falſa pedum primis veſtigia ponit in undis:
Inde abit ulterius, mediique per æquora ponti
Fert prædam: pavet hæc, littuſque ablata relictum
Reſpicit, & dextra cornu tenet; altera dorſo
Impoſita eſt: tremulæ ſinuantur flamine veſtes.

Falſa. Mentita, ſimulata.
Altera. Manus.
Sinuantur. Vento diſtenduntur, ac diffunduntur. Huic fabulæ dedit occaſionem navis, cujus inſigne, ac nomen, Taurus erat: qua Jupiter, Cretæ rex, Agenoris filiam è Phœnice deportaſſe traditur.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER TERTIUS.

SYNOPSIS.

DRaconis dentes mutantur in milites : Actæon in cervum : Narciſſus in florem : Echo in vocem : Nautæ in delphines : Tireſias cæcus & vates : Bacchi ſacra : Pentheus diſcerptus.

I.

Cadmus Thebas condit. Ejus comites à dracone perimuntur.

JAmque Deus poſita fallacis imagine tauri,
Se confeſſus erat, Dictæaque rura tenebat:
Cum pater ignarus, raptam perquirere Cadmo
Imperat, & pœnam, ſi non invenerit, addit
Exilium, facto pius, & ſceleratus eodem.
Orbe pererrato (quis enim deprehendere poſſet
Furta Jovis?) profugus, patriamque iramque parentis
Vitat Agenorides: Phœbique oracula ſupplex
Conſulit, & quæ ſit tellus habitanda requirit.
Bos tibi, Phœbus ait, ſolis occurret in arvis,

Deus. Jupiter.

Se confeſſus erat. Se Jovem eſſe denunciaverat: & Europen devexerat in Cretam.

Dictæa. Cretenſia. Dicte mons Cretæ.

Pater. Agenor, Phœniciæ rex, Europes & Cadmi pater.

Ignarus raptam. Neſciens raptam à Jove Europam.

Facto &c. Pius, qui filiam perquiri juſſerit: ſceleratus, qui exilium filio, niſi eam reperiret, indixerit.

Furta. Adulteria.

Profugus. Exul, ſorore non inventa.

Patriam. Phœnicen. Eſt regio Syriæ maritima, propè Palæſtinam, in Aſia.

Agenorides. Cadmus.

Habitanda. Sibi.

Solis. Incultis: non habitatis.

Bac-

Nullum paſſa jugum, curvique immunis aratri:
Hac duce carpe vias, & qua requieverit herba,
Mœnia fac condas, Bœotiaque illa vocato.
Vix bene Caſtalio Cadmus deſcenderat antro:
Incuſtoditam lente videt ire juvencam,
Nullum ſervitii ſignum cervice gerentem:
Subſequitur, preſſoque legit veſtigia greſſu;
Auctoremque viæ Phœbum taciturnus adorat.
Jam vada Cephiſi, Panopeſque evaſerat arva:
Bos ſtetit, & tollens ſpecioſam cornibus altis
Ad cœlum frontem, mugitibus impulit auras.
Atque ita, reſpiciens comites ſua terga ſequentes,
Procubuit, teneraque latus ſubmiſit in herba.
Cadmus agit grates, peregrinæque oſcula terræ
Figit, & ignotos montes, agroſque ſalutat.
Sacra Jovi facturus erat: jubet ire miniſtros,
Et petere è vivis libandas fontibus undas.
Silva vetus ſtabat, nulla violata ſecuri,
Et ſpecus in medio, virgis ac vimine denſus,
Efficiens humilem lapidum compagibus arcum,
Uberibus fœcundus aquis; ubi conditus antro
Martius anguis erat, criſtis præſignis, & auro:

Bœotia. Quaſi à bove ſumpto nomine, quod in Græco vocabulo magis apparet: Βοιώτιος, à Βȣ̃ς βοὸς.

Caſtalio. Fons Caſtalicus eſt in Parnaſſo. Ibi Apollinem Cadmus conſuluerat.

Servitii. Aratri.

Preſſo. Tardiore, tacito.

Auctorem viæ. Cujus hortatu, & juſſu, iter illud erat ingreſſus.

Cephiſi. Fluvii Bœotiæ. *Ceſiſo*.

Panopes. Panope, urbs Phocidis.

Stetit. Conſtitit.

Comites. Cadmum cum ſociis.

Agit grates . . . Phœbo. Jovi deinde, tamquam Deorum principi, ſacra facit.

Peregrinæque &c. Mos erat, ut qui primum aliquam regionem ingrederentur, eam religioſè ſalutarent: idque quoniam ſuum cuique loco Genium præeſſe arbitrabantur.

Miniſtros. Sacrificii.

Libandas. Effundendas humi, in Jovis honorem. Libare, eſt leviter deguſtare, aut attingere: itē ſacrificare.

Virgis. Virgultis.

Vimine. Lentis ſalicum ramis.

Lapidum compagibus. Saxis inter ſe junctis arcuatim.

Martius. Marti ſacer, bellicoſus.

Criſtis & auro. Criſtis in mo-

Digitized by Google

Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno,
Treſque micant linguæ, triplici ſtant ordine dentes.
Quem poſtquam Tyria lucum de gente profecti
Infauſto tetigere gradu, demiſſaque in undas
Urna dedit ſonitum, longo caput extulit antro
Cæruleus ſerpens, horrendaque ſibila miſit.
Effluxere undæ manibus, ſanguiſque reliquit
Corpus, & attonitos ſubitus tremor occupat artus.
Ille volubilibus ſquamoſos nexibus orbes
Torquet: & immenſos ſaltu ſinuatur in arcus,
Ac media plus parte leves erectus in auras,
Deſpicit omne nemus: tantoque eſt corpore, quanto,
Si totum ſpectes, geminas qui ſeparat Arctos.
Nec mora Phœnicas, ſive illi tela parabant,
Sive fugam; ſive ipſe timor prohibebat utrumque
Occupat: hoc morſu, longis complexibus illos,
Hos necat afflatu, funeſta hos tabe veneni.

modum auri micantibus. Pellis in anguium quorumdam capite imitatur criſtas avium.

Treſque micant linguæ. Non quod tres anguibus linguæ ſint: ſed quia linguam tanta celeritate movent, ut triplicem habere videantur. Heinſius legendum cenſet: *Treſque vibrant linguæ*: quo in loco *Vibrant* eſt, moventur, proſiliunt; ſe vibrant; nam pronomen poeticè reticetur.

Quem poſtquam &c. Poſtquam hunc locum, hanc ſilvam ſacram, attigere Cadmi comites, qui de Phœnicia, ubi Tyrus, venerant.

Undæ. Urna, in qua undas hauſerant.

Corpus. Extremas partes corporis, In metu ſanguis, ad cor tutandum, è toto corpore confluit: hinc pedes labant, tremunt manus, vultus ſanguine deſtitutus pallet.

Ille &c. Serpens ſquamis tectum corpus, & in varios orbes involutum, explicat.

Sinuatur. Curvatur. Extra ſpecum aſſiliens, dimidiatos trahit orbes per humum; ita ut partes quædam ventris terram tangant; aliæ fornicatim attollantur.

Qui ſeparat, &c. In ſideribus duæ ſunt Urſæ, altera minor, altera major: ambæ propè polum Arcticum. Inter illas ſerpit Draco, vicinum ſidus.

I I.

Cadmus draconem interficit.

Fecerat exiguas jam ſol altiſſimus umbras:
Quæ mora ſit ſociis miratur Agenore natus,
Veſtigatque viros: tegimen direpta leonis
Pellis erat: telum, ſplendenti lancea ferro,
Et jaculum; teloque animus præſtantior omni.
Ut nemus intravit, letataque corpora vidit,
Victoremque ſupra ſpatioſi corporis hoſtem,
Triſtia ſanguinea lambentem vulnera lingua:
Aut ultor veſtræ, fidiſſima corpora, mortis,
Aut comes, inquit, ero. Dixit, dextraque molarem
Suſtulit, & magnum magno conamine miſit.
Illius impulſu cum turribus ardua celſis
Mœnia mota forent: ſerpens ſine vulnere manſit:
Loricæque modo ſquamis defenſus, & atræ
Duritia pellis, validos cute reppulit ictus.
At non duritia jaculum quoque vicit eadem;
Quod medio lentæ ſpinæ curvamine fixum
Conſtitit: & totum deſcendit in ilia ferrum.
Ille dolore ferox caput in ſua terga retorſit:
Vulneraque aſpexit, fixumque hoſtile momordit:
Idque ubi vi multa partem labefecit in omnem,
Vix tergo eripuit: ferrum tamen oſſibus hæſit.
Tum vero poſtquam ſolitas acceſſit ad iras

Tegimen. Veſtis.
Telum. Ita vocatur genus omne armorum, quod conjicitur: cujuſmodi eſt hìc lancea, & jaculum. Τῆλε, *longè*.
Letata. Leto data, mortua. Vocabulum vetus.
Victorem hoſtem. Draconem.
Supra. Sociorum corpora.
Fidiſſima corpora. O amici fideliſſimi. Mallet Heinſius, *pectora*, & in tertio retro verſu, *ſpatioſi tergoris*, pro, *corporis*.

Molarem. Lapidem prægrandem, inſtar molæ.
Loricæ modo. Squamis defenſus, perinde ac lorica ferrea.
Vicit. Repulit.
Lentæ ſpinæ. Spinam dorſi lentam vocat, hoc eſt, flexibilem, mollibus conſtantem articulis, & commiſſuris, quæ jaculum admiſere.
Labefecit. Emovit, concuſſit.
Solitas. Innatas.

Cauſa recens: plenis tumuerunt guttura venis,
Spumaque peſtiferos circumfluit albida rictus,
Terraque raſa ſonat ſquamis; quique halitus exit
Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras.
Ipſe modo immenſum ſpiris facientibus orbem
Cingitur: interdum longa trabe rectior adſtat
Impete nunc vaſto, ceu concitus imbribus amnis,
Fertur, & obſtantes proturbat pectore ſilvas.
Cedit Agenorides paulum, ſpolioque leonis
Suſtinet incurſus, inſtantiaque ora retardat
Cuſpide prætenta: furit ille, & inania duro
Vulnera dat ferro, figitque in acumine dentes.
Jamque venenifero ſanguis manare palato
Cœperat, & virides aſpergine tinxerat herbas;
Sed leve vulnus erat, quia ſe retrahebat ab ictu,
Læſaque colla dabat retro, plagamque ſedere
Cedendo arcebat, nec longius ire ſinebat.
Donec Agenorides conjectum in guttura ferrum
Uſque ſequens preſſit, dum retro quercus eunti
Obſtitit, & fixa eſt pariter cum robore cervix.
Pondere ſerpentis curvata eſt arbor: & imæ
Parte flagellari gemuit ſua robora caudæ.
Dum ſpatium victor victi conſiderat hoſtis;

Cauſa recens. Novum vulnus: à ferro jaculi, oſſibus hærente.

Rictus. Hiatum oris.

Terra raſa. Humus, per quam ſe volutat, ac repit.

Ipſe modo, &c. Aliquandò totum corpus componit ingentem in orbem, ſpiris evolutis.

Proturbat. Evertit.

Spolio. Objecta leonis pelle, inſtanti reſiſtit.

Suſtinet. Irrumpentem reprimit.

Prætenta cuſpide. Objecta lancea. Ruenti draconi oppoſita.

In acumine. In cuſpide lanceæ.

Leve vulnus. Plaga, quam acceperat à lanceæ cuſpide, in os immiſſa.

Dabat retrò. Retrahebat,

Sedere arcebat. Ne altiùs in gulam penetraret, impediebat.

Uſque ſequens. Eo uſque cuſpidem impellens, donec illam in altum guttur demitteret.

Retro eunti. Serpenti cedenti, & ſe retro ſubducenti.

Flagellari. Sæpe verberari.

Sua robora. Suum truncum.

Spatium. Magnitudinem.

Hoſtis. Serpentis.

Prom-

Vox ſubito audita eſt: neque erat cognoſcere promptum
Unde: ſed audita eſt: Quid, Agenore nate, peremptum
Serpentem ſpectas? & tu ſpectabere ſerpens.
Ille diu pavidus pariter cum mente colorem
Perdiderat, gelidoque comæ terrore rigebant.

Promptum. Facile.
Spectabere ſerpens. Mutaberis in anguem. Vide lib. IV. num. 8.

III.

Draconis dentes in exercitum mutati.

Ecce viri fautrix ſuperas delapſa per auras
Pallas adeſt, motæque jubet ſupponere terræ
Vipereos dentes, populi incrementa futuri:
Paret, &, ut preſſo ſulcum patefecit aratro,
Spargit humi juſſos, mortalia ſemina, dentes.
Inde (fide majus) glebæ cœpere moveri:
Primaque de ſulcis acies apparuit haſtæ;
Tegmina mox capitum picto nutantia cono:
Mox humeri, pectuſque, onerataque brachia telis
Exiſtunt, creſcitque ſeges clypeata virorum.
Sic, ubi tolluntur feſtis aulæa theatris,

Viri fautrix. Cadmi patrona.
Motæ terræ. Aratro ſciſſæ.
Supponere. Mandare. Seminare.
Vipereos dentes. Draconis occiſi.
Incrementa. E quibus dentibus futurum erat, ut naſceretur, & creſceret populus.
Patefecit. Aperuit.
Mortalia ſemina. Homines productura, non fruges.
Fide majus. Quod vix credas.
Acies. Mucro, cuſpis. Primo emicuit acumen jaculi: mox galea, &c.
Cono. Conus, eſt ſumma galeæ pars, in qua criſta infigitur.
Picto. Galearum criſtæ aliud nihil ſunt vulgo, quam pennæ varii coloris, præſertim e ſtruthiocamelo ſumptæ.
Exiſtunt. Emergunt e terra.
Seges. Agmen denſum, inſtar ſegetis.
Feſtis. In quibus ludi celebrantur, ob dies feſtos.
Tolluntur. Eriguntur.

Surgere ſigna ſolent, primumque oſtendere vultus,
Cætera paulatim, placidoque educta tenore
Tota patent, imoque pedes in margine ponunt.
Territus hoſte novo Cadmus capere arma parabat:
Ne cape, de populo, quem terra creaverat, unus
Exclamat, nec te civilibus inſere bellis.
Atque ita terrigenis rigido de fratribus unum
Cominus enſe ferit: jaculo cadit eminus ipſe.
Hic quoque, qui leto dederat, non longius illo
Vivit, & exſpirat, modo quas acceperat, auras.
Exemploque pari furit omnis turba, ſuoque
Marte cadunt ſubiti per mutua vulnera fratres.
Jamque brevis vitæ ſpatium ſortita juventus
Sanguineam tepido plangebat pectore matrem,
Quinque ſuperſtitibus, quorum fuit unus Echion.
Is ſua jecit humi, monitu Tritonidis, arma:
Faternæque fidem pacis petiitque, deditque.

Signa. Effigies hominum in lana texta depictorum. Virgil. III. Georg. verſ. 25.

Placido tenore. Æquali tractu, & lento.

Margine. In ima aulæi ſtantis, & erecti, parte.

Hoſte novo. Exercitu recens è terra nato.

Inſere. Admiſce, interpone.

Atque ita. Ita Cadmum allocutus.

Qui leto dederat. Qui jaculo eminus contorto ſocium interfecerat.

Exſpirat auras. Animam, vitam, exhalat recens acceptam.

Subiti fratres. Modò nati.

Matrem. Terram, unde procreati.

Plangebat. Lamentando percutiebat, cadens moriensque.

Quinque &c. Ita, ut ex illa ſtrage ſupereſſent quinque dumtaxat.

Tritonidis. Palladis. Lib. II. num. 17.

Fidem petiit, &c. A ſuis fratribus pacem, id eſt, vitam, petiit; ac viciſſim dedit; fide mutua, & pactione interpoſita.

Sidonius hoſpes. Cadmus, è Phœnicia, ubi Sidon, profectus.

Juſſam. Phœbo, cujus oraculum conſulerat, imperante. Vide initium libri.

Sor-

Hos operis comites habuit Sidonius hoſpes,
Cum poſuit juſſam Phœbeis ſortibus urbem.

Sortibus. Explicata fuit ea vox Lib. I. num. 12.

Urbem. Thebas, in Gręcia. Eſt alia cognominis, in Ægypto: hæc centum portis inclyta fuit; illa ſeptem. Exiſtimant plerique eruditi, Cadmum revera fuiſſe Sidonis regem, natione Cadmonæum, ſive Hevæum, qui populi montem Hermonem, in Palæſtina, incolebant, à quo uxor Cadmi Hermione fuit appellata. Porrò Cadmus æreis lanceis milites primus armaſſe fertur: vox autem qua Phœnices exprimebant cuſpides æreas, eadem dentes ſerpentis ſignificabat. Hinc datus fortaſſe locus huic fabulæ.

I V.

Actæon à Diana converſus in cervum.

Jam ſtabant Thebæ: poteras jam, Cadme, videri
Exilio fœlix: ſoceri tibi Marſque, Venuſque,
Contigerant: huc adde genus de conjuge tanta,
Tot natos, nataſque, & pignora chara, nepotes:
Hosquoque jam juvenes. Sed ſcilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera, debet.
Prima nepos inter res tot tibi, Cadme, ſecundas

Exilio. Lege primos hujus III. Libri verſus.

Soceri. Cadmus uxorem duxit Hermionem, ſive Harmoniam, Martis, & Veneris filiam.

Genus. Progeniem. Filias quatuor, è conjuge ſuſcepit, Ino, Semelem, Agaven, Autonoen: filium Podonum, ſeu Polydorum.

Nepotes. Ex Ino, quæ nupſit Athamanti, Melicertam, & Learchum: è Semele & Jove, Bacchum: ex Agave, & Echione, Pentheum: ex Autonoe, & Ariſtæo, Actæona.

Juvenes. Ætate florentes.

Sed ſcilicet, &c. Crœſus, Lydorum rex, ab opibus, & fortuna fęlici, vecors, hac ſententia monitus eſt à Solone, ne ſe efferret inſolentius. Idem à Cyro ſubinde victus, captus, & pyræ impoſitus, nomen Solonis, tamquam haud falſi vatis, inclamavit. Cyrus, re cognita, illum exitio liberatum priſtinæ dignitati reſtituiſſe fertur. Herodotus in Clio. Plin. Libr. VII. cap. 40. multa in hanc ſententiam habet.

Nepos. Actæon, genitus Autonoe, filia Cadmi.

Cauſa fuit luctus, alienaque cornua fronti
Addita: voſque canes ſatiati ſanguine herili.
At, bene ſi quæras, fortunæ crimen in illo,
Non ſcelus, invenies: quod enim ſcelus error habebat?
Mons erat infectus variarum cæde ferarum:
Jamque dies medius rerum contraxerat umbras,
Et ſol ex æquo meta diſtabat utraque:
Cum juvenis placido per devia luſtra vagantes
Participes operum compellat Hyantius ore.
Lina madent, comites, ferrumque cruore ferarum,
Fortunæque dies habuit ſatis: altera lucem
Cum croceis invecta rotis Aurora reducet,
Propoſitum repetemus opus: nunc Phœbus utraque
Diſtat idem terra, finditque vaporibus arva:
Siſtite opus præſens, nodoſaque tollite lina.
Juſſa viri faciunt, intermittuntque laborem.
Vallis erat piceis, & acuta denſa cupreſſu,

Aliena. Non convenientia homini. Cervina.

Herili. Actæonis, veſtri heri.

Fortunæ &c. Illius calamitas caſui eſt aſſignanda; non alicui, quod commiſerit, ſceleri. Miſer, non ſceleratus, fuit.

Infectus. Tinctus, maculatus.

Ferarum. Quas Diana interfecerat.

Contraxerat. Umbra decreſcit meridie.

Meta utraque. Ab Oriente, & Occidente.

Luſtra. Latibula ferarum, & cubilia.

Participes operum. Socios venationis.

Hyantius. Thebanus. Thebani, olim Hyantes appellati ſunt. Plin. Libr. III. cap. 7. Actæon erat Thebanus.

Lina. Retia è lino texta.

Madent. Cruore ſunt reſperſa.

Ferrum. Jacula noſtra, venabula.

Fortuna. Fœlicitatis. Satis belle nobis hodie venatio ſucceſſit.

Idem. Subaudi, ſpatium. Idem quippe in genere maſculino producitur.

Terra. Eoa, & occidua. Eſt meridies. Sol pari intervallo ab ortu, & occaſu diſtat. Cum verbo, *diſto*, jungitur ſæpe caſus accuſandi: diſtat iter bidui, tridui, &c.

Siſtite. Interrumpite.

Vaporibus. Æſtu.

Piceis. Picea eſt arbor picem exſtillans.

Acuta. Cupreſſi in longum, & acutum caput creſcunt.

Ne-

Nomine Gargaphie, ſuccinctæ ſacra Dianæ :
Cujus in extremo eſt antrum nemorale receſſu,
Arte laboratum nulla: ſimulaverat artem
Ingenio natura ſuo: nam pumice vivo,
Et levibus tophis, nativum duxerat arcum.
Fons ſonat à dextra, tenui pellucidus unda,
Margine gramineo patulos ſuccinctus hiatus.
Hic Dea ſilvarum, venatu feſſa, ſolebat
Virgineos artus liquido perfundere rore.
Quo poſtquam ſubiit, nympharum tradidit uni
Armigeræ jaculum, pharetramque arcuſque retentos,
Altera depoſitæ ſubjecit brachia pallæ:
Vincla duæ pedibus demunt; Nam doctior illis
Iſmenis Crocale ſparſos per colla capillos
Colligit in nodum; quamvis erat ipſa ſolutis.
Excipiunt laticem Nipheque Hyaleque Rhaniſque,
Et Pſecas, & Phiale, funduntque capacibus urnis.
Dumque ibi perluitur ſolita Titania lympha,
Ecce nepos Cadmi, dilata parte laborum,
Per nemus ignotum non certis paſſibus errans
Pervenit in lucum, ſic illum fata ferebant.

Nemorale. Silvis tectum.
Succinctæ. Ad venationem expeditæ, veſte ſuccincta, altius cincta, ad zonam revocata, & religata.
Pumice. Pumex, lapis ſiccus, & multiforis.
Vivo. Naturali, non adſcito.
Tophis. Tophus, ſaxi genus leve, & variis locis pertuſum.
Succinctus. Clauſus, circumdatus.
Hiatus. Cavum intellige, unde fons proſiliebat.
Retentos. Remiſſos, laxatos.
Subjecit brachia. Veſtem manibus excepit, à Diana depoſitam,
Vincla. Pedum tegmina loris alligata.
Iſmenis. Iſmeni, Bœotiæ fluvii, filia.
Capillos. Dianæ.
Quamvis &c. Nimirum curam dominæ, quàm ſui, potiorem ducens.
Excipiunt. Hauriunt è fonte.
Titania. Diana: Cæi Titanis, neptis. Sol à poetis Titan: luna (quæ eadem ac Diana eſt) Titania quandoque nominatur.
Nepos Cadmi. Actæon.
Dilata, &c. Venatione intermiſſa,

Ut vellet promptas habuiſſe Diana ſagittas;
Quas habuit, ſic hauſit aquas; vultumque virilem
Perfudit, ſpargenſque comas ultricibus undis,
Dat ſparſo capiti vivacis cornua cervi,
Dat ſpatium collo, ſummaſque cacuminat aures:
Cum pedibuſque manus, cum longis brachia mutat
Cruribus, & velat maculoſo vellere corpus.
Additus & pavor eſt: fugit Autonoeius heros,
Et ſe tam celerem curſu miratur in ipſo.
Ut vero vultus, & cornua, vidit in unda:
Me miſerum! dicturus erat, vox nulla ſecuta eſt:
Ingemuit, vox illa fuit: lacrymæque per ora
Non ſua fluxerunt: mens tantum priſtina manſit.

Ut vellet, &c. Quemadmodum percuſſiſſet Actæonem ſagittis, ſi eas habuiſſet in promptu, & in manibus; ſic illum undis percuſſit.

Vivacis. Diu viventis: quadringentos annos vivere dicitur. Vide Plin. Lib. VIII. cap. 32.

Spatium. Longitudinem.

Cacuminat. Acuit, producitque.

Maculoſo vellere. Pilo diverſi coloris: rufo, leucophæo, &c.

Autunoeius. Actæon, filius Autonoes.

Vox illa fuit. Non alia uti voce, quàm gemitu, potuit.

Non ſua. Non humana, ferina, aliena.

V.

Actæon à ſuis canibus laceratur.

Quid faciat? repetatne domum, & regalia tecta?
An lateat ſilvis? timor hoc, pudor impedit illud?
Dum dubitat; videre canes, primuſque Melampus,
Ichnobateſque ſagax, latratu ſigna dederunt;

Timor hoc. Impedit timor ne lateat ſilvis: pudor, ne domum ita deformatus repetat.

Melampus. Nomen canis, Nigros pedes habens. Id ea vox Græca ſignificat, *μέλας*, *niger*: *πῦς*, *pes*. Sic alia, quæ ſequuntur nomina canum, è Græco expreſſa ſunt; neque Græcis à vocabulis pleraque diſcrepant, niſi quòd Latinè terminantur. Quæ ſingulis ſubjecta vis & notio ſit, indicabo. *Ichnobates*, veſtigia perſequens: *Pamphagus*, omnia devorans:

Dorceus, acutè cernens:
Oribaſus, ſcandens montes,
Nebrophonos. hinnulos enecans;

Gnoſius Ichnobates, Spartana gente Melampus.
Inde ruunt alii rapida velocius aura,
Pamphagus, & Dorceus, & Oribaſus, Arcades omnes;
Nebrophonoſque valens, & trux, cum Lælape, Theron,
Et pedibus Pterelas, & naribus utilis Agre,
Hylæuſque ferro nuper percuſſus ab apro,
Deque lupo concepta Nape, pecudeſque ſecuta
Pœmenis, & natis comitata Harpya duobus,
Et ſubſtricta gerens Sicyonius ilia Ladon,
Et Dromas, & Canache, Sticteque & Tigris, & Alce,
Et niveis Leucon, & villis Asbolus atris,
Prævalidusque Lacon, & curſu fortis Aello,
Et Thous, & Cyprio velox cum fratre Lyciſca,
Et nigram medio frontem diſtinctus ab albo
Harpalos, & Melaneus, hirſutaque corpore Lachne;
Et patre Dictæo, ſed matre Laconide nati,
Labros, & Agriodos, & acutæ vocis Hylactor.

cans : *Lælaps*, procella : *Theron*, venator : *Pterelas*, alatus : *Agre*, prædatrix : *Hylæus*, ſilveſtris : *Nape*, ſaltuoſa : *Pœmenis*, paſtoralis : *Harpya*, rapax : *Dromas*, curſor : *Canache*, clamoſa : *Sticte*, maculoſa : *Alce*, robuſta : *Leucon*, candidus : *Asbolus*, fuliginoſus : *Lacon*, Spartanus : *Aello*, procelloſus : *Thous*, celer : *Lyciſca*, è lupo genita : *Harpalos*, raptor : *Melaneus*, niger : *Lachne*, villoſa : *Labros*, impetuoſus : *Agriodos*, alper dentibus : *Hylactor*, latrator : *Melanchætes*, nigram trahens jubam : *Theridamas*, feras domans : *Oreſitrophus*, nutritus in montibus.

Gnoſſus. Cretenſis, Gnoſſus, Cretæ civitas.

Spartana. Sparta, ſeu Lacedæmon, urbs Peloponneſi.

Pecudes. Greges : in paſtorum obſequio verſata.

Natis. Catulis.

Subſtricta. Arcta : conſtricta.

Sicyonius. Sicyon, urbs Peloponneſi.

Cyprio. Cyprus, inſula maris mediterranei, è regione Ciliciæ.

Albo. Notam candidam in media fronte gerens.

Dictæo. Cretenſi, Dicte, mons Cretæ.

Laconide. Laconia, regio Peloponneſi.

Me-

Quoſque referre mora eſt. Ea turba cupidine prædæ,
Per rupes, ſcopuloſque, adituque carentia ſaxa,
Quaque eſt difficilis, quaque eſt via nulla, ſequuntur.
Ille fugit, per quæ fuerat loca ſæpe ſecutus:
Heu famulos fugit ipſe ſuos! Clamare libebat
Actæon ego ſum, dominum agnoſcite veſtrum.
Verba animo deſunt: reſonat latratibus æther.
Prima Melanchætes in tergo vulnera fecit:
Proxima Theridamas: Oreſitrophus hæſit in armo.
Tardius exierant, ſed per compendia montis
Præcipitata via eſt. Dominum retinentibus illis
Cætera turba coit, confertque in corpore dentes.
Jam loca vulneribus deſunt: gemit ille, ſonumque,
Etſi non hominis, quem non tamen edere poſſit
Cervus, habet; mæſtiſque replet juga nota querelis,
Et genibus pronis ſupplex, ſimiliſque roganti,
Circumfert tacitos, tamquam ſua brachia, vultus.
At comites rapidum ſolitis hortatibus agmen
Ignari inſtigant, oculiſque Actæona quærunt;
Et velut abſentem certatim Actæona clamant,
(Ad nomen caput ille refert) & abeſſe queruntur;
Nec capere oblatæ ſegnem ſpectacula prædæ.
Vellet abeſſe quidem; ſed adeſt; velletque videre,
Non etiam ſentire canum fera facta ſuorum.
Undique circumſtant, merſiſque in corpore roſtris
Dilacerant falſi dominum ſub imagine cervi.

Mora eſt. Longum eſt.

Sequuntur. Actæonem.

Secutus. Feras, aut ſuos canes.

Armo. Humero.

Tardius, &c. Oreſitrophus & alii duo canes, exierant è loco, ubi omnes incluſi tenebantur, venatu interquieſcente, tardius, quam cæteris, ſed viam breviorem nacti per compendia, & ſemitas rectiores, primi acceſſere ad Actæonem lacerandum.

Præcipitata. Cioſanus, auctores bonos ſecutus, legit, *Anticipata*.

Retinentibus. Lacerantibus.

Turba. Canum.

Coit. Convenit, congregatur.

Confert. Simul infigit.

Agmen. Canum.

Refert. Attollit.

Nec capere, &c. Queruntur quod non fruatur capti cervi ſpectaculo, ſed viam ſegniter carpendo, abſit.

Quid

Nec, niſi finita per plurima vulnera vita,
Ira pharetratæ fertur ſatiata Dianæ.

Quid ex hac fabula utilitatis in mores derivari poſſit explicat Natalis Comes Lib. VI. cap. 24.

VI.

Tireſias cæcus, & vates: Echo vox.

Rumor in ambiguo eſt: aliis violentior æquo
Viſa Deo eſt: alii laudant, dignamque ſevera
Virginitate vocant: pars invenit utraque cauſas.
Dumque ea per terras fatali lege geruntur,
Forte Jovem memorant diffuſum nectare, curas
Sepoſuiſſe graves, vacuaque agitaſſe remiſſos
Cum Junone jocos. Placuit, ſententia quæ ſit,
Quærere Tireſiæ. Judex de lite jocoſa,
Dicta Jovis firmat. Gravius Saturnia juſto,
Nec pro materia, fertur doluiſſe; ſuique
Judicis æterna damnavit lumina nocte.
At pater omnipotens (neque enim licet irrita cuiquam
Facta Dei feciſſe Deo) pro lumine adempto
Scire futura dedit, pœnamque levavit honore.

Rumor. Populi judicium defacto Dianæ, anceps, & varium eſt.

Dignam &c. Dignam laude, ob ſeveram virginitatem, quæ viri conſpectum horruerit.

Cauſas. Laudandi, aut vituperandi.

Diffuſum. Madidum: ſubebrium. *Vacua*. Otioſa.

Lite jocoſa. Jurgabatur, pro more, Juno cum Jove. Jupiter gravitatis memor, joco rem tractabat. Arbitrum rixæ Tireſiam Thebanum, prudentia præſtantem, ſumere placuit. Is ſecundum Jovem ſententiam tulit. Irata Juno illi ademit oculos. Jupiter, ut immeritam cæcitatem ſolaretur, vaticinandi facultatem, & mentem futura intuentem, dedit.

Firmat. Confirmat, probat. Sententiam fert ſecundum Jovem.

Nec pro materia. Atrocius exarſit, quam joculare iurgium poſtulabat.

Neque enim &c. Non reſtituit oculos Tireſiæ Jupiter, quia non licet uni Deo diffingere, ac deſtruere, quod alter Deus fecerit.

Pœnam. Cæcitatem.

Levavit. Solatus eſt: compenſavit.

Honore. Vaticinii.

Ac-

Ille per Aonias fama celeberrimus urbes,
Irreprehenſa dabat populo reſponſa petenti.
Prima fide, vociſque ratæ, tentamina ſumpſit
Pulcher Narciſſus: de quo conſultus, an eſſet
Tempora maturæ viſurus longa ſenectæ,
Fatidicus vates: Si ſe non noverit, inquit.
Vana diu viſa eſt vox auguris: exitus illam
Reſque probat, letique genus, novitaſque furoris.
Jamque ter ad quinos unum Cephiſius annos
Addiderat, poteratque puer, juveniſque videri.
Aſpicit hunc trepidos agitantem in retia cervos
Vocalis nymphe: quæ nec reticere loquenti,
Nec prior ipſa loqui didicit, reſonabilis Echo.
Corpus adhuc Echo, non vox erat; & tamen uſum
Garrula non alium, quam nunc habet, oris habebat,
Reddere de multis ut verba noviſſima poſſet.
Illa, ubi Narciſſum per devia rura vagantem
Aſpexit, voluit blandis accedere dictis,
Et molles adhibere preces; natura repugnat,

Aonias. Bœotias, Aonia, pars Bœotiæ.

Irreprehenſa. Vera: in quibus nihil falſi deprehendebatur.

Reſponſa. Propriè dicuntur de oraculis, & vatum prædictionibus.

Fide. Pro fidei, poetice. Sic Virgilius dixit die, pro diei. Sententia eſt: Primus omnium Narciſſus eſt expertus fidelia, certa, & rata, eſſe Tireſiæ verba.

Vocis datæ. Artis divinandi, conceſſæ Tireſiæ.

Tentamina ſumpſit. Periculum fecit.

Narciſſus. Liriopes nymphæ filius,

Conſultus. Tireſias à Liriope.

Auguris. Augur ille propriè dicebatur, qui ex avium cantu futura prædicebat.

Furoris. Amoris dementiſſimi, quo ſe perditè amavit Narciſſus.

Ter ad quinos &c. Ter quinque, ſunt quindecim: unum ſi addas, habebis ſexdecim annos. Legere eſt in aliis codicibus: *Nam quater ad quinos . . .*

Cephiſius. Narciſſus, Liriopes, & Cephiſi fluvii, filius.

Non alium, &c. Non utebatur ita voce, ut purior quidpiam loqueretur, & interrogaret: ſed tantùm ut reſponderet loquenti, ut verba ultima repeteret.

Natura. Indoles nymphæ, quæ id habebat innatum, ut numquam prior loqueretur: quæ naſcendi lex ipſi à fatis data, non ſinebat ut ſermonem inchoaret.

Quod

Nec ſinit incipiat: ſed, quod ſinit illa, parata eſt
Expectare ſonos, ad quos ſua verba remittat.
Forte puer comitum ſeductus ab agmine fido,
Dixerat, Ecquis adeſt? &, adeſt, reſponderat Echo:
Hic ſtupet: utque aciem partes dimiſit in omnes,
Voce, Veni, magna clamat, vocat illa vocantem.
Reſpicit: & rurſus, nullo veniente, Quid, inquit,
Me fugis? & totidem, quot dixit, verba recepit.
Spreta latet ſilvis, pudibundaque frondibus ora
Protegit, & ſolis ex illo vivit in antris.
Sed tamen hæret amor, creſcitque dolore repulſæ,
Et tenuant vigiles corpus miſerabile curæ:
Adducitque cutem macies, & in aera ſuccus
Corporis omnis abit: vox tantum, atque oſſa ſuperſunt:
Vox manet: oſſa ferunt lapidis traxiſſe figuram.
Inde latet ſilvis nulloque in monte videtur;
Omnibus auditur: Sonus eſt, qui vivit in illa.

Quod ſinit. Quod natura vocis ſuæ patitur unum, expectat, dum Narciſſus vocem mittat. *Aciem*. Oculos.
Recepit. Audivit ab Echone repetita: nempe, Me fugis. *Spreta*. A Narciſſo.
Ex illo. Tempore.
In antris. Vox a ſpeluncis, & rupibus facilius repercutitur. *Adducit*. contrahit.
Monte. Objectu enim montium aer voce impulſus, repercutitur, & ad loquentem redit. Plin. Lib. 36. cap. 15.

VII.

Narciſſus imaginem ſuam in fonte viſam deperit.

Fons erat illimis nitidis argenteus undis,
Quem neque paſtores, neque paſtæ in monte capellæ,
Contigerant, aliudve pecus; quem nulla volucris,
Nec fera turbarat, nec lapſus ab arbore ramus.
Gramen erat circa, quod proximus humor alebat,
Silvaque ſole locum paſſura tepeſcere nullo.
Hic puer, & ſtudio venandi laſſus, & æſtu,
Procubuit, faciemque loci, fontemque ſecutus:

Paſſura. Silva, quæ impediebat, ne locus unquam à ſole caleſceret. *Secutus*. Illectus amæni-

Dumque ſitim ſedare cupit, ſitis altera crevit:
Dumque bibit, viſæ correptus imagine formæ,
Rem ſine corpore amat; corpus putat eſſe, quod umbra eſt.
Adſtupet ipſe ſibi, vultuque immotus eodem
Hæret: ut e Pario formatum marmore ſignum.
Spectat humi poſitus geminum ſua lumina ſidus,
Et dignos Baccho, dignos & Apolline crines,
Impubeſque genas, & eburnea colla, decuſque
Oris, & in niveo miſtum candore ruborem:
Cunctaque miratur, quibus eſt mirabilis ipſe.
Se cupit imprudens; & qui probat, ipſe probatur:
Dumque petit, petitur; pariterque accendit, & ardet.
Irrita fallaci quoties dedit oſcula fonti!
In mediis quoties viſum captantia collum
Brachia merſit aquis, nec ſe deprehendit in illis!
Quid videat, neſcit: ſed quod videt, uritur illo:
Atque oculos idem, qui decipit, incitat error.
Credule, quid fruſtra ſimulacra fugacia captas:
Quod petis eſt nuſquam: quod amas avertere, perdes,
Iſta repercuſſæ, quam cernis, imaginis umbra eſt:

nitate loci.

Sitis altera. Amor ſui.

Rem ſine corpore. Vacuam imaginem, & corporis expertem.

Adſtupet ipſe ſibi. Ipſe ſe, non ſine ſtupore, contemplatur.

Pario. Paros, inſula maris Ægæi, marmore ſuo nobilis. *Signum*. Statua.

Et dignos, &c. Bacchus, itemque Apollo, intonſi ac juvenes ſemper pinguntur à poetis. Phœbus quidem quia ſol quotidie renaſci videtur, & comæ longiores belle adumbrant aureos ſolis radios; Bacchus vero, quia vinum juvenile robur impertit. Mendoſe legitur: *Dignos Baccho digitos*.

Quibus. Propter quæ.

Captantia. Capere tendentia.

Deprehendit. Cepit, tenuit. Brachia undis immerſa nihil præter aquas invenerunt.

Avertere. Imperativus vocis paſſivæ. Fac avertaris: tantummodo te averte, te amove, perdes id quod amas; evaneſcet imago, quam deperis, ſimul atque diſceſſeris.

Repercuſſæ. Corpora omnia ſpeciem ſui emittunt: hæc ſi incidat in corpus ſolidum & politum, ultra quod tendere nequeat, repercutitur, & in ipſa ſuperficie

Nil habet iſta ſui, tecum venitque, manetque:
Tecum diſcedet; ſi tu diſcedere poſſis.
Non illum Cereris, non illum cura quietis,
Abſtrahere inde poteſt: ſed opaca fuſus in herba
Spectat inexpleto mendacem lumine formam:
Perque oculos perit ipſe ſuos, paulumque levatus
Ad circumſtantes tendens ſua brachia ſilvas,
Ecquis, io ſilvæ, crudelius, inquit, amavit?
Ecquem, cum veſtræ tot agantur ſæcula vitæ,
Qui ſic tabuerit, longo meminiſtis in ævo?
Et placet, & video: ſed quod videoque placetque,
Non tamen invenio: tantus tenet error amantem.
Quoque magis doleam: nec nos mare ſeparat ingens,
Nec via, nec montes, nec clauſis mœnia portis:
Exigua prohibemur aqua: cupit ipſe teneri;
Nam quoties liquidis porreximus oſcula lymphis,
Hic toties ad me reſupino nititur ore.
Quiſquis es, huc exi: quid me, puer unice, fallis?
Quove petitus abis? certe nec forma, nec ætas
Eſt mea, quam fugias, & amarunt me quoque
nymphæ.
Spem mihi neſcio quam vultu promittis amico:
Cumque ego porrexi tibi brachia, porrigis ultro:
Cum riſi, arrides; lacrymas quoque ſæpe notavi,
Me lacrymante, tuas: nutu quoque ſigna remittis:
Et quantum motu formoſi ſuſpicor oris,
Verba refers, aures non pervenientia noſtras.
Iſte ego ſum: ſenſi, nec me mea fallit imago:
Uror amore mei, flammas moveoque, feroque.
Quid faciam? roger, anne rogem? quid deinde
rogabo?

ficie hærens, remittitur. Sic ſpecies oris in ſpeculum incidens, & ulterius tendere vetita, propter additum à ſpeculi tergo hydrargyrum in cryſtallo conſpicitur. Idem fit in aqua.

Nihil habet ſui. Nihil proprium habet, ac ſuum; ſed a te ſumptum.

Lumine. Oculo.

Levatus. Se erigens.

Ecquem &c. An umquam meminiſtis, licet tam ſitis longevæ, quemquam extitiſſe, qui ſic miſero amore conſumptus ſit?

Puer unice. Dilecte, amice.

Aures pervenientia. Per aures, ad aures venientia, ...

Quod cupio, mecum eſt: inopem me copia fecit:
O utinam à noſtro ſecedere corpore poſſem!
Votum in amante novum eſt; vellem quod amamus, abeſſet.
Jamque dolor vires adimit, nec tempora vitæ
Longa meæ ſuperant, primoque extinguor in ævo.
Nec mihi mors gravis eſt poſituro morte dolores:
Hic, qui diligitur, vellem diuturnior eſſet.
Nunc duo concordes anima moriemur in una.

Inopem me. Illa re careo, quam præſentem, & in promptu habeo.
Superant. Superſunt.
Poſituro &c. Siquidem finem imponam meo dolori.
Diuturnior. Vivacior. Morte mea non moveor, quæ meo dolori finem imponet; ſec ejus, quem amo, nece.

VIII.

Narciſſus in florem mutatur.

Dixit, & ad faciem rediit male ſanus eamdem:
Et lacrymis turbavit aquas, obſcuraque moto
Reddita forma lacu eſt, quam cum vidiſſet abire,
Quo refugis? remane; nec me, crudelis, amantem
Deſere, clamavit: liceat, quod tangere non eſt,
Aſpicere, & miſero præbere alimenta furori.
Dumque dolet: ſumma veſtem deduxit ab ora:
Nudaque marmoreis percuſſit pectora palmis:
Pectora traxerunt tenuem percuſſa ruborem,
Non aliter, quam poma ſolent, quæ candida parte,
Parte rubent: aut, ut variis ſolet uva racemis
Ducere purpureum, nondum matura, colorem.
Quæ ſimul aſpexit liquefacta rurſus in unda.

Obſcuraque. Et facies in undis apparens, illis turbatis, obſcurior, & quaſi evaneſcens, eſt viſa.
Non eſt. Non licet.
Summa ab ora. A ſummo pectore: à collo. Ora ſumma eſt in hoc loco ſuprema pars veſtis, quæ collum ambit. Hanc deduxit, ideſt, depreſſit, aperuit, ut pectus plangeret.
Variis. Varii coloris: parte alba, parte ſubrubra, aut pallida.
Liquefacta. Impropriè pro liquida. Jungendum porro *rurſus* cum verbo *aſpexit*. Scribit Heinſius, *liquenti unda*.

Non

Non tulit ulterius: ſed, ut intabeſcere flavæ
Igne levi ceræ, matutinæque pruinæ
Sole tepente, ſolent: ſic attenuatus amore
Liquitur, & tecto paulatim carpitur igni.
Et neque jam color eſt miſto candore rubori:
Nec vigor, & vires; & quæ modo viſa placebant,
Nec corpus remanet, quondam quod amaverat Echo:
Quæ tamen ut vidit: quamvis irata, memorque,
Indoluit; quotieſque puer miſerabilis, eheu!
Dixerat: hæc reſonis iterabat vocibus eheu!
Cumque ſuos manibus percuſſerat ille lacertos:
Hæc quoque reddebat ſonitum plangoris eumdem.
Ultima vox ſolitam fuit hæc ſpectantis in undam,
Heu fruſtra dilecte puer! totidemque remiſit
Verba locus, dictoque vale, vale inquit, & Echo.
Ille caput viridi feſſum ſubmiſit in herba,
Lumina mors clauſit domini mirantia formam.
Tum quoque ſe; poſtquam eſt inferna ſede receptus;
In Stygia ſpectabat aqua. Planxere ſorores
Najades, & ſectos fratri impoſuere capillos:
Planxerunt Dryades: plangentibus aſſonat Echo.
Jamque rogum, quaſſaſq; faces, feretrumq; parabant:
Nuſquam corpus erat; croceum pro corpore florem:
Inveniunt, foliis medium cingentibus albis.

Non tulit. Dolorem.
Liquitur. Conſumitur, ac tabeſcit.
Que modo viſa. Forma, ſpecies.
Memor. Se à Narciſſo ſpretam.
Plangoris. Percuſſionis.
Submiſit. Abjecit: defuit.
Lumina &c. Oculos, quibus ſeipſum miratus erat.
Fratri. Narciſſo, qui filius erat Cephiſi fluvii, cujus filiæ Naiades.
Sectos capillos. In luctu crine avulſos, mortui feretro imponebant.
Dryades. Vide Lib. 1. n. 8.

Quaſſas. Inſpicatas, fiſſas, comminutas. Tædæ fiebant è ligno; quod ut faciliùs ignem conciperet, conterebatur, inſpicabatur, &c. Vel quaſſas interpretare, quaſſatas, motas: tædæ quippe agitantur, ut luculentius ignem concipiant.
Florem. Narciſſum. Belle Ovidius idem de eodem Narciſſo, V. Faſt. *Tu quoque nomen habes cultos, Narciſſe, per hortos: Infœlix: quod non alter, & alter eras.*
Medium. Ita ut medius flos eſſet croceus, folia circum, alba.

Eid-

I X.

Bacchus à Pentheo ſpretus.

Cognita res meritam vati per Achaidas urbes
Attulerat famam, nomenque erat auguris ingens.
Spernit Echionides tamen hunc ex omnibus unus,
Contemptor ſuperum Pentheus, præſagaque ridet
Verba ſenis, tenebraſque & cladem lucis ademptæ
Objicit. Ille movens albentia tempora canis,
Quam felix eſſes, ſi tu quoque luminis hujus
Orbus, ait, fieres, nec Bacchica ſacra videres!
Namque dies aderit, quam non procul auguror eſſe,
Qua novus huc veniet, proles Semeleia, Liber:
Quem niſi templorum fueris dignatus honore;
Mille lacer ſpargere locis, & ſanguine ſilvas
Fœdabis, matremque tuam, matriſque ſorores.
Eveniet; neque enim dignabere numen honore:
Meque ſub his tenebris nimium vidiſſe quereris.
Talia dicentem proturbat Echione natus.

Cognita res. Vaticinium Tireſiæ de Narciſſo.

Achaidas. Græcas. Achaia pars Græciæ: ubi Corinthus, &c.

Attulerat famam vati. Celebre nomen Tireſiæ reddiderat.

Echionides. Pentheus, rex Thebarum, Echionis filius, & Agaves. Agave Cadmi filia: ut dictum initio hujus libri.

Objicit. Exprobrat ſuam illi cæcitatem.

Ille, &c. Tireſias caput canum quaſſans.

Hujus. Hujus lucis, qua frueris; ſi careres iſtis quos habes, oculis: ſi cæcus, uti ſum, eſſes.

Novus Liber. Novus Bacchus: Jovis nempe, & Semeles filius: ante quem alii Bacchi antiquiores fuere. Quinque Bacchos refert Cicero Lib. III. de nat. Deor.

Matris ſorores. Ino, & Autonoen, tuas materteras. Illarum manus tuo ſanguine commaculabis.

Eveniet. Ita, uti prædico, fiet.

Neque enim, &c. Video enim fore, ut colere Bacchum recuſes.

Sub his tenebris. In hac mea cæcitate.

Proturbat. Interpellat, rejicit.

Fides. Eventus, faciens dictis fidem.

Reſ-

Dicta fides ſequitur, reſponſaque vatis aguntur:
Liber adeſt, feſtiſque fremunt ululatibus agri:
Turba ruit, miſtæquæ viris matreſque, nuruſque,
Vulguſque, proceresque ignota ad ſacra feruntur.
Quis furor, Anguigenæ, proles Mavortia, veſtras
Attonuit mentes? Pentheus ait: ærane tantum
Ære repulſa valent? & adunco tibia cornu?
Et magicæ fraudes? ut quos non bellicus enſis,
Non tuba terruerit, non ſtrictis agmina telis;
Fœmineæ voces, & mota inſania vino,
Obſcenique greges, & inania tympana vincant?
Voſne ſenes mirer? qui longa per æquora vecti,
Hac tyron, ac profugos poſuiſtis ſede Penates:
Nunc ſinitis ſine Marte capi? voſne, acrior ætas,
O juvenes, propiorque meæ? quos arma tenere,
Non thyrſos: galeaque tegi, non fronde, decebat;
Eſte, precor, memores qua ſitis ſtirpe creati:
Illiuſque animos, qui multos perdidit unus,
Sumite ſerpentis: pro fontibus ille, lacuque,

Reſponſa. Ea vox proprie uſurpatur de oraculis, auguriis, &c.

Aguntur. Implentur.

Adeſt. Thebas ſubit.

Ignota. Nondum ſpectata.

Anguigenæ. O Thebani, quorum ſcilicet patres nati e dentibus Draconis, ſupra num. 3.

Proles Mavortia. Thebani e ſatis dentibus Draconis armati prodiere. Supra num. 3. erat ille Draco Marti ſacer.

Attonuit mentes. Attonitas, & impotes ſui, fecit: de ſtatu ac ſanitate dimovit.

Æra. Cymbala.

Ære repulſa. Æreis bacillis percuſſa.

Mota inſania vino. Ebriorum inſanus grex.

Hac ſede. Hac in urbe: Thebis.

Tyron. Vide ſupra n. 1. 2. Tyrum, Phœniciæ civitas. Sententia eſt: Hoc in loco novam Tyrum condidiſtis. Sic Æneas dicitur a Virgilio; *Ilium in Italiam portans victoſque Penates*.

Nunc &c. Nunc vos, ultro, ac ſine certamine, Baccho deditis.

Voſne &c. An vos potius mirer & objurgem, o juvenes, ætas acrior, ideſt, quorum ætas eſt animoſior, bellicoſior, & meæ ſimilior.

Thyrſos. Thyrſus, haſta erat pampinis involuta, quam geſtabant Bacchantes.

Fronde. Hedera, quæ Baccho ſacra.

Stirpe. Nimirum ex anguis dentibus ſatis, n. 3.

Pro fontibus. Ut antrum ſuum, fonti vicinum, cuſtodiret.

Interiit; at vos pro fama vincite veſtra.
Ille dedit leto fortes; vos pellite molles,
Et patrium retinete decus. Si fata vetabant
Stare diu Thebas: utinam tormenta, virique,
Mœnia diruerent; ferrumque ignisque ſonarent:
Eſſemus miſeri ſine crimine, ſorſque querenda,
Non celanda, foret; lacrymæque pudore carerent.
At nunc à puero Thebæ capientur inermi:
Quem neque bella juvant, nec tela, nec uſus equorum.
Sed madidi myrrha crines, molleſque coronæ,
Purpuraque, & pictis intextum veſtibus aurum.
Quem quidem ego acturum (modo vos abſiſtite) cogam
Aſſumptumque patrem, commentaque ſacra fateri.
An ſatis Acriſio eſt animi contemnere vanum
Numen? & Argolicas venienti claudere portas?
Penthea terrebit cum totis advena Thebis?
Ite citi (famulis hoc imperat) ite, ducemque
Attrahite huc vinctum; juſſis mora ſegnis abeſto.
Hunc avus, hunc Athamas, hunc cætera turba ſuorum
Corripiunt dictis, fruſtraque inhibere laborant.

Molles. Turbam imbellem bacchantium.

Tormenta. Machinæ bellicæ, quibus lapides & pilæ ferreæ torquentur.

Querenda: Deploranda.

Non celanda. Non ſilentio premenda: non turpis foret.

Juvant. Exercent, delectant.

Myrrha. Unguento è myrrha confecto.

Abſiſtite. Ideſt, modò vos ab eo recedatis, eum deſtituatis: modò ne mihi obſiſtatis.

Cogam. Tormentis, adhibita quæſtione.

Aſſumptum. Ementitum, adſcitum falsò.

Patrem. Jovem.

Commenta. Simulata, ficta.

Acriſio. Acriſius, rex Argivorum, Bacchum excluſit urbe ſua. Sententia eſt: Ergone Acriſius habuit ſatis animi, ut Bacchum expelleret: nos Acriſio potentiores, non habebimus?

Advena. Hoſpes, ignotus, alienigena.

Avus. Cadmus.

Athamas. Cadmi gener: qui Inonem, ſororem Agaves, habebat uxorem.

Corripiunt. Objurgant, reprehendunt.

Acrior

Acrior admonitu eſt, irritaturque retenta
Et creſcit rabies, moderaminaque ipſa nocebant.
Sic ego torrentem, qua nil obſtabat eunti,
Lenius, & modico ſtrepitu decurrere vidi:
At, quacumque trabes, obſtructaque ſaxa tenebant;
Spumeus, & fervens, & ab obice ſævior ibat.
Ecce cruentati redeunt, & Bacchus ubi eſſet
Quærenti domino, Bacchum vidiſſe negarunt:
Hunc (dixere) tamen comitem, famulumque ſacrorum
Cepimus, & tradunt, manibus poſt terga revinctis,
Sacra Dei quondam Tyrrhena gente ſecutum.

Acrior admonita eſt. Efferatur admonitione ipſa. *Retenta rabies*. Repreſſa, & caſtigata. *Moderamina*. Admonitiones. Heinſius reponit è bonis codicibus, *remoramina*, aut *revocamina*. *Qua nil*.. Quo in loco. *Obſtructa*. Objecta. *Ab obice*. Propter obices. *Cruentati*. Vulnerati a Bacchi comitibus famuli Penthei. *Hunc*. Oſtendunt Acœten, quem trahebant vinctum. *Sacra Dei ſecutum*. Bacchi cultorem & aſſeclam. *Tyrrhena gente*. Tyrrheni, ſive Thuſci, populus Italiæ, verſus oram occidentalem, originem duxerunt à Lydis, duce Tyrrheno in Italiam profectis. *La Toſcana*.

X.

Bacchus à nautis captus.

Aſpicit hunc Pentheus oculis, quos ira tremendos
Fecerat, & quamquam pœnæ vix tempora differt:
O periture, tuaque aliis documenta dature
Morte, ait; ede tuum nomen, nomenq; parentum,
Et patriam, moriſque novi cur ſacra frequentes.
Ille metu vacuus, Nomen mihi, dixit, Acœtes,
Patria Mæonia eſt, humili de plebe parentes.
Non mihi quæ duri colerent pater arva juvenci,

Hunc. Acœten. *Tuaque &c.* Qui tua morte docebis alios, Bacchum ſpernere, timere me. *Novi moris ſacra*. Religiones novas; peregrina Bacchi ſacra. *Frequentes*. Colas: celebres. *Mæonia*. Mæonia pars eſt Ly-

Lanigeroſque greges, non ulla armenta, reliquit:
Pauper & ipſe fuit, linoque ſolebat, & hamis
Decipere, & calamo ſalientes ducere piſces:
Ars illi ſua cenſus erat: cum traderet artem,
Accipe quas habeo, ſtudii ſucceſſor, & hæres,
Dixit, opes; morienſque mihi nihil ille reliquit;
Præter aquas: unum hoc poſſum appellare paternum.
Mox ego, ne ſcopulis hærerem ſemper in iiſdem,
Addidici regimen, dextra moderante, carinæ
Flectere, & Oleniæ ſidus pluviale capellæ,
Taygetenque, Hyadeſque, oculis, Arctonque, notavi,
Ventorumque domos, & portus puppibus aptos.
Forte petens Delon, Chiæ telluris ad oras
Applicor, & dextris adducor littora remis,
Doque leves ſaltus, udæque immittor arenæ.

Lydiæ, in Aſia minori. Unde Tyrrheni oriundi. Virg. VIII. Æneid.

Lino. Reti.

Calamo. Arundine piſcatoria.

Ducere. Ex aqua educere.

Cenſus. Vectigal: proventus, opes.

Traderet. Doceret me.

Studii. Occupationis, artis meæ.

Succeſſor. O filii, quem heredem, & in arte piſcatoria ſucceſſorem meum relinquo.

Scopulis. Ubi piſcabar.

Regimen. Artem navis gubernandæ.

Oleniæ capellæ. Capella, ſidus cœleſte, inſidet humeris aſtri, quem Aurigam vocant. Ejus capræ (Amalthea illi nomen) lacte nutritum olim Jovem narrant. Datum pro mercede cœlum eſt. Olenus, Græciæ civitas, ubi Jupiter nutritus: vel patria hujus Amaltheæ capræ.

Pluviale. Solet pluvias excitare. Capellæ ſidus, cum oritur, aut occidit.

Taygeten. Taygete, una e Plejadibus. Supra Lib. I. num. 18.

Hyadas. Hyades appellantur ſtellæ ſeptem in capite Tauri: imbrem ciere traduntur. Sic dictæ a verbo Græco ὕειν, *pluere*.

Arcton. Vide Lib. II. n. 12.

Delon. Lib. I. n. 14.

Chiæ telluris. Chius, inſula maris Ægæi. Heinſius, & alii primæ notæ critici, ſcribunt *Diæ*, & Naxon vocatam olim eſſe Diam, Plinio teſte Lib. IV. c. 12. docent.

Adducor littora. Ducor ad littora.

Dextris remis. Plurimum utendo remis, qui a dextra parte navis erant.

Do ſaltus. Exſilio in terram e navi.

Late-

Nox ubi conſumpta eſt, Aurora rubeſcere primum
Cœperat; exſurgo, laticeſque inferre recentes
Admoneo, monſtroque viam, quæ ducit ad undas.
Ipſe, quid aura mihi tumulo promittat ab alto
Proſpicio, comiteſque voco, repetoque carinam.
Adſumus en, inquit ſociorum primus Opheltes;
Utque putat, prædam deſerto nactus in agro,
Virginea puerum ducit per littora forma.
Ille mero, ſomnoque, gravis, titubare videtur,
Vixque ſequi: ſpecto cultum, faciemque gradumque
Nil ibi, quod credi poſſet mortale, videbam:
Et ſenſi, & dixi ſociis: Quod numen in iſto
Corpore ſit dubito; ſed corpore numen in iſto eſt.
Quiſque es, o faveas, noſtriſque laboribus adſis:
His quoque des veniam. Pro nobis mitte precari;
Dictys ait: quo non alius conſcendere ſummas
Ocyor antennas, prenſoque rudente relabi:
Hoc Libys, hoc flavus proræ tutela Melanthus,
Hoc probat Alcimedon; & qui requiemque, modumque,
Voce dabat remis, animorum hortator Epopeus;

Latices. Aquas dulces: quarum cura nautis profectis debet eſſe antiquiſſima. *Inferre*. In navim.

Admoneo. Socios.

Undas. Fontes, unde aqua recens petatur.

Aura. Ventus. Exploro ventos.

Tumulo. Loco editiore.

Adſumus, &c. Præſto ſumus, ait Opheltes: En, inquit, vides hunc puerum? cumque hoc diceret, puerum e littore in navim ducebat, caſu oblatum, ut putabat, & fortuitam prædam.

Ut putat. Bacchum enim ipſum ducebat, pueri ſub imagine latentem.

Vix ſequi. Trahentem Ophelten.

Cultum. Veſtem pueri, ornatum.

Quod numen &c. Ordo verborum eſt hic: Dubito quodnam ſit numen in iſto corpore: certe aliquod eſt.

His. Meis comitibus, qui te abduxerunt.

Mitte. Omitte, deſine.

Antennas. Antennæ ſunt oblonga ligna, oblique appenſa malo, e quibus vela dependent.

Proræ tutela. Qui ad proram excubabat.

Et qui &c. Ut in muſica temperantur, & gubernantur voces, moderatoris manu: ſic, in navi, remis imponit modum voce, præfectus remigum: κελευστὴν Græci vocant, Martialem lege

Hoc omnes alii. Prædæ tam cæca cupido eſt.
Non tamen hanc ſacro violari pondere pinum
Perpetiar dixi: pars hìc mihi maxima juris.
Inque aditu obſiſto. Furit audaciſſimus omni
De numero Lycabas, qui Thuſca pulſus ab urbe
Exilium, dira pœnam pro cæde, luebat.
Is mihi, dum reſto, juvenili guttura pugno
Rupit, & excuſſum miſiſſet in æquora: ſi non
Hæſiſſem, quamvis amens, in fune retentus.

Lib. III. Epigrammate, ut numeravimus, 53.
Hoc omnes. Subaudi, probant: nempe retinendum, & vinciendum eſſe Bacchum.
Sacro pondere. Deo per vim inducto.
Pinum. Navim ex arboribus compactam.
Pars hic. Sum carinæ magiſter: meum eſt hic dare jura, vobiſque imperare.
In aditu. Cum vellent Bacchum navi imponere.
Thuſca. Supra nu. 9.
Exilium. Qui ob homicidium commiſſum exulabat.
Reſto. Reſiſto: cunctor.
Amens. Perturbatus.

XI.

Nautæ in delphines mutati.

Impia turba probat factum. Tum denique Bacchus
(Bacchus enim fuerat) veluti clamore ſolutus
Sit ſopor, atque mero redeant in pectora ſenſus:
Quid facitis? quis clamor, ait? qua, dicite nautæ,
Huc ope perveni? quo me deferre paratis?
Pone metum, Proreus; & quos contingere portus
Ede velis, dixit; terra ſiſtere petita.
Naxon, ait Liber, curſus advertite veſtros:
Illa mihi domus eſt; vobis erit hoſpita tellus.

Factum. Colaphum mihi infractum.
Veluti &c. Velut evigilans ob clamorem a me ſublatum.
Eque mero, &c. Quaſi crapulam edormiviſſet.
Qua ope. Quo pacto: a quo deductus.
Proreus. Nomen nautæ: quaſi dicas, proræ moderator. Dixit Proreus, Pone metum, & ede quos velis, &c.
Ede. Dic: ſignifica.
Siſtere. Collocaberis.
Naxon. Inſulam Ægæi maris, olim Baccho ſacram: *Naſcia*.
Advertite. Convertite: appellite.
Domus. Patria.
Erit hoſpita. Vos amice excipiet: vobis hoſpitium op-

Per mare fallaces, perque omnia numina, jurant
Sic fore, meque jubent pictæ dare vela carinæ.
Dextera Naxos erat: dextra mihi lintea danti,
Quid facis, o demens? quis te furor, inquit, Acœta,
Pro ſe quiſque, tenet? lævam pete, maxima nutu
Pars mihi ſignificat: pars, quid velit, aure ſuſurrat.
Obſtupui: capiatque alius moderamina, dixi:
Meque miniſterio ſceleriſque, artiſque, removi.
Increpor à cunctis, totumque immurmurat agmen:
E quibus Ethalion, te ſcilicet omnis in uno
Noſtra ſalus poſita eſt, ait; & ſubit ipſe, meumque
Explet opus, Naxoqne petit diverſa relicta.
Tum Deus illudens, tamquam modo denique fraudem
Senſerit, e puppi pontum proſpectat adunca:
Et flenti ſimilis: Non hæc mihi littora, nautæ,
Promiſiſtis, ait; non hæc mihi terra rogata eſt:
Quo merui pœnam facto? quæ gloria veſtra eſt,
Si puerum juvenes, ſi multi fallitis unum?
Jamdudum flebam: lacrymas manus impia noſtras
Ridet, & impellit properantibus æquora remis.
Per tibi nunc ipſum (neque enim præſentior illo
Eſt Deus) adjuro, tam me tibi vera referre,

opportunum dabit.

Sic fore. Fore, ut Naxum deduceretur.

Dextra. A dextra parte.

Quis te &c Heinſius hunc locum ita reſtituit, ut ſcripſimus, eſtque hic ordo verborum & ſenſus: O Acœta, Quis te furor tenet, inquit pro ſe quiſque. Vulgò legitur: *inquit Opheltes*. *Pro ſe quiſque timet*.

Significat. Nempe ut vela dem ſiniſtrorſum.

Quid velit. Nimirum, ne petam Naxon.

Moderamina. Clavum.

Miniſterio. Navis regimini, & obſequio ſceleratorum.

Te ſcilicet &c. Enim vero tu ſolus es, qui ſcias artem regendæ navis, adeo ut perituri omnes ſimus, ſi eam regere deſieris.

Subit. Gubernaculo meum in locum ſuccedit.

Diverſa petit. Curſum alio dirigit.

Illudens. Jocatus: timorem ſimulans.

Mihi rogata eſt. A me petita. Non eo volui me deferri.

Per tibi nunc. Nunc ego tibi juro per ipſum Bacchum, ac teſtor me narrare vera, &c.

Præſentior. Certior, verior, fortior. *Manus*. Turba.

Tam me, &c. Tam vera, quam fidem ſuperantia, tanto

Quam veri majora fide: ſtetit æquore puppis
Haud aliter, quam ſi ſiccum navale teneret.
Illi admirantes remorum in verbere perſtant:
Velaque deducunt, geminaque ope currere tentant.
Impediunt hederæ remos, nexuque recurvo
Serpunt, & gravidis diſtinguunt vela corymbis,
Ipſe racemiferis frontem circumdatus uvis,
Pampineis agitat velatam frondibus haſtam:
Quem circa tigres, ſimulacraque inania lyncum,
Pictarumque jacent fera corpora pantherarum.
Exſiliere viri: ſive hoc inſania fecit,
Sive timor: primuſque Medon nigreſcere pinnis,
Corpore depreſſo, & ſpinæ curvamine flecti
Incipit: Huic Lycabas, in quæ miracula, dixit,
Verteris? & lati rictus, & panda loquenti
Naris erat, ſquamamque cutis durata trahebat.
At Libys, obſtantes dum vult obvertere remos:
In ſpatium reſilire manus breve vidit, & illas

tanto veriora, quanto minus apparent vera.

Stetit. Immota.

Navale. Locum ubi naves conſiſtunt, à procellis tutæ: aut ubi ſubducuntur in ſiccum littus.

Perſtant. Remos agitare pergunt.

Deducunt. Vela prius collecta, & antennis adſtricta, ſolvunt, demittunt, explicant.

Gemina ope. Velorum, & remorum.

Hederæ. Repente natæ.

Diſtinguunt. Variant, pingunt. Mavult Heinſius *Diſtringunt*: id eſt, implicant, occupant.

Corymbis. Sic vocantur baccæ hederarum in morem racemorum glomeratæ. Hedera dicitur ebrietatem arcere nativo frigore. Hinc Baccho ſacra. *Ipſe*. Bacchus.

Racemiferis. Uvis in racemos collectis.

Haſtam. Thyrſū. Supra, n. 9.

Lyncum. Lynx, animal acutiſſimis oculis præditum: Baccho ſacrum, uti & tigres. Panthera eſt inſigni velocitate, varia pelle & maculoſa; mole canis majoris, & robuſtioris.

Exſiliere. Proruperunt e navi.

Inſania. Dementia: furor a Baccho immiſſus.

Corpore depreſſo. Heinſius, quem libenter, ut emunctæ naris criticum, ſequor, ita ſcribendum cenſet.

Depreſſo. Imminuto, aut in aquas dejecto.

Spinæ. Spinæ dorſi.

Panda. Incurva.

Trahebat. Contrahebat, induebat.

Reſilire. Retrocedere, recolligi,

Jam non eſſe manus, jam pinnas poſſe vocari.
Alter ad intortos cupiens dare brachia funes,
Brachia non habuit, truncoque repandus in undas
Corpore deſiluit, falcata noviſſima cauda eſt;
Qualia dimidiæ ſinuantur cornua lunæ.
Undique dant ſaltus, multaque aſpergine rorant,
Emerguntque iterum, redeuntque ſub æquora rurſus;
Inque chori ludunt ſpeciem, laſcivaque jactant
Corpora, & acceptum patulis mare naribus efflant.
De modo viginti (tot enim ratis illa ferebat)
Reſtabam ſolus, pavidus, gelidusque trementi
Corpore: vixque animum firmat Deus, excute dicens,
Corde metum, Diamque tene. Delatus in illam,
Acceſſi ſacris; Baccheaque ſacra frequento.

Pinnas. Sic appellantur ea, quibus ad natandum piſces utuntur, adminicula, corpori hærentia inſtar alarum, aut remorum.

Trunco corpore. Brachiis deſtituto.

Repandus. Recurvus.

Falcata. In falcis morem curva & acuta. Hanc metamorphoſim habes in hymnis, qui Homero tribuuntur, elegantiſſimè deſcriptam.

Rorant. Aquam, roris inſtar, diſſipant.

Chori. Chorus eſt multitudo ſaltantium, aut canentium.

Laſciva. Petulca, tripudiantia, geſtientia.

Acceptum mare. Aquam e mari hauſtam.

De modo viginti. De viginti, quot eramus modo.

Vix animum... Vix me Bacchus a timore confirmavit.

Diam. Dia inſula, eadem quæ Naxos, n. 10.

Acceſſi ſacris. Adjunxi me illis, qui ſacra Bacchi colunt.

XII.

Pentheus à Mœnadibus diſcerptus:

Præbuimus longis Pentheus ambagibus aures,
Inquit; ut ira mora vires abſumere poſſet.
Præcipitem famuli rapite hunc, cruciataque duris
Corpora tormentis Stygiæ demittite morti.

5 *Ut ira &c*. Adeout tam longæ narrationis mora, & prolixitate, ira mea extingui poſſet: id quod forte ſperabas: Erraſti. Certiſſimum remedium iræ, eſt mora.

Protinus abſtractus ſolidis Tyrrhenus Acœtes
Clauditur in tectis, & dum crudelia juſſæ
Inſtrumenta necis, ferrumque, igneſque, parantur:
Sponte ſua, patuiſſe fores, lapſaſque lacertis.
Sponte ſua fama eſt, nullo ſolvente, catenas.
Perſtat Echionides: nec jam jubet ire: ſed ipſe
Vadit, ubi electus facienda ad ſacra Cithæron
Cantibus, & clara bacchantum voce ſonabat.
Ut fremit acer equus, cum bellicus ære canoro
Signa dedit tubicen, pugnæque aſſumit amorem:
Penthea ſic ictus longis ululatibus æther
Movit, & audito clamore recanduit ira.
Monte ferè medio eſt, cingentibus ultima ſilvis,
Purus ab arboribus, ſpectabilis undique campus.
Hic oculis illum cernentem ſacra profanis
Prima videt, prima eſt inſano concita curſu,
Prima ſuum miſſo violavit Penthea thyrſo
Mater: &, o geminæ, clamavit, adeſte ſorores:
Ille aper, in noſtris errat, qui maximus agris,
Ille mihi feriendus aper. Ruit omnis in unum
Turba furens: cunctæ coeunt: trepidumque ſequuntur;

mora. Rectè philoſophus neſcio quis Auguſto ſuadebat, ut iratus nihil faceret diceretve, prius, quam viginti quatuor litterarum elementa tacitus percurriſſet. Non deſunt boni codices, ait Heinſius, qui legant *aſſumere*: ſententia erit; Ira per hanc narrationis faſtidioſæ moram, vires ſumpſit: crevit.

Solidis. Quales ſunt carceres, muris vulgo ſolidis, latiſque, clauſi.

Echionides. Pentheus, Echionis filius.

Jubet. Famulis. Non imperat aliis, ut eant in montem Cithæronem ad Bacchi ſacra diſturbanda: ipſemet eo vadit.

Cithæron. Mons Bæotiæ. Lib. II. 5.

Penthea. Accuſandi caſus: Græco flexu.

Ictus. Percuſſus, reſonans, Bacchantum clamore.

Recanduit. Gravius exarſit. *Monte*. Cithærone.

Ultima. Partes extremas montis. *Purus*. Vacuus.

Concita. Incitata.

Suum. Filium.

Mater. Agave.

Sorores. Ino, & Autonoe: ſorores Agaves.

Aper. Pentheum, apri ſpecie indutum, cernit.

Ma-

Jam trepidum, jam verba minus violenta loquentem,
Jam ſe damnantem, jam ſe peccaſſe fatentem.
Saucius ille tamen, fer opem, matertera, dixit,
Autonoe: moveant animos Actæonis umbræ.
Illa, quis Actæon neſcit: dextramque precantis
Abſtulit: Inoo lacerata eſt altera raptu.
Non habet infœlix, quæ matri brachia tendat,
Trunca ſed oſtendens dejectis vulnera membris,
Aſpice mater, ait: viſis ululavit Agave,
Collaque jactavit, crinemque per aera movit:
Avulſumque caput digitis complexa cruentis,
Clamat: Io comites, opus hoc victoria noſtra eſt.
Non citius frondes autumni frigore tactas,
Jamque male hærentes, alta rapit arbore ventus:
Quam ſunt membra viri manibus direpta nefandis.
Talibus exemplis monitæ nova ſacra frequentant.
Thuraque dant, ſanctaſque colunt Iſmenides aras;

Matertera. Soror matris; nempe Autonoe, ſoror Agaves, mater Actæonis.

Moveant, &c. Obſecro te per manes filii tui Actæonis.

Inoo raptu. Vulnere, quod Ino inflixit.

Matri. Agave.

Vulnera. Corpus vulneratum, & truncatum.

Dejectis. Abſciſſis brachiis.

Colla jactavit. Ut furentes ſolent.

Opus hoc. Caput hoc abſciſſum addit cumulum noſtræ victoriæ: jam dicere poſſumus nos viciſſe, rem à nobis bene geſtam eſſe. Legit Heinſius, *Opus hæc victoria, noſtrum eſt*. Quaſi diceret: Ego auctor ſum tam præclaræ victoriæ: caput hoc demeſſui.

Autumni frigore. Heinſio placet, *Autumno frigore*, id eſt, Autumnali. Lectionem exemplis firmat.

Iſmenides monitæ: Thebanæ matronæ. Iſmenus, flumen eſt Bœotiæ, in qua Thebæ. *Sacra*. *Bacchi*.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER QUARTUS.
SYNOPSIS.

Bacchi Orgia. Mora ex albis nigra. Mineides mutata in veſpertiliones. Inferi poetici. Athamas, & Ino furore corripiuntur: hac ad itur marinis numinibus cum filio Melicerta. Eorum comites in ſaxa, & aves mutantur. Cadmus & Hermione in ſerpentes converſi. Angues e Meduſa capite nati. Atlas in montem rigeſcit. Virga durantur in corallia. Perſeus Andromeden liberat.

I.

Bacchi ſacra contemnuntur a Minei filiabus Semiramis in columbam mutata.

AT non Alcithoe Minejas orgia cenſet
Accipienda Dei; ſed adhuc temeraria Bacchum
Progeniem negat eſſe Jovis; ſociaſque ſorores
Impietatis habet: Feſtum celebrare ſacerdos
Immuneſque operum famulas, dominaſque ſuorum,
Pectora pelle tegi, crinales ſolvere vittas,

At non &c. Dum aliæ mulieres Thebanæ Bacchum venerantur, illum ſpernit Alcithoe, filia M nei, matrona Thebana, nec eius ſacra judicat accipienda.

Minejas. Heinſius. *Minyeja*, ſcribendum cenſet, Suidam & alios ſecutus, qui earum partem Minyam appellant. Et infra legit, *Minyeidas*, *Minyeja proles*.

Orgia. Bacchi ſacra ſic vocabantur, à voce Græca, ὀργὴ, iram, furorem, ſignificante: aut ab ἔργειν, ἔργα, quæ voces *operari*, *ſacrificare*, *facere*, ſonant.

Sorores. Ejus ſorores eadem laborant impietate.

Sacerdos. Bacchi ſacrificulus.

Operũ ſuorũ. Lanificii, v.g.

Pelle. Ferarum pellibus maxi-

Serta comis, manibus frondentes ſumere thyrſos,
Juſſerat, & ſævam læſi fore numinis iram
Vaticinatus erat. Parent matreſque, nuruſque:
Telaſque calathoſque, infectaque penſa reponunt:
Thuraque dant, Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyæumque,
Ignigenamque, ſatumque iterum, ſolumque bimatrem.
Additur his Nyſeus, indetonſuſque Thyoneus,
Et cum Lenæo genialis conſitor uvæ,

maxime hinnulorum, & vulpium. Iis ornatæ Bacchantes procedebant.

Vittas. Tœnias, quibus in nodum colligantur crines.

Thyrſos. Lib. III. n. 9.

Nurus. Nurus, eſt filii uxor.

Calathos. Vaſcula viminea, ciſtas, ubi fuſi, forfices, lana, reponuntur.

Infecta. Imperfecta: non abſoluta.

Penſa. Penſum eſt certa lanæ, portio, quæ dabatur trahenda, & in filum torquenda.

Reponunt. Relinquunt.

Bromium. Græca vox, quæ frementem, ac tumultuantem, ſignificat: a Βρέμω, *fremo*.

Lyeum. Quaſi curarum propulſatorem: a λύω, *ſolvo*.

Ignigenam. Bacchum, fulmine quaſi obſtetricante, genitum fabulæ narrant: Ejus enim mater Semeſe, cum Jovem fulmine armatum propiùs videre optaſſet, igne fulminis deflagravit. Bacchum è mortuæ parentis ſinu eductum poetæ tradunt, & inſutum femori Jovis fuiſſe. Inde Bimater dictus; & bis genitus: primum ex alvo materna: deinde e Jovis femore. Fabulæ occaſionem hanc refert Pomponius Mela, quòd eſſet natus in urbe Indiæ Nyſa, cui vicinus erat mons Meros, Jovi Sacer, in eoque monte fuiſſet educatus. Meros autem Græcè femur. ſonat: μηρος.

His. Numinibus jam memoratis.

Nyſeus. Natus Nyſæ. Porrò hæc nomina Nyſeus, duarum; Eleleus, trium ſunt dumtaxat ſyllabarum: três enim ultimæ litteræ coaleſcunt in diphthongum, atque adeò ſyllabam producunt.

Indetonſus. Intonſus, comatus, Lib. II. n. 7.

Thyoneus. Græca vox, quæ furioſum, & præcipitem, ſignificat. Quidam volunt Semelem, matrem Bacchi, vocatam quoque eſſe Thyonen.

Lenæo. Bacchus Lenæus eſt dictus, quia implet torcularia. Ληνὸς, *torcular*, *cupa*. Vocatur ergo Bacchus ab his mulieribus Lenæus; Item uvæ ſator, & Nyctelius: ideſt præſes nocturnorum ſacrorum: νὺξ, νυκ.

Nyctelius que, Eleleuſque parens, & Jacchus, & Evan:
Et quæ præterea per Grajas plurima gentes
Nomina, Liber, habes: tibi enim inconſumpta juventas,
Tu puer æternus, tu formoſiſſimus alto
Coſpiceris cœlo: tibi, cum ſine cornibus adſtas
Virgineum caput eſt: Oriens tibi victus, ad uſque
Decolor extremo qua cingitur India Gange.
Penthea tu, venerande, bipenniferumque Licurgum,
Sacrilegos mactas, Tyrrhenaque mittis in æquor
Corpora: tu bijugum pictis inſignia frænis

νυκτὸς, *nox*, & Eleleus: ideſt hortator ad pugnam. Nihil quippe audacius ebrio. ἐλελεῦ Græcum adverbium eſt, quo pugnantes excitabant ad rem bene gerendam.

Jacchus. Clamoſus: ἰ' ακχὴ, *clamor*.

Evan. Sive Evius, aut Fvous, hoc eſt, fortis filius. Aderat Bacchus Jovi contra gigantes pugnanti; ac ſtrenue dimicabat: cui Jupiter, εὖ υἷς, *Euge, fili*, inquit, ſic perge, Hinc facta vox Evius; & Evoe, quibus maximè vocibus Bacchantes utebantur. Lege Horat. Lib. II. Ode *Bacchum &c.*

Et quæ &c. Iſtis nominibus addunt alia, Græcis uſitata.

Inconſumpta. Non ſeneſcens.

Æternus. Pueri vultum ac venuſtatem ſemper retinens.

Cælo. Bacchus ſol ab antiquis eſſe creditus eſt.

Sine cornibus. Cornua dantur Baccho; ad indicandam ebrietatis violentiam: detrahuntur, ad ſignificandam modici vini hilaritatem innoxiam.

Ad uſque qua &c. Uſque ad eam regionem, quæ alluitur Gange.

Decolor. Fuſca.

Extremo. Ultra Gangem vix quicquā norant veteres.

Gange. Duo fluvii nobiles Indiam perluunt, Indus, & Ganges. Hic in ſinum Bengalanum evolvitur; ille in Cambojanum: *Il Gange, l' Indo*.

Penthea. Lege finem libri ſuperioris.

Lycurgum. Thraciæ regem, qui cum bipenni vites ſucciderer, ſua quoque amputavit crura. Fuit alius Lycurgus, Lacedæmoniorum rex, & legum optimarum conditor. Similem huic Ovidiano locum vide VIII. Æneidos, ubi Virgilius Herculem celebrat.

Tyrrhena &c. Nautas in Delphinos mutas. Lib. III. num. 11.

Bijugum. A recto caſu bijuges; eidem jugo junctarum:

Lyn-

Colla premis Lyncum; Bacchæ, Satyrique ſequuntur:
Quique ſenex ferula titubantes ebrius artus
Suſtinet, & pando non fortiter hæret aſello.
Quacumque ingrederis, clamor juvenilis, & una
Fœmineæ voces, impulſaque tympana palmis,
Concavaque æra ſonant, longoque foramine buxus.
Placatus, mitiſque, rogant Iſmenides adſis;
Juſſaque ſacra colunt. Solæ Mineides intus
Intempeſtiva turbantes feſta Minerva,
Aut ducunt lanas, aut ſtamina pollice verſant,
Aut hærent telæ, famulaſque laboribus urgent.
E quibus una levi deducens pollice filum,
Dum ceſſant aliæ, commentaque ſacra frequentant,
Nos quoque, quas Pallas, melior Dea, detinet, inquit,
Utile opus manuum vario ſermone levemus:
Perque vices aliquid, quod tempora longa videri
Non ſinat, in medium vacuas referamus ad aures.

Lyncum. Lib. III. nu. 11.
Bacchæ. Bacchantes, Mænades.
Satyri. Lib. I. num. 8.
Senex. Silenus, Satyrorum dux, Bacchi educator.
Ferula. Canna, ſcipione. Ferula eſt arbuſcula, cujus è ramis fiunt ſcipiones.
Pando. Incurvo, cernuo.
Concava æra. Cymbala.
Buxus. Buxea tibia.
Iſmenides. Thebanæ Matronæ. (Lib. III. num. 12.) Rogant ut fęlix, fauſtuſque ſit adventus tuus.
Mineides. Filiæ Minei; Alcithoe, & ejus ſorores. Supra.
Intus. Intrà domum clauſæ.
Minerva. Lanificio, cui præeſt Minerva.
Ducunt. E colo trahunt.
Stamina. Sunt fila longiora telæ, quibus alia traſverſa inſeruntur. Ex utriſque tela contexitur. Adi Lib. VI. num. 2.
Hærent telæ. Texunt. Incumbunt in telam conficiendam.
E quibus. Mineidibus.
Deducens filum. Quidam codices habent *fuſum*.
Aliæ. Matronæ Thebanæ. Sunt Alcithoes verba.
Commenta. Ficta, ementita; ut quidem ipſæ Mineides credunt.
Sacra. Orgia.
Pallas. Eadem ac Minerva, telæ texendæ inventrix.
Melior. Baccho.
Detinet. Occupat lanificio.
Opus manuum. Texendi laborem.
Levemus. Levius reddamus, hilaremus.
In medium referamus. Narremus ad communem omnium oblectationem.

Ya-

Dicta probant, primamque jubent narrare, ſorores.
Illa, quid e multis referat (nam plurima norat)
Cogitat, & dubia eſt, de te, Babylonia narret
Derceti, quam verſa, ſquamis velantibus artus,
Stagna Palæſtini credunt coluiſſe figura:
An magis, ut ſumptis illius filia pennis.
Extremos altis in turribus egerit annos:
Nais an ut cantu, nimiumque potentibus herbis,
Verterit in tacitos juvenilia corpora piſces;
Donec idem paſſa eſt: An, quæ poma alba ferebat:
Ut nunc nigra ferat, contactu ſanguinis, arbor.
Hæc placet: hanc, quoniam vulgaris fabula non eſt,
Talibus orſa modis, lana ſua fila ſequente.

Vacuas. Otioſas: quas lanificium ab audiendo non avocat.

Dicta &c. Sorores Alcithoes ejus dicta probant, ac jubent, ut prima incipiat.

Derceti. Dercetis, Syrorum Dea fuit, Semiramidis mater, in piſcem mutata.

Quam &c. Quam Dercetin Palæſtini credunt incoluiſſe ſtagna; in aquis vixiſſe, verſa & mutata figura, ſquamis velantibus corpus: ideſt ſquamis, quæ propriæ ſunt piſcium, tectam. *Stagna celebraſſe* legitur in bonis exemplaribus, pro, *coluiſſe*.

Palæſtini. Syriæ populus. Hanc regionem Hebræi olim ex Ægypto profecti habitarunt: & Judæa, ſeu Terra Sancta, vulgo dicitur.

Illius filia. Semiramis, Nini, Aſſyriorum regis, uxor: mutata in columbam.

Turribus. Ibi ſolent columbæ nidos ponere.

Nais. Nympha aquatica. Lib. I. n. 8. Dubitat an narret quemadmodum Nais, ſive Najas, mutaverit juvenes in totidem piſces.

Cantu. Incantationibus.

Tacitos. Mutos.

Idem paſſa eſt. Mutata quoque fuit in piſcem. De quibus porrò juvenibus, qua de nympha, mentionem faciat, valdè incertum.

An, ut &c. An narret quemadmodum arbor, quæ olim albos edebat fructus, nunc ferat nigros.

Poma. Fructus, mora.

Hæc placet. Placuit ſororibus hæc fabula, ut pote illuſtrior, nec ita multis nota: hanc ſic incœpit Alcithoe.

Lana &c. Interim trahebat è colu lanam, dum hæc narraret; ac lana, inchoatum, & media tortum parte filum ſequens, paulatim tota torquebatur, & filium evadebat.

Mo-

I I.

Mora ex albis nigra.

Pyramus & Thiſbe, juvenum pulcherrimus alter;
Altera, quas oriens habuit, prælata puellis,
Contiguas habuere domos, ubi dicitur altam
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis urbem.
Notitiam, primoſque gradus, vicinia fecit:
Tempore crevit amor: tædæ quoque jure coiſſent;
Sed vetuere patres: quod non potuere vetare,
Ex æquo captis ardebant mentibus ambo:
Quoque magis tegitur, tectus magis æſtuat ignis.
Multa prius queſti, ſtatuunt ut nocte ſilenti
Fallere cuſtodes, foribuſque excedere tentent,
Cumque domo exierint, urbis quoq; tecta relinquant:
Neve ſit errandum lato ſpatiantibus arvo,
Conveniant ad buſta Nini, lateantque ſub umbra
Arboris. Arbor ibi niveis uberrima pomis
Ardua morus erat, gelido contermina fonti.

Altam urbem. Babylonem. Juſtinum lege Lib. I.

Coctilibus. Lateritiis: ex argilla cocta ſtructis. Vide plura in Q. Curtio Lib. V. in Hygino cap. 233. Quomodo Semiramis invaſerit imperium, deſcribit eruditè, & eleganter, more ſuo, Muretus Lib. VI. Variarum lectionum cap. 17.

Primus gradus. Amicitiæ. Inter ſe amare cœperant, ob domorum viciniam.

Tædæ coiſſent. Nuptiæ legitimæ fuiſſent factæ. In nuptiis tædæ quinque præferebantur à totidem pueris patrimis, & matrimis, iiſque præeuntibus, ſponſa domum ſponſi ducebatur.

Patres. Parentes Pyrami & Thisbes. Vetuerunt ne contraherent nuptias.

Quod non &c. Tamen mutuo amore tenebantur ambo Pyramus & Thisbe: id quod eorum parentes prohibere nequiverunt: tametſi nuptias potuerint impedire.

Queſti. De ſuis parentibus.

Cuſtodes. Janitores.

Neve &c. Ac ne vagentur incerti per agros.

Spatiantibus. Evagantibus.

Conveniant. Subaudi, conſtituunt.

Ad buſta Nini. Ad ſepulcrum Nini, regis Aſſyriorum, quod prope urbem viſebatur, ingenti extructum mole. Buſtum: proprie eſt pyra igne conſumpta: in-

ter.

Pacta placent; & lux, tarde diſcedere viſa,
Præcipitatur aquis, & aquis nox exit ab iiſdem.
Callida per tenebras, verſato cardine, Thysbe
Egreditur, fallitque ſuos, adopertaque vultum
Pervenit ad tumulum, dictaque ſub arbore ſedit.
Audacem faciebat amor. Venit ecce, recenti
Cœde leæna boum ſpumantes oblita rictus,
Depoſitura ſitim vicini fontis in unda.
Quam procul, ad lunæ radios, Babylonia Thisbe
Vidit, & obſcurum timido pede fugit in antrum;
Dumque fugit, tergo velamina lapſa reliquit.
Ut lea ſæva ſitim multa compeſcuit unda;
Dum redit in ſilvas, inventos forte, ſine ipſa,
Ore cruentato, tenues laniavit amictus.
Serius egreſſus veſtigia vidit in alto
Pulvere certa feræ, totoque expalluit ore
Pyramus: ut vero veſtem quoque ſanguine tinctam
Repperit; Una duos, inquit, nox perdet amantes;
E quibus illa fuit longa digniſſima vita:
Noſtra nocens anima eſt: ego te, miſeranda, peremi,
In loca plena metus, qui juſſi nocte venires;
Nec prior huc veni: noſtrum divellite corpus,
Et ſcelerata fero conſumite viſcera morſu,
O quicumque ſub hac habitatis rupe leones:
Sed timidi eſt optare necem. Velamina Thisbes
Tollit, & ad pactæ ſecum fert arboris umbram.

terdum locus, ubi cadaver comburitur.

Pacta. Conſtitutum tempus, & locus.

Præcipitatur aquis. In Oceano mergitur: ex quo nox pariter emergit. Ubi ſol occidit, inde nox oritur.

Verſato cardine. Revoluto. Aperta janua.

Suos. Parentes, cuſtodes.

Adoperta vultum. Faciem habens velo tectam.

Tumulum. Nini buſtum.

Oblita. Os infectum, tinctum, habens cruore boum, quos mactaverat.

Rictus. Hiatus oris.

Ipſa. Thisbe.

Amictus. Velum.

Serius. Tardius, quàm Thisbe.

E quibus. Amantibus.

Illa. Thisbe. Quaſi diceret: illa innocens, & digna quæ viveret: ego reus.

Nec prior. Sum nocens, & quod juſſerim ut venires huc noctu, & quod prior non venerim, ut te defenderem.

Pactæ. Conſtitutæ: deſignatæ.

Ut-

Utque dedit notæ lacrymas, dedit oſcula veſti;
Accipe nunc, inquit, noſtri quoq; ſanguinis hauſtus;
Quoque erat accinctus, demiſit in ilia ferrum.
Nec mora ferventi moriens e vulnere traxit,
Et jacuit reſupinus humi: cruor emicat alte,
Non aliter, quam cum vitiato fiſtula plumbo
Scinditur, & tenui ſtridente foramine, longas
Ejaculatur aquas; atque ictibus aera rumpit.
Arborei fetus, aſpergine cædis, in atram
Vertuntur faciem, madefactaque ſanguine radix
Purpureo tingit pendentia mora colore.
Ecce metu nondum poſito, ne fallat amantem,
Illa redit, juvenemque oculis, animoque requirit:
Quantaque vitarit narrare pericula geſtit.
Utque locum, & viſam cognoſcit in arbore formam,
Sic facit incertam pomi color: hæret, an hæc ſit.
Dum dubitat, tremebunda videt pulſare cruentum
Membra ſolum, retroque pedem tulit, oraque buxo
Pallidiora gerens, exhorruit, æquoris inſtar,
Quod fremit, exigua cum ſummum ſtringitur aura:
Sed poſtquam remorata, ſuos cognovit amores;
Percutit indignos claro plangore lacertos,
Et laniata comas, amplexaque corpus amatum,
Vulnera ſupplevit lacrymis, fletumque cruori
Miſcuit, & gelidis in vultibus oſcula figens,
Pyrame, clamavit, quis te mihi caſus ademit?
Pyrame, reſponde, tua te chariſſima Thisbe

Utque dedit, &c. Poſtquam lacrymas, & oſcula veſti indulſit.

Traxit. Gladium, quem degerat in ſua viſcera.

Vitiato. Corrupto, adeſo, rupto.

Fiſtula. Tubus, canalis, plumbeus.

Fetus. Fructus, mora.

Ne fallat. Ne non adſit in loco aſſignato.

Utque &c. Quemadmodum agnovit arboris locum, & formam: ſic hæſit incerta, ob mutatum colorem fructuum, & dubitavit an eadem eſſet, quam modo reliquerat.

Formam. Figuram, molem, ſitum.

Stringitur. Criſpatur, raditur.

Remorata. Paulum cunctata, & propius inſpiciens.

Supplevit. Implevit. Replevit, lacrymis vulnera, quæ erant exhauſta fuſo ſanguine.

Ebur.

Nominat: exaudi; vultuſque attolle jacentes
Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos
Pyramus erexit, viſaque recondidit illa.
Quæ poſtquam veſtemque ſuam cognovit, & enſe
Vidit ebur vacuum: Tua te manus, inquit, amorq;
Perdidit infelix, eſt & mihi fortis in unum
Hoc manus: eſt amor: dabit hic in vulnera vires.
Perſequar extinctum, letique miſerrima dicar
Cauſa, comeſque tui: quique a me morte revelli
Heu! ſola poteras; poteris nec morte revelli.
Hoc tamen amborum verbis eſtote rogati,
O multum miſerique mei, illiuſque parentes;
Ut quos certus amor, quos hora noviſſima junxit
Componi tumulo non invideatis eodem.
At tu, quæ ramis arbor miſerabile corpus
Nunc tegis unius, mox es tectura duorum:
Signa tene cædis, pulloſque, & luctibus aptos,
Semper habe fetus, gemini monimenta cruoris,
Dixit, & aptato pectus mucrone ſub imum,
Incubuit ferro, quod adhuc a cæde tepebat.
Vota tamen tetigere Deos, tetigere parentes,
Nam color in pomo eſt, ubi permaturuit, ater;
Quodque rogis ſupereſt, una requieſcit in urna.

Ebur. Vaginam ebore ornatam.

In unum. Ad hoc unum, ut nempe moriar.

Perſequar. Conſequar.

Eſtote rogati. Sinite, ut vos oremus ambo. Alloquitur abſentes; ad vehementem affectum indicandum. Sic Dido moritura poſteros obteſtatur. IV. Æneid.

Componi. Includi.

Invideatis. Prohibeatis.

Tene. Serva.

Pullos. Nigricantes.

Aptato mucrone. Appoſita cuſpide, ac directa verſus infimam pectoris partem.

Permaturuit. Plane maturuit.

Quod ſupereſt. Cineres, & oſſa. Hæc a parentibus eamdem in urnam fuere conjecta.

Rogis. Rogus eſt lignorum ſtrues, ad comburenda cadavera.

III.

Mineides mutatæ in veſpertiliones.

Finis erat dictis, & adhuc Mineia proles
Urget opus, ſpernitque Deum, feſtumque profanat.
Tympana cum ſubito non apparentia raucis
Obſtrepuere ſonis, & adunco tibia cornu,
Tinnulaq; æra ſonant, & olent myrrhæque crocique:
Reſque fide major, cœpere vireſcere telæ;
Inque hederæ faciem pendens frondeſcere veſtis;
Pars abit in vites, & quæ modo fila fuerunt,
Palmite mutantur, de ſtamine pampinus exit:
Purpura fulgorem pictis accommodat uvis.
Jamque dies exactus erat, tempuſque ſubibat,
Quod tu nec tenebras, nec poſſes dicere lucem;
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis:
Tecta repente quati, pingueſque ardere videntur
Lampades, & rutilis collucent ignibus ædes:
Falſaque ſævarum ſimulacra ululare ferarum.
Fumida jamdudum latitant per tecta ſorores,
Diverſæque locis ignes, ac lumina, vitant:
Dumq; petunt tenebras, parvos membrana per artus
Porrigitur, tenueſque includunt brachia pennæ.
Nec, qua perdiderint veterem ratione figuram,
Scire ſinunt tenebræ: non illas pluma levavit;

Finis erat. Narrata erat mors Pyrami, & Thisbes.

Mineia proles. Filiæ Minei; Alcithoe, & ejus ſorores.

Opus. Lanificium. Operi inſtat.

Profanat. Diem feſtum temerat, quem ſacrum habere, & colere? debuerat, vacando à ſervili labore.

Tinnulæ. Crepitantia.

Æra. Cymbala.

Croci. Crocus, ſeu reſtius, crocum, eſt flos odoratus.

Pars. Telæ.

Abit. Mutatur.

Stamine. Supra. num. 2.

Pampinus. Vitis frondes.

Purpura &c. Fila purpurea, commode in uvas ejuſdem coloris abeunt.

Exactus. Tranſactus.

Tempus, *&c.* Crepuſculum. Lib. I. num. 9.

Quati. Concuti, moveri.

Ululare. Subaudi, cœperunt.

Diverſæ locis. Diverſis in locis abditæ.

Non illas &c. Non ſe in

acrem

Suſtinuere tamen ſe perlucentibus alis,
Conatæque loqui, minimam pro corpore vocem
Emittunt, peraguntque levi ſtridore querelas;
Tectaque, non ſilvas, celebrant; lucemque peroſæ
Nocte volant, ſeroque tenent à veſpere nomen.

aerem ſuſtulerunt alis plumeis.

Perlucentibus. Perſpicuis. Alæ veſpertilionum ſunt pelles ſubtiliſſimæ, illarum dorſo affixæ.

Pro corpore. Pro corporis parva mole.

Celebrant. Colunt, frequentant.

A veſpere. Veſpertiliones appellantur.

IV.

Juno Inferos adit.

Tum vero totis Bacchi memorabile Thebis
Numen erat, magnaſque novi matertera vires
Narrat ubique Dei, de totque ſororibus expers
Una doloris erat, niſi quem fecere ſorores.
Aſpicit hanc, natis, thalamoque Athamantis, habentem
Sublimes animos, & alumni numine, Juno;

Tum vero. Poſt expetitas a Mineidibus tam graves pœnas.

Matertera. Ino, Bacchi matertera, utpote ſoror Semeles, quæ Bacchi mater. Quatuor filias Cadmus habuit, Semelen, Inonem, Agaven, & Autonoen. Supra, n. 1. *Dei*. Bacchi.

Novi. Recens Thebas advecti, novis prodigiis cogniti.

Una, &c. Nam Autonoe filium Actæona perdiderat: Semele perierat, icta fulmine: Agave Pentheum diſcerpſerat.

Niſi quem, &c. Vicem ſororum Ino dolebat: eo ſolo nomine infelix, nulla propria & peculiari mœrebat calamitate.

Hanc. Inonem.

Natis. Clearcho ſive Learcho, & Melicerta. Athamas Phryxum, Hellen, & alios liberos, è Nephele, priori conjuge, ſuſceperat.

Thalamo. Conjugio.

Athamantis. Principis Thebani.

Habentem, &c. Superbam.

Alumni. Bacchi, cujus cultrix erat Ino, & clienta.

Non

Non tulit: & ſecum, Potuit de pellice natus
Vertere Mæonios, pelagoque immergere, nauta
Et laceranda ſuæ nati dare viſcera matri,
Et triplices operire novis Mineidas alis:
Nil poterit Juno, niſi inultos flere dolores?
Idque mihi ſatis eſt? hæc una potentia noſtra eſt?
Ipſe docet quid agam: fas eſt & ab hoſte doceri:
Quidque furor valeat, Penthea cæde ſatiſque
Ac ſuper oſtendit. Cur non ſtimuletur, eatque
Per cognata ſuis exempla ſororibus Ino?
Eſt via declivis funeſta nubila taxo:
Ducit ad infernas per muta ſilentia ſedes:
Styx nebulas exhalat iners, umbræque recentes
Deſcendunt illac, ſimulacraque functa ſepulchris.

Non tulit. Id ægrè tulit.
Secum. Subaudi, ſic eſt locuta.
De pellice natus. Bacchus Semeles filius.
Vertere. In Delphines mutare.
Mæonios nautas. Vide finem Libri III.
Nati. Penthei.
Matri. Agave. Lib. III. num. 12.
Triplices. Tres ſorores, Supra, fab. III.
Inultos dolores. Injurias ſibi impunè factas. Legitur vulgò, *multos*: quibuſdam placet, *mutos*.
Idque mihi ſatis eſt. An ſatis habebo indulgere vano dolori?
Ipſe. Bacchus. Dum ſacrorum ſuorum contemptores punit, oſtendit mihi, quid agere me deceat; quo pacto meos hoſtes debeam plectere.
Quidque &c. Documento eſt Bacchus, quid efficere poſſit immiſſus in homines furor; dum Pentheum furentibus fęminis lacerandum objecit: cur non pari furore ſtimuletur a me Ino, & edat domeſticæ crudelitatis exempla, iis ſimilia, quæ ejus ſorores Agave, & Autonoe, jam ediderunt? Oderat Agenoris domum Juno, quia multas ex ea pellices Jupiter amaverat, nempe Europen, Semelem, &c.
Satiſque ac ſuper. Abunde, plus nimio.
Nubila. Obſcura, opaca, ob frequentes taxos.
Taxo. Taxus, arbor feralis, & in funeribus adhiberi ſolita.
Styx. Palus inferorum. Lib. II. num. 1.
Recentes. Hominum recens mortuorum animæ.
Simulacra. Animæ ſepultorum hominum. Animas mortuorum vocabant vivorum imagines, & vitas ſine corpore. Virgil. VI. Æneid. verſu 292. Inſepulti Stygem non tranſmittebant, niſi poſt annos centum Virg. Lib. VI. Igitur

fun

Pallor, hiemſque tenent late loca ſenta: novique,
Qua ſit iter, manes, Stygiam quod ducat ad urbem,
Ignorat, ubi ſit nigri fera regia Ditis.
Mille capax aditus, & apertas undique portas
Urbs habet: utque fretum de tota flumina terra,
Sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli
Exiguus populo eſt, turbamve accedere ſentit.
Errant exangues ſine corpore, & oſſibus, umbræ:
Parſque forum celebrant; pars imi tecta tyranni;
Pars aliquas artes, antiquæ imitamina vitæ,
Exercent: aliam partem ſua pœna coercet.

functa ſepulchris expone, tumulo condita, honorem ſepulchri adepta.

Senta. Sentibus ac ſpinis horrida, inculta, inamœna.

Novi manes. Animæ recentes vix in tantis tenebris iter ad aulam Plutonis reperiunt. Eas idcirco Mercurius ducere fingebatur.

Mille &c. Hoc idcirco dictum, quia mortis via multiplex.

Urbem. Inferos inſtar civitatis, lepide deſcribit.

Fretum. Mare.

Exiguus. Anguſtus.

Turbam ſentit. Tanta eſt loci amplitudo, ut nulla, qualibet ingenti turba impleatur, ac ne illam quidem perſentiſcat. Si morte nullo fluminū acceſſu intumeſcit.

Eorum celebrant. Terunt, frequentant forum: Cauſas agunt. Iiſdem occupantur ſtudiis, & artibus, quas tractabant viri. Virgil. VI. Æneid. verſ.655. Lege etiam Tullium libro I. Tuſculan. Quæſt. uum.36. 37.

Imi tecta tyranni. Intimam Plutonis regiam frequentant: ſunt ejus aulici.

Aliquas artes. Multo rectius legitur, *alias artes*.

Imitamina. Artes, illis quas exercebant in vita, ſimillimas.

Aliam partem, &c. Alii pœnas ſcelerum luunt.

Sua. Debita, juſta.

V.

Juno educit ex inferis Tiſiphonen, quæ Athamantem & Inonem vexet.

Suſtinet ire illuc, cœleſti ſede relicta,
(Tantum odiis, iræque dabat) Saturnia Juno.
Quo ſimul intravit, ſacroque a corpore preſſum

Tantum &c. Adeo efferebatur iracundia, ut oblita ſuæ dignitatis, inferos ipſamet adire ſuſtineret.

Corpore. Junonis. Sic Virgilius, Ænea cymbam

Cha-

Ingemuit limen: tria Cerberus extulit ora,
Et tres latratus ſimul edidit. Illa ſorores
Nocte vocat genitas, grave & implacabile numen.
Carceris ante fores clauſas adamante ſedebant:
Deque ſuis atros pectebant crinibus angues.
Quam ſimul agnorunt inter caliginis umbras,
Surrexere Deæ: ſedes ſcelerata vocatur.
Viſcera præbebat Tityus lanianda, novemque
Jugeribus diſtractus erat: tibi, Tantale, nullæ
Deprehenduntur aquæ, quæque imminet, effugit arbor.
Aut petis, aut urges ruiturum, Siſyphe, ſaxum

Charontis ingreſſo, *Gemuit ſub pondere cymba futilis, &c.*

Tria ora. Cerbero tria dantur à poetis capita: unum leoninum, alterum caninum, tertium lupinum. Horatius, aliis liberalior, centicipitem facit.

Sorores. Furias: Alecto, Megæram, Teſiphonem.

Numen. Quarum numen, ideſt, potentia, ira, gravis eſt.

Clauſas adamante. Ex adamante confectas; vel, adamantinis vectibus, ac peſſulis, obſeratas.

Angues. Quos, inſtar comæ, gerebant.

Sedes ſcelerata. Illa pars inferorum, ille carcer, ante cujus fores ſedebant Furiæ, vocatur ſedes ſcelerata; carcer, & domus ſceleratorum. Reſpicit vates illum Romæ vicū, qui Sceleratus eſt nuncupatus. Tit. Liv. lib. I. Donat. de Urbe Roma Lib. III. c. 9.

Tityus. Dianam temerare conatus, & ad inferos detruſus, a vulture laniatur. Vide Virgil. VI. Æneid. verſu. 595. Horat. lib. III. Od. *Deſcende cælo*.

Jugeribus. Dicitur jugeris, à recto plurali, jugera; & jugeribus, tamquam à jugeres.

Diſtractus. Extentus: diſtentus.

Tantale. Notum ejus ſupplicium: mediis in aquis ſitit: & inter alludentes ori fructus, conficitur fame. *Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit*. Nempe, quia cum Jovis epulis intereſſet, arcana quædam, ibi audita, vulgavit. Ovidius alibi a *Poma pater Pelopis præſentia quærit, & idem, ſemper eget liquidis, ſemper abundat, aquis*.

Siſyphe. Siſyphus, cum Græciam latrociniis infeſtam haberet, a Theſeo eſt interfectus. Saxum, ut narrant poetæ, apud inferos urget, ac propellit in montis verticem, ex quo illud ſua ſponte ſemper recidit.

Petis. Reportas, reprehendis.

Volvitur Ixion, & ſe ſequiturque, fugitque;
Molirique ſuis letum patruelibus auſæ
Aſſidue repetunt, quas perdant, Balides undas.
Quos omnes facie poſtquam Saturnia torva
Vidit, & ante omnes Ixiona; rurſus, ab illo
Siſyphon aſpiciens, Cur hic e fratribus, inquit,
Perpetuas patitur pœnas? Athamanta ſuperbum
Regia dives habet? qui me cum conjuge ſemper
Sprevit? & exponit cauſas odiique, viæque,
Quidque velit. Quod vellet, erat, ne regia Cadmi
Staret, & in facinus traherent Athamanta Sorores:
Imperium, promiſſa, preces, confundit in unum,
Sollicitatque Deas. Sic hæc Junone locuta,
Tiſiphone canos, ut erat turbata, capillos

Ixion. Junonis pudicitiam attentare auſus, rotæ alligatūs eſt, quæ ſemper circumagitur.

Patruelibus. Appellantur patrueles, qui nati ſunt ex duobus fratribus.

Belides. Beli neptes. Belus, rex Aſſyriorum, Danaum, & Ægyptum filios habuit. Uterque liberos ſuſcepit quinquaginta, hic mares, ille fæminas. Ægyptus ſuos filios totidem fratris ſui filiabus maritos dedit. Sed Danaus oraculo monitus, ſe ab uno Ægypti filio & genero ſuo, interficiendum; imperavit filiabus, ut maritos ſingulæ perimerent. Morem geſſerunt omnes, præter unam, & hac pœna idcirco plectuntur apud inferos, poetis teſtibus, ut aquam in dolium pertuſum irrito labore ſemper fundant. Vide Horat. Lib. III. Od. *Mercuri, nam te &c.*

Repetunt. Rurſum infundunt. Deſcriptionem inferorum vide apud Virgilium, Lib. VI.

Ixiona. Cui præ cæteris infenſa erat, utpote ab illo de ſtupro interpellata.

Ab illo. Poſt illum.

Hic de fratribus. Ille, alter fratrum. Siſyphus quippe, & Athamas, maritus Inonis, fratres fuere, filii Æoli. Cur Siſyphus torquetur, inquit Juno, & Athamas regnat? cur duorum fratrum ſors adeo diſpar eſt? Athamas Siſypho eſt nequior, ac majore pœna dignus.

Conjuge. Inone.

Cauſas odii. Nempe, quod floreret domus Agenorea. Odii præcipua cauſa, Semele, quæ ſoror Inonis.

Quod vellet, erat, ne &c. Id porro volebat Juno, ne domus Cadmi ſtaret: ut exſcinderetur.

Et in facinus, &c. Petebat, ut Furiæ impellerent Athamantem ad tetrum aliquod, & immane facinus.

Turbata. Incompta, impexa. Ut habebat disjectos

Movit, & obſtantes rejecit ab ore colubros:
Atque ita; Non longis opus eſt ambagibus, inquit:
Facta puta, quæcumque jubes: inamabile regnum
Deſere; teque refer cœli melioris ad auras.
Læta redit Juno, quam cœlum intrare parantem
Roratis luſtravit aquis Thaumantias Iris.

temere angues, & capillos, ideò illos removit ab ore. Vel: aſpectu Junonis perturbata.

Obſtantes. Impedientes ne aſpiceretur: ne loqueretur.

Colubros. Qui pendebant illi a capite, & capillorum inſtar, circa os fluctuabant.

Facta puta. Pro jam factis habe: ne dubita, quin fiant.

Regnum. Inferorum.

Rorantis. Leviter aſperſis. Imbre roſcido.

Luſtravit. Expiavit, purgavit. Moris erat apud Romanos, ut ſe abluerent vivo latice, cum à domo funeſta, vel exequiis, redibant. Virgil. VI. Æneid. verſ. 231. Multo id magis fecit Juno ab inferorum limine reverſa.

Thaumantias. Id nominis habet vel a Thaumante, ſuo patre: vel a mira, quæ in arcu cœleſti apparet, colorum varietate, *θαυμάζω, miror*.

Iris. Junonis famula. Porro arcus cœleſtis non conſpicitur, niſi in nube roſcida, & liqueſcente. Lib. I. num. 10.

VI.

Athamas furore correptus filium Learchum mactat; Ino ſe præcipitem cum altero filio in mare dejicit.

Nec mora Tiſiphone madefactam ſanguine ſumit
Importuna faciem, fluidoque cruore rubentem
Induitur pallam, tortoque incingitur angue,
Egrediturque domo. Luctus comitatur euntem,
Et Pavor, & Terror, trepidoque Inſania vultu.
Limine conſtiterat, poſtes tremuiſſe feruntur
Æolii, pallorque fores infecit acernas:

Importuna. Improba: dira.

Torto &c. Zonam illi præbet anguis intortus.

Lumine conſtiterat. Poſtquam venit domum Athamantis.

Poſtes Æolii. Janua Athamantis, qui nepos Æoli.

Acernas. Ex acere arbore confectas.

Solque locum fugit. Monſtris exterrita conjux,
Territus eſt Athamas, tectoque exire parabant:
Obſtitit infælix, aditumque obſedit Erinnys,
Nexaque vipereis diſtendens brachia nodis,
Cæſariem excuſſit: motæ ſonuere colubræ,
Parſque jacent humeris, pars circum pectora lapſæ
Sibila dant, ſaniemque vomunt, linguiſq; coruſcant.
Inde duos mediis abrupit crinibus angues,
Peſtiferaque manu raptos immiſit: at illi
Inoosque ſinus, Athamanteosque pererrant,
Inſpirantque graves animos, nec vulnera membris
Ulla ferunt: mens eſt, quæ diros ſentiat ictus.
Attulerat ſecum liquidi quoque monſtra veneni;
Oris Cerberei ſpumas, & virus Echidnæ,
Erroreſque vagos, cæcæque oblivia mentis,
Et ſcelus, & lacrymas, rabiemque & cædis amorem;
Omnia trita ſimul, quæ ſanguine miſta recenti
Coxerat ære cavo, viridi verſata cicuta.
Dumque pavent illi, vertit furiale venenum
Pectus in amborum, præcordiaque intima movit.
Tum face jactata per eumdem ſæpius orbem,
Conſequitur motos velociter ignibus ignes.

Monſtris. Januæ motu, folis fuga, &c.
Conjux. Ino.
Erinnys. Furia. Lib. I. n. 9.
Nexaque &c. Extendens in ipſa porta hinc inde brachia, ſerpentibus inter ſe nexis implicata, & involuta.
Excuſſit. Quaſſavit, agitavit.
Colubræ. Quibus erat comata.
Parſque &c. Alii angues inſident humeris Teſiphones: alii circa ejus ſinum errant.
Coruſcant. Vibrant linguas, celeritate ſumma. Infra, num. 8.
Abrupit. E turba anguium, quibus erat crinita, excmit, eduxit.
Graves. Furioſos.
Mens eſt &c. In mentem ſæviunt ſolam.
Monſtra veneni. Confectum e novis, ac prodigioſis peſtibus toxicum.
Echidnæ. Græca iſta vox viperam, ac ſerpentem etiam alium quemlibet, ſonat.
Ære. Olla ærea.
Verſata. Mota, & remiſta ramo viridis cicutæ. Eſt herba præſentiſſimi, ob frigus, veneni.
Illi. Athamas, & Ino.
Furiale. Idoneum furori excitando.
Jactata &c. Per eumdem gyrum agitata.
Conſequitur &c. Flammã, agitatione facis excitatam, ma-

Sic victrix, juſſique potens, ad inania magni
Regna redit Ditis, ſumptumque recingitur anguem.
Protinus Æolides media furibundus in aula
Clamat, Io comites, his retia tendite ſilvis:
Hic modo cum gemina viſa eſt mihi prole leæna:
Utque feræ, ſequitur veſtigia conjugis amens:
Deque ſinu matris ridentem, & parva Learchum
Brachia tendentem, rapit, & bis, terque per auras
More rotat fundæ, rigidoque infantia ſaxo
Diſcutit ora ferox. Tum denique concita mater,
Seu dolor hoc fecit, ſeu ſparſi cauſa veneni,
Exululat, paſſiſque fugit male ſana capillis:
Teque ferens parvum nudis, Melicerta, lacertis,
Evoe, Bacche, ſonat. Bacchi ſub nomine Juno
Riſit, & hos uſus præſtet tibi, dixit, alumnus.
Imminet æquoribus ſcopulus: pars ima cavatur
Fluctibus, & tectas defendit ab imbribus undas:
Summa riget, frontemque in apertum porrigit
æquor.
Occupat hunc (vires inſania fecerat) Ino:

magis accendit, continenter illam rotando, ita ut circulum igneum non interruptum efficere videatur.

Victrix. Voti compos.

Juſſi potens. Perfectis rebus, quæ illi fuerant à Junone imperatæ.

Inania. Ubi tantum exangues, ſine corpore, & oſſibus, umbræ ſunt.

Ditis. Plutonis.

Recingitur anguem. Solvit anguem, quo renes, inſtar zonæ, ut eſſet expeditior, cinxerat; nunc diſcincta, & ſoluta, revertitur ad inferos.

Æolides. Athamas.

His ſilvis. Domum, ut ſilvam, videre ſibi videtur.

Cum prole gemina. Cum duobus catulis.

Utque feræ, &c. Uxorem, tamquam feram, ſectatur.

Learchum. Unum e ſuis liberis.

Infantia ora. Caput Learchi infantis.

Diſcutit. Disjicit.

Sparſi. A Teſiphone immiſſi.

Paſſis. Sparſis, disjectis.

Evæ. Supra, n. 1. Unum eſt e Bacchi nominibus.

Riſit. Quippe Bacchus iſtius furoris, & exitii erat cauſa; quem oderat Juno, propter ejus matrem Semelen, Jovis pellicem.

Hos uſus, &c Eſto ſane, proſit ad hoc tibi Bacchus, ut furore correpta pereas. Hoc illi acceptum refer.

Summa. Pars ſumma ſco-

Seque ſuper pontum nullo tardata timore
Mittit, onuſque ſuum, percuſſa recanduit unda.

ſcopuli, cacumen.
Onus ſuum. Filium alterum, Melicertam nempe, quem geſtabat.

Recanduit. Sæpe incanuit. Apparuit candida, ob ſpumam, Ino præcipitante, bullientem.

VII.

Ino & Melicerta in Deos marinos mutantur: eorum comites, & famulæ, in ſaxa & aves.

At Venus immeritæ neptis miſerata labores,
Sic patruo blandita ſuo eſt: O numen aquarum
Proxima cui cœlo ceſſit, Neptune, poteſtas:
Magna quidem poſco; ſed tu miſerere meorum,
Jactari quos cernis in Jonio immenſo;
Et Dis adde tuis: aliqua & mihi gratia ponto eſt.
Annuit oranti Neptunus, & abſtulit illis
Quod mortale fuit; majeſtatemque verendam
Impoſuit, nomenque ſimul, faciemque novavit:
Leucotheaque Deum, cum matre, Palæmona dixit,
Sidoniæ comites, quantum valuere, ſecutæ,
Signa pedum primo videre noviſſima ſaxo.

Neptis. Inus: cujus mater Hermione, filia Veneris fuit.
Patruo. Neptuno, qui frater Jovis. Venus Jovis filia.
Blandita. Blande precata.
Proxima cœlo poteſtas. Cui obtigit poteſtas, a Jove ſecunda: imperium nempe maris.
Jonio. Pars mediterranei maris eſt, inter Italiam. Græciam, & Cretam.
Tuis. Marinis.
Gratia. Auctoritas: te patruo.

Novavit. Mutavit. Novam dedit.
Leucothea. Juſſit Inonem vocari Leucotheam; Melicertam vero, Palæmonem. Leucotheam Romani Matutam vocabant, Cicerone teſte I. Tuſc. & Ovid. Faſt. 6.
Sidoniæ. Thebanæ matronæ, a Tyriis & Sidoniis oriundæ.
Secutæ. Inonem progreſſam ad ſcopulum.
Primo ſaxo. In prima, quæ mari imminebat, rupis parte.

Nec

Nec dubium de morte ratæ, Cadmeida palmis
Deplanxere domum, ſciſſis cum veſte capillis:
Utque parum juſtæ, nimiumque in pellice ſævæ
Invidiam fecere Deæ. Convicia Juno
Non tulit; & faciam vos ipſas maxima, dixit,
Sævitiæ monimenta meæ, res dicta ſecuta eſt.
Nam quæ præcipue fuerat pia: Perſequar, inquit,
In freta reginam, ſaltumque datura, moveri
Haud uſquam potuit, ſcopuloque affixa cohæſit.
Altera, dum ſolito tentat plangore ferire
Pectora, tentatos ſenſit riguiſſe lacertos.
Illa, manus ut forte tetenderat in maris undas,
Saxea facta, manus in eaſdem porrigit undas.
Hujus, ut arreptum laniabat vertice crinem,
Duratos ſubito digitos in crine videres.
Quo quæque in geſtu deprehenſa eſt, hæſit in illo.
Pars volucres factæ, quæ nunc quoque gurgite in illo
Æquora diſtringunt ſummis Cadmeides alis.

Nec dubium. Extinctam cum filio minime dubitantes.
Cadmeida. Familiam Cadmi deletam.
Palmis deplanxere. Tundentes pectora manibus, deflevere.
Invidiam fecere. Odium illi apud omnes conflaverunt. *Deæ*. Junoni.
Pia. In deploranda morte Inonis.
Cohæſit. Adhæſit eidem ſcopulo.

Tentatos. Quos flecteret, & extendere tentabat.
Diſtringunt. Radunt, pervolitant.
Summis. Extremis: leviter aquam ſummam tangentibus. Legit Heinſius, *ſumptis*.
Cadmeides. Quas proxime vocavit Sidonias Inonis comites: familiæ Cadmi ſtudioſæ: Thebanæ mulieres: Cadmus enim Thebarum conditor, Heinſio placet, *Iſmenides*.

VIII.

Cadmus & Hermione anguium formam induunt.

Neſcit Agenorides natam, parvumque nepotem,
Æquoris eſſe Deos: luctu, ſerieque malorum

Agenorides. Cadmus, Agenoris filius.

Natam. Ino.
Nepotem. Melicertam.

Victus, & oſtentis, quæ plurima viderat, exit
Conditor urbe ſua, tamquam fortuna locorum,
Non ſua ſe premeret; longiſque erroribus actus
Contigit Illyricos, profuga cum conjuge, fines.
Jamque malis, annisq; graves, dum prima retractant
Fata domus, releguntque ſuos ſermone labores:
Num ſacer, ille mea trajectus cuſpide ſerpens,
Cadmus ait, fuerat, tum, cum Sidone profectus
Vipereos ſparſi per humum, nova ſemina, dentes?
Quem ſi cura Deum tam certa vindicat ira,
Ipſe precor ſerpens in longam porrigar alvum:
Dixit, &, ut ſerpens in longam tenditur alvum,
Duratæque cuti ſquamas increſcere ſentit,
Nigraque cæruleis variari corpora guttis;
In pectuſque cadit pronus, commiſtaque in unum
Paulatim tereti tenuantur acumine crura.
Brachia jam reſtant, quæ reſtant brachia tendit,
Et lacrymis per adhuc humana fluentibus ora,
Accede, o conjux, accede, miſerrima, dixit.
Ille quidem vult plura loqui; ſed lingua repente
In partes eſt fiſſa duas; nec verba volenti
Sufficiunt, quotieſque aliquos parat edere queſtus,
Sibilat, hanc illi vocem natura reliquit.

Oſtentis. Prodigiis, quæ ſcilicet oſtenduntur ad homines divinitus monendos, incutiendum terrorem, &c.

Urbe. Thebis. Lib. III. num. 1.

Tamquam &c. Quaſi locus, & Græcia, eſſet cauſa tot calamitatum, quibus premebatur; ac non potiùs ſiniſtra ipſius fortuna.

Illyricos fines. Illyria eſt regio Europæ ampla (*la Schiavonia*) ſupra Epirum, ad Septemtrionem, reſpiciens Italiam, interjecto mari Adriatico.

Retractant. Commemorant inter ſe: refricant.

Fata. Ærumnas, clades.

Num ſacer &c. An ille ſerpens, quem interfeci (Lib. III.) erat conſecratus alicui Deo, qui pœnas a nobis repetat tot cladibus?

Vipereos. Lib III. n. 3.

Quem ſi &c. Quod ſi, propter illum anguem cæſum Superi tam atrociter mihi ſunt irati, & infenſi; non recuſo, ut illos placatos habeam, fieri ſerpens.

Increſcere. Innaſci.

Guttis. Notis, maculis, quibus tamquam guttis aſpergitur pellis ſerpentum.

In partes duas. Linguam celeritate ſumma vibrant ſerpentes, adeout gemina, immo triplex, videatur.

Mon-

Nuda manu feriens exclamat pectora conjux,
Cadme, mane; teque his infelix exue monſtris.
Cadme, quid hoc? ubi pes? ubi ſunt humerique, manuſque?
Et color, & facies? & dum loquor, omnia? cur non
Me quoque cœleſtes in eumdem vertitis anguem
Quiſquis adeſt (aderant comites) terretur: at illa
Lubrica permulcet criſtati colla draconis;
Et ſubito duo ſunt, junctoque volumine ſerpunt,
Donec in appoſiti nemoris ſubiere latebras.
Nunc quoque nec fugiunt hominem, nec vulnere lædunt,
Quidque prius fuerint, placidi meminere dracones.

Monſtris. Excute illam terribilem formam.

At illa. Hermione, in anguem verſa, lambit colla Cadmi. Heinſium vetuſti codices impulerunt, ut ſcribendum putaret: *At illos* (nempe comites Cadmi) *lubrica permulcent criſtati colla dracones*. Permulcent dracones, quorum capita criſtata: nempe Cadmus, & Hermione, modo in angues verſi.

Criſtati. Extat in capite draconum pellis ſubrecta, inſtar criſtæ.

Volumine. Corpore, quod volvitur in ſerpentibus, ac trahitur per terram.

Appoſiti. Vicini.

Nunc quoque &c. Dicuntur dracones gaudere hominum aſpectu.

I X.

Gutta ſanguineæ Meduſæi capitis, in angues converſæ: Atlas in montem.

Sed tamen ambobus verſæ ſolatia formæ
Magna nepos dederat, quem debellata colebat
India, quem poſitis celebrabat Achaja templis.
Solus Abantiades, ab origine cretus eadem,

Nepos. Bacchus: Semeles filius, quæ Cadmi & Hermiones filia.

Achaja. Pars Græciæ, Peloponneſo proxima: nunc *Livadia* vocatur.

Abantiades. Acriſius, Abantis filius, rex Argivorum.

Ab origine eadem. Belus, Abantis pater, filius Jovis fuit, ſicut Bacchus: ergo Acriſius originem ſuam pariter ad Jovem referebat.

Cretus. Ortus, genitus.

Acriſius ſupereſt, qui mœnibus arceat urbis
Argolicæ, contraque Deum ferat arma, genuſque
Non putet eſſe Jovis. Sed nec Jovis eſſe putabat
Perſea, quem pluvio Danae conceperat auro.
Mox tamen Acriſium (tanta eſt præſentia veri)
Tam violaſſe Deum, quam non agnoſſe nepotem,
Pœnitet: impoſitus jam cœlo eſt alter; at alter
Viperei referens ſpolium memorabile monſtri,
Aera carpebat tenerum ſtridentibus alis;

Argolica. Argolicam urbem vocat ipſos Argos. *Argo*.

Contra Deum. Bacchum.

Genus Jovis. Non putat Bacchum eſſe Jovis genus, id eſt, a Diis, a Jove, oriundum.

Sed nec Jovis &c. Quemadmodum, non credit Bacchum eſſe filium Jovis: ita nec Perſeum Jove natum putat, ſed in utroque fallitur: nam alter, nempe Bacchus, jam inter Superos relatus erat; alter, nimirum Perſeus, egregiis facinoribus cœlum ipſum promerebatur.

Perſea. Græca terminatio; pro Perſeum. Fuit Acriſio filia Danae: hanc in turri aliena tenebat clauſam, quia ſe a nepote occidendum audierat. Jupiter in imbrem aureum mutatus, ut poetæ canunt, ex ea Perſeum ſuſcepit; is Acriſium poſtea imprudens, dum diſco luderet, interfecit. Horat. lib. III. Ode, *Incluſam*.

Pluvio auro. E Jove in auream pluviam converſo.

Mox tamen.. Brevi tamen pœnituit Acriſium, & quod ſpreviſſet Bacchum, & quod Perſeum pro Jovis filio non agnoviſſet: talem enim utrumque eſſe comperit, & morte impietatem luit.

Præſentia. Vis, efficacia.

Violaſſe Deum. Bacchum ſpreviſſe. *Nepotem*. Perſeum.

Viperei monſtri ſpolium. Caput Meduſæ, viperis comatum, Meduſa, Phorci filia Palladi ſe præferebat. Indignata Pallas ejus crines, quibus maximè Neptuno placuerat, in angues mutavit, iiſque vim hanc indidit, ut quicumque ipſos aſpexiſſet, verteretur in lapidem. Nec ſatis: Perſeo mactandam objecit, qui, cum ejus caput à collo reciſum ferret per Libyam, Africæ partem, delapſæ ſunt in terram ſanguineæ guttæ, ac mutatæ in angues.

Alis. Talaribus, ſeu pennis, quas a Mercurio acceperat. Vulgo tradunt mactatam communi Deorum conſilio Meduſam, dolentium ſcilicet plurimos homines ejus aſpectu lapideſcere. Pluto igitur galeam Perſeo dedit; Mercurius talaria, & falcatum enſem; Pallas clypeum, inſtar ſpeculi politum, in quo Meduſam averſus, & impune, aſpiceret; ſeque illi tanti ope-

Cumque ſuper Libycas victor penderet arenas,
Gorgonei capitis guttæ cecidere cruentæ,
Quas humus exceptas varios animavit in angues:
Unde frequens illa eſt, infeſtaque terra colubris.
Inde per immenſum ventis diſcordibus actus
Nunc huc, nunc illuc, exemplo nubis aquoſæ,
Fertur: & ex alto ſeductas æthere longe
Deſpectat terras, totumque ſupervolat orbem.
Ter gelidas Arctos, ter Cancri brachia vidit:
Sæpe ſub occaſus, ſæpe eſt delatus in ortus.
Jamque cadente die veritus ſe credere nocti,
Conſtitit heſperio, regnis Atlantis, in orbe:
Exiguamque petit requiem, dum Lucifer ignes
Evocet Auroræ, curſuſque Aurora diurnos.
Hic hominum cunctis ingenti corpore præſtans
Japetionides Atlas fuit: ultima tellus
Rege ſub hoc, & pontus erat, qui ſolis anhelis

operis ducem, & adjutricem præbuit. Ipſa deinde Meduſæ caput a Perſeo ſumpſit, & Ægidi ſuæ inſeruit.

Gorgonei. Meduſei. Fuerunt Phorci, Dei marini, filiæ tres, Meduſa, Sthenyo, & Euryale; dictæ ſunt Gorgones a voce Græca γοργὸς, quæ torvum & ferocem, ſignificat. Scribit Diodorus fæminas fuiſſe in Africa bellicoſas; iis bellum a Perſeo illatum, victam earum ducem Meduſam.

Per immenſum. Per vaſtum aeris ſpatium.

Seductas æthere. A cœlo remotas.

Arctos. Signum eſt Septemtrionale. Lib. II. n. 3. & 12.

Cancri. Cancer Zodiaci ſignum eſt quartũ. Lib. II. n. 1.

Ter &c. Sæpe luſtravit regiones Cancro, & Urſæ ſubjectas.

Heſperio. Occidentali; ubi apparet ſtella Heſperus: de qua fit mentio lib. II. n. 3.

Dum.. Rogat, ut ibi pernoctare poſſit, donec poſtera dies oriatur.

Lucifer. Lib. II. n. 3.

Ignes auroræ. Cœlum ſolet apparere mane candens, & rutilum.

Curſuſque, &c. Donec aurora ſolem quaſi evocet ad curſum quotidianum obeundum.

Japetionides. Filius Japeti: Promethei frater.

Ultima tellus. Veteres putabant Mauritania, & vicinis regionibus, orbem terminari, a meridie, & occidente. Adhuc enim latebant America, & Africa interior.

Rege ſub hoc. Erant in Atlantis ditione.

Et pontus, qui &c. Mare occidentale.

Anhelis. Diurno labore fatigatis.

Æquora ſubdit equis, & feſſos excipit axes.
Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Errabant, & humum vicinia nulla premebat.
Arboreæ frondes auro radiante nitentes.
Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.
Hoſpes, ait Perſeus illi, ſeu gloria tangit
Te generis magni; generis mihi Jupiter auctor:
Sive es mirator rerum; mirabere noſtras.
Hoſpitium, requiemque peto. Memor ille vetuſtæ
Sortis erat. Themis hanc dederat Parnaſſia ſortem,
Tempus, Atla, veniet, tua quo ſpoliabitur auro
Arbor: & hunc prædæ titulum Jove natus habebit.
Id metuens, ſolidis pomaria clauſerat Atlas
Mœnibus, & vaſto dederat ſervanda draconi:
Arcebatque ſuis externos finibus omnes.
Huic quoque; Vade procul, ne longe gloria rerum,
Quas mentiris, ait, longe tibi Jupiter, abſit.
Vimque minis addit, manibuſque expellere tentat
Cunctantem, & placidis miſcentem fortia dictis.

Æquora ſubdit. Quaſi cubile ſubſternit. In mari Sol conſiſtere per noctem dicitur a poetis,& requieſcere.

Armenta. Diſcrimen inter armentum, & gregem vide Lib. I. num. 14.

Vicinia nulla, &c. Nulli vicini reges arabant humum, aut Atlantem ipſum vexabant. Unus regionem totam obtinebat.

Arboreæ, &c. Habebat idem Atlas hortos, ubi arborum frondes, rami, & fructus aurei.

Hoſpes, &c. O hoſpes, o Atla, inquit Perſeus. Hoſpes appellatur, qui advenam tecto excipit: interdum ille ipſe qui excipitur: peregrinus.

Seu gloria &c. Si nobilitatem quæris, a Jove ſum oriundus: ſi fortitudinem, miraberis res a me præclare geſtas.

Memor ille, &c. Meminerat Atlas vetuſti cujuſdam oraculi.

Sortis. Lib. I. num. 12.

Auro. Aureis fructibus.

Themis Parnaſſia. Cujus templum in Parnaſſo monte.

Titulum. Honorem.

Pomaria. Hortos pomiferos.

Huic quoque. Hunc pariter peregrinum, videlicet Perſeum, ſic eſt allocutus: Abſis, faceſſe.

Ne longe, &c. Ne a me pulſus per vim, & male acceptus, planum facias omnibus, quam falſo tibi arroges gloriam tot rerum præclare geſtarum, & originis, a Jove, ut jactas, ductæ.

Fortia. Minacia.

Viri.

Viribus inferior (quis enim par eſſet Atlantis
Viribus?) At quoniam parvi tibi gratia noſtra eſt,
Accipe munus, ait; lævaque à parte Meduſæ
Ipſe retroverſus ſqualentia protulit ora.
Quantus erat, mons factus Atlas: nam barba, comæque
In ſilvas abeunt: juga ſunt humerique, manuſque
Quod caput ante fuit, ſummo eſt in monte cacumen:
Oſſa lapis fiunt: tum partes altus in omnes
Crevit in immenſum (ſic Di ſtatuiſtis) & omne
Cum tot ſideribus cœlum requievit in illo.

Viribus inferior ait. Perſeus, ſentiens ſe reſiſtendo parem non eſſe: Accipe, inquit, munus, tua humanitate dignum. Ironia.

Quoniam &c. Quandoquidem ita nos, ac noſtram amicitiam deſpicis.

Retroverſus. Vultum in tergum reflectens, ne caput Meduſæ videret.

Factus. Subaudi, eſt.

Cœlum. Vide Libro II. num. 7.

X.

Andromeda monſtro marino expoſita: Perſeus de illa liberanda cum ejus parentibus paciſcitur.

Clauſerat Hippotades æterno carcere ventos:
Admonitorque operum cœlo clariſſimus alto
Lucifer ortus erat. Pennis ligat ille reſumptis
Parte ab utraque pedes, teloque accingitur unco;
Et liquidum motis talaribus aera findit.
Gentibus innumeris circumque, infraque, relictis,

Clauſerat &c. Cœlum erat quietum, & a vẽtis pacatum. Hoc eo dicit, ut intelligatur Perſeus aerem longe ac late concurſaſſe, nempe placidum ventis cœlum nactus.

Hippodates. Æolus, ventorum rex, Hippotæ filius, vel nepos.

Æterno. Quo ſemper illos pro arbitrio claudit. Vel: ſolido, non deſtruendo.

Admonitor operum. Qui homines de repetendo labore admonet.

Lucifer. Lib. II. n. 3.

Pennis. Talaribus. Supra, d. 9. & Lib. I. n. 18.

Reſumptis. Eas enim per noctem depoſuerat.

Æthi-

Æthiopum populos, Cepheaque conſpicit arva.
Illic immeritam maternæ pendere linguæ
Andromedam pœnas injuſtus juſſerat Ammon.
Quam ſimul ad duras religatam brachia cautes
Vidit Abantiades, niſi quod levis aura capillos
Moverat, & tepido manabant lumina fletu;
Marmoreum ratus eſſet opus. Trahit inſcius ignes,
Et ſtupet, & viſæ correptus imagine formæ,
Pæne ſuas quatere eſt oblitus in aere pennas.
Ut ſtetit: O, dixit, non iſtis digna catenis,
Pande requirenti nomen terræque, tuumque,
Et cur vincla geras. Primo ſilet illa, nec audet
Appellare virum virgo, manibuſque modeſtos
Celaſſet vultus, ſi non religata fuiſſet.
Lumina, quod potuit, lacrymis implevit obortis.
Sæpius inſtanti, ſua ne delicta fateri

Æthiopum. Lib. II. n. 5.

Cephea arva. Regna Cephei. Cepheus rex Æthiopum, in Africa. Hujus uxor Caſſiope Nereides deſpexerat, formæ fiducia. Illæ apud Neptunum de injuria queſtæ ſunt. Neptunus balænam horribilem immiſit in Æthiopiam, & omnem oram maritimam pervaſtavit. Conſultus Jupiter, reſpondit non poſſe placari Nereides, niſi Andromeda, Cephei, & Caſſiopes, filia, huic monſtro devoranda objiceretur. Objectam vidit Perſeus, uxorem expetiit, nuptias ita pactus, ſi belluam perimeret. Peremit: duxit Andromedam. Sed Phineus, Cephei frater, cui fuerat illa prius deſponſa, obſtitit; & a Perſeo in ſaxum mutatus, cum comitibus, eſt.

Maternæ linguæ. Superbæ orationis, qua Caſſiope, ſua mater, Nereidas contempſerat.

Ammon. Ita vocabatur Jupiter, in arenoſa Libya cultus, arietis ſpecie. *ἄμμος*, Græca vox, arenam ſignificat. Lege Q. Curtium, Ajunt Bacchum errantem in Libya, & ſiti confectum, imploraſſe Jovis opem, qui oblatus illi ſub arietis figura, fontem monſtravit; quo in loco Bacchus viciſſim templum condidit, Ammoni Jovi, quaſi diceres, arenoſo, ſacrum. Porrò, cum *ἄμμος* leni ſcribatur ſpiritu; vox Ammon, inde ducta, melius ſcribitur ſine H.

Injuſtus. Non enim videtur æquum, ut filii crimina parentum luant.

Abantiades. Perſeus: Abantis pronepos: Acriſii, ex filia, nepos. Acriſius Abante genitus erat.

Opus. Statuam.

Pennas. Talaria.

Appellare. Alloqui.

Sua ne, &c. Ne, ſi pergeret ſilere, præberet ſuſpicio-

Nolle videretur, nomen terræque, ſuumque,
Quantaque maternæ fuerit fiducia formæ,
Indicat; &, nondum memoratis omnibus, unda
Inſonuit, venienſque immenſo bellua ponto.
Imminet, & latum ſub pectore poſſidet æquor.
Conclamat virgo, genitor lugubris, & una
Mater adeſt, ambo miſeri, ſed juſtius illa.
Nec ſecum auxilium, ſed dignos tempore fletus,
Plangoremq; ferunt, vinctoq; in corpore adhærent.
Tum ſic hoſpes ait, Lacrymarum longa manere
Tempora vos poterunt: ad opem brevis hora ferendam eſt.
Hanc ego ſi peterem Perſeus, Jove natus, & illa
Quam clauſam implevit fecundo Jupiter auro,
Gorgonis anguicomæ Perſeus ſuperator, & alis
Æthereas auſus jactatis ire per auras;
Præferrer cunctis certe gener: addere tantis
Dotibus & meritum (faveant modo numina) tento.
Ut mea ſit, ſervata mea virtute, paciſcor.
Accipiunt legem (quis enim dubitaret?) & orant;
Promittuntque ſuper regnum dotale parentes.

cionem alicujus criminis à ſe commiſſi, cujus pœnam dependeret.

Quantaque &c. Quo pacto mater ſe, ob formam, inſolenter extulerit.

Poſſidet. Premit, tegit.

Juſtius illa. Caſſiope, quæ cauſa erat tantæ calamitatis, & jure potiori miſera.

Nec ſecum &c. Non veniunt ut opem afferant, ſed ut lugeant.

Adhærent. Ligatam filiam complectuntur flentes.

Hoſpes. Perſeus.

Longa manere, &c. Longum, & liberum, flendi tempus vobis erit: ſed eſt breve ad opem filiæ veſtræ afferendam; nunc de illa ſtatim liberanda cogitandum.

Manere. Suppetere.

Peterem. Mihi uxorem.

Illa quam . . Danae. Jovis & Danaes filius ſum. Supra, num. 9.

Gorgonis. Supra, n. 9.

Addere, &c. Nunc etiam, præter hanc generis nobilitatem, conabor inſigni aliquo facinore, ac beneficio, conjugium hoc promereri.

Paciſcor. Ea conditione meam eſſe volo, ſi eam liberavero.

Orant. Ut ſervare virginem ea lege velit.

Dotale. Pro dote: dotis loco.

Per-

X I.

Perſeus monſtro marino interfecto, Andromedam liberat. Corallia unde nata ſint.

Ecce, velut navis præfixo concita roſtro
Sulcat aquas juvenum ſudantibus acta lacertis:
Sic fera, dimotis impulſu pectoris undis,
Tantum aberat ſcopulis, quantum Balearica torto
Funda poteſt plumbo medii tranſmittere cœli:
Cum ſubito juvenis, pedibus tellure repulſa,
Arduus in nubes abiit. Ut in æquore ſummo
Umbra viri viſa eſt, viſam fera ſævit in umbram.
Utque Jovis præpes, vacuo cum vidit in arvo
Præbentem Phœbo liventia terga draconem,
Occupat averſum; neu ſæva retorqueat ora,
Squamigeris avidos figit cervicibus ungues:
Sic celeri miſſus præceps per inane volatu
Terga feræ preſſit, dextroque frementia in armo
Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo.

Præfixo roſtro. Navis, quæ proram ferro præfixam habet. In navi roſtrum vocatur pars prima proræ, extans, & acuta, ferro armata.

Concita. Incitata.

Juvenum. Remigum.

Balearica. Lib. II. n. 16. Tantum aberat a ſcopulo, quantum eſt illud aeris intervallum, quod glans plumbea, quam funda torſit, emetiri poteſt.

Medii. Patentis, vacui.

Tellure repulſa pedibus. Ut ſublimem ſe tolleret.

Abiit. Ultimam ſyllabam in iſtis Ovidius producere ſolet.

Æquore ſummo. In maris ſuperficie.

Jovis præpes. Jovis ales: aquila. Præpes idem eſt vulgo ac velox; alis ingentibus præditus. Præpetes proprie dicebantur aves fauſtæ, ac boni ominis.

Præbentem Phœbo. Pandentem ad ſolis radios: Apricantem.

Occupat. Invadit ex improviſo. Inter aquilam, & draconem naturale diſſidium intercedit.

Averſum. A tergo.

Neu &c. Neve draco lædere dentibus aquilam poſſit, reflexa in tergum cervice.

Miſſus præceps. Subito delapſus.

Preſſit. Propius invaſit.

Armo. Humero.

Inachides. Perſeus, Argivus. Inachus, primus Argivorum rex, in Græcia.

Curvo tenus hamo. Uſque

ad

Vulnere læſa gravi, modo ſe ſublimis in auras
Attollit, modo ſubdit aquis; modo more ferocis
Verſat apri, quem turba canum circumſona terret.
Ille avidos morſus velocibus effugit alis;
Quaq; patent, nunc terga cavis ſuper obſita conchis,
Nunc laterum coſtas; nunc, qua tenuiſſima cauda
Deſinit in piſcem, falcato vulnerat enſe.
Bellua puniceo miſtos cum ſanguine fluctus
Ore vomit: maduere graves aſpergine pennæ;
Nec bibulis ultra Perſeus talaribus auſus
Credere, conſpexit ſcopulum, qui vertice ſummo
Stantibus extat aquis, operitur ab æquore moto.
Nixus eo, rupiſque tenens juga prima ſiniſtra,
Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.
Littora cum plauſu clamor, ſuperaſque Deorum
Implevere domos. Gaudent, generumque ſalutant,
Auxiliumque domus, ſervatoremque fatentur
Caſſiope, Cepheuſque pater: reſoluta catenis
Incedit virgo, pretiumque & cauſa laboris.
Ipſe manus hauſta victrices abluit unda:
Anguiferumque caput dura ne lædat arena,
Mollit humum foliis, nataſque ſub æquore virgas

ad capulum, cui vulgo hamus additur, ideſt, ferrum recurvum, quod manum ſiſtit, & continet.

Subdit. Subjicit, immergit

Ille. Perſeus.

Qua patent &c. Qua parte ictibus patent terga. Partes laterum, ac tergi, molliores, quæ extant ex aqua, & vulneri opportunæ ſunt, ferit.

Conchis obſita. Squamis, inſtar concharum aſperis, contecta.

Deſinit in piſcem. Finditur more cæterorum piſcium, & diducitur.

Pennæ. Talaria.

Graves. Aqua multa imbutæ.

Credere. Niti. Pennæ madidæ ſunt inhabiles ad volandum.

Stantibus. Placidis: quieſcentibus.

Extat. Eminet.

Moto. Procelloſo: æſtuante.

Prima. In æquor maxime prominentia.

Exegit. Immiſit, adegit.

Repetita. Sæpius vulnerata.

Cum plauſu clamor. Plauſus, & clamor, littora, & aerem implevere.

Abluit. Luſtrat. Supra, num. 5.

Caput. Meduſæ.

Mollit. Sternit mollibus foliis.

Sternit, & imponit Phorcynidos ora Meduſæ.
Virga recens, bibulaque etiam nunc viva medulla,
Vim rapuit monſtri, tactuque induruit hujus:
Percepitque novum ramis, & fronde, rigorem.
At pelagi nymphæ factum mirabile tentant
Pluribus in virgis, & idem contingere gaudent.
Seminaque ex illis iterant jactata per undas:
Nunc quoque coraliis eadem natura remanſit
Duritiem tacto capiant ut ab aere; quodque
Vimen in æquore erat, fiat ſuper æquora ſaxum.

Phorcynidos. Filiæ Phorci.

Viva. Cujus medulla, & intimus ſuccus, adhuc vivebat; nondum ſicca, recens deſecta à radice.

Vim. Senſit vim capitis Meduſei: eam in ſe traxit.

Rigorem. Ramuli corallii, ſub aquis candidi, & molles: exempti, confeſtim lapideſcunt, & interdum rubeſcunt.

Tentant. Experiuntur.

Idem contingere. Virgas à ſe ſubſtratas Meduſeo capiti, ſimiliter lapideſcere.

Seminaque, &c. Iterum, atque iterum, virgas capiti illi ſuppoſitas, tamquam corallii futuri ſemina, per aquas ſpargunt.

Vimen. Virga mollis, & flexibilis.

XII.

Perſeus grates ob victoriam agit Superis; narrat quomodo Meduſæ caput abſtulerit.

Dis tribus ille focos totidem, de ceſpite ponit:
Lævum Mercurio, dextrum tibi, bellica, virgo,
Ara Jovis media eſt: mactatur vacca Minervæ;
Alipedi vitulus; taurus tibi, ſumme Deorum.
Protinus Andromeden, & tanti præmia facti
Indotata, rapit: tædas Hymenæus, Amorque

Diis tribus. Jovi, Minervæ, Mercurio, quibus hanc victoriam acceptam referebat. Medium locum Jovi tribuit, ut honoratiſſimum: proximum Palladi, cujus ope & auſpiciis præcipue vicerat, de loco dextro & ſiniſtro, uter ſit honoratior, vide Lipſium Lib. II. Selectorum c. 2. Horat. Lib. II. Sat. 5. & quæ ibi annotavimus ad eas voces *Tu comes exterior &c.*

Focos totidem de ceſpite. Aras gramineas tot, quot erant Dii: tres tribus.

Alipedi. Mercurio.

Indotata. Hoc ſolo contentus præmio; & oblatum, dotis loco, regnum reſpuens.

Tædas. Nuptias. Supra num. 2. Lib. I. num. 7.

Præ-

Præcipiunt, largis ſatiantur odoribus ignes:
Sertaque dependent tectis: & ubique lyræque,
Tibiaque, & cantus, animi fœlicia læti
Argumenta, ſonant: reſeratis aurea valvis
Atria tota patent; pulcroque inſtructa paratu
Cepheni proceres ineunt convivia regis.
Poſtquam epulis functi, generoſi munere Bacchi
Diffudere animos: cultuſque, genuſque locorum
Quærit Abantiades; quærenti protinus unus
Narrat Lyncides moreſque habitumque virorum:
Quæ ſimul edocuit: Nunc, o fortiſſime, dixit,
Fare precor, Perſeu, quanta virtute, quibuſque
Artibus, abſtuleris crinita draconibus ora.
Narrat Agenorides gelido ſub Atlante jacentem
Eſſe locum, ſolidæ tutum munimine molis:
Cujus in introitu geminas habitaſſe ſorores
Phorcydas, unius ſortitas luminis uſum.

Præcipiunt. Adornant: magnificè præparari jubent. Legunt aliqui, præcipitant, id eſt, accelerant.

Hymenæus. Deus nuptiarum præſes.

Satiantur. Implentur.

Ignes. Acerræ, foculi.

Odoribus. Thure, ſuffitu.

Et ubique. Vetuſti quidam libri habent: Citharæque, Lyræque: alii, lituique; aut lotique, lyræq; lotos, fiſtulæ è loto. *Argumenta*. Signa.

Cepheni regis. Cephei.

Diffudere. Laxavere, ſolverunt.

Cultus. Mores, inſtituta.

Locorum. Regionis cui Cephus imperitabat.

Simul. Poſtquam.

Abantiades. Perſeus: ſupra num. 10.

Habitum. Statum, veſtes; formam agendi, vivendi, gubernandi.

Quanta virtute. Heinſius legendum ſuſpicatur: *Qua tu virtute*.

Jacentem. Planum, ſpatioſum.

Solidæ molis. Rupis: muri.

Phorcidas. Seu Phorcynidas, Phorci filias. Præter Gorgones tres, fuerunt aliæ duæ Phorci filiæ, quas *Γραίας Græcas* dixere Græci, hoc eſt, vetulas, quia illas cum canitie natas fingunt. Iſtæ unum habebant oculum communem, quem ſibi invicem tradebant utendum: hunc illis abſtulit Perſeus, eoque uſus ad Meduſæ antrum pervenit. Vide Natalem Comitem Lib. VII. cap. 12. Item adagium *Orci galea*. Eraſm.

Unius &c. Quæ unum tantum oculum haberent, eumque non infixum capiti, ſed exemptilem, & velut inſititium.

Aſtu-

Id ſe ſolerti furtim, dum traditur, aſtu
Suppoſita cepiſſe manu, perque abdita longe,
Deviaque, & ſilvis horrentia ſaxa fragoſis,
Gorgoneas tetigiſſe domos, paſſimque per agros,
Perque vias, vidiſſe hominum ſimulacra, ferarumque;
In ſilicem, ex ipſis, viſa converſa Meduſa.
Si tamen horrendæ, clypei, quod læva gerebat,
Ære repercuſſo, formam aſpexiſſe Meduſæ.
Dumque gravis ſomnus colubraſque ipſamque tenebat:
Eripuiſſe caput collo; penniſque fugacem
Pegaſon, & fratrem, matris de ſanguine natos.
Addidit, & longi non falſa pericula curſus:
Quæ freta, quas terras, ſub ſe vidiſſet ab alto;
Et quæ jactatis tetigiſſet ſidera pennis.

Aſtu. Dolo, induſtria.
Traditur. Ab una ſorore alteri.
Tetigiſſe. Acceſſiſſe.
Gorgoneas. Supra n. 9.
Ex ipſis. Hominibus, & feris.
Horrendæ. Anguibus crinitæ. Scribit Pierius bellatrices quaſdam in Africa fæminas comere caput anguium pellibus conſueviſſe. Hinc nata fortaſſe Meduſæ fabula.
Ære repercuſſo, &c. Perſeus, ne, viſo Meduſæ capite, in ſaxum ipſe quoque verteretur, accepit a Pallade clypeum, ære nitido pellucidum, inſtar ſpeculi cryſtallini. In eo Meduſam impune aſpexit, & obtruncavit.
Repercuſſo. Lib. III. n. 7.
Pegaſon. E colli Meduſæ reſecti cruore ajunt nata duo quædam monſtra, unum, equum alatum, qui Pegaſus dictus eſt, a voce Græca πηγὴ, *fons*: quia prope fontem natus: aut fontis Hippocrenes auctor fuit: alterum, hominem gladio inſtructum, cui nomen Chryſaor, quæ vox Græca, enſe aureo armatum ſonat, & quem Pegaſi fratrem vates noſter appellat. Ipſe Pegaſus a Diis poſtea datus eſt Bellerophonti, ut Chimeram interficeret: fontem Hippocrenen in Parnaſſo extudit ungula: demum inter ſidera eſt relatus.
Matris. Meduſæ, cujus e ſanguine, geniti.
Addidit. Narrare perrexit.
Sub ſe. Infra ſe, in terra.
Alto. Cœlo: ſummo aere.
Et quæ, &c. Ut propius ad ipſas ſtellas volando acceſſiſſet, Arcton, Cancrum, num. 9.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER QUINTUS.

SYNOPSIS.

Cepheni, dum opprimere Perſeum bello parant, ab eo mutantur in ſaxa. Origo fontis Hippocrenes. Muſæ in aves transformant ſeſe, & Pierii filias in picas vertunt: Dii bello Giganteo in varias animantum figuras transformati. Raptus Proſerpinæ. Hanc Ceres dum orbe toto quærit, puerum procacem, in ſtellionem, Lyncum in Lyncem, mutat: Proſerpina Aſcalaphum in bubonem. Cyane & Arethuſa fontes fiunt: Scirenes, aves. Triptolemus artem frumenti ferendi docet.

I.

Phineus Cephenos in Perſeum concitat, pugna conſeritur.

DUmque ea Cephenum medio Danaeius heros
Agmine commemorat, fremitu regalia turbæ
Atria complentur, nec conjugalia feſta
Qui canat, eſt clamor; ſed qui fera nuntiet arma:
Inque repentinos convivia verſa tumultus
Aſſimilare freto poſſis, quod ſæva quietum
Ventorum rabies motis exaſperat undis.
Primus in his Phineus, belli temerarius auctor,

Ea. Quæ narrantur in fine libri ſuperioris.
Cephenum. Cephenorum: procerum & amicorum Cephei. Supra Lib. IV. n. 12.
Danaejus. Perſeus, Danaes filius. Lib. IV. n. 9.
Nec &c. Neque ille eſt clamor plaudentium, & tripudiantium, qualis nuptias decet: hunc merito compares turbato mari, &c.
In his. Inter Cephenos.
Phineus. Cephei frater, cui prius deſponſata fuerat Andromeda.

Fra-

Fraxineam quatiens æratæ cuſpidis haſtam,
En, ait, en adſum præreptæ conjugis ultor:
Nec mihi te pennæ, nec falſum verſus in aurum
Jupiter, eripient. Conanti mittere, Cepheus
Quid facis, exclamat? quæ te, germane, furentem
Mens agit in facinus? meritiſne hæc gratia tantis
Redditur? hac vitam ſervatæ dote rependis?
Quam tibi non Perſeus, verum ſi quæris, ademit;
Sed grave Nereidum numen, ſed corniger Ammon,
Sed quæ viſceribus veniebat bellua ponti
Exſaturanda meis: illo tibi tempore rapta eſt,
Quo peritura fuit: niſi ſi crudelis ad ipſum
Exigis, ut pereat; luctuque levabere noſtro.
Scilicet haud ſatis eſt, quod te ſpectante revincta
eſt,
Et nullam quod opem patruus, ſponſuſve, tuliſti:
Inſuper, a quoquam quod ſit ſervata, dolebis?
Præmiaque eripies? quæ ſi tibi magna videntur,
Ex illis ſcopulis, ubi erant affixa, petiſſes.
Nunc ſine, qui petiit, per quem hæc non orba ſenectus,
Ferre, quod & meritis, & voce eſt pactus, eumque

Fraxineam. Confectam e fraxino arbore.

Falſum &c. Jupiter, quem falſo jactas tuum patrem, & in aureum imbrem mutatum fuiſſe blateras.

Mittere. Haſtam in Perſeum torquere.

Meritis tantis. Tanto, quo nos Perſeus affecit, beneficio.

Hac dote. Hac mercede vitam filiæ meæ liberatæ remuneras?

Quam tibi. Non tibi eripuit Andromedam Perſeus, ſed Jupiter, & Nereides.

Ammon. Lib. IV. num. 10. Corniger dicitur, quia ſpecie arietis colebatur.

Viſceribus meis. Mea filia.

Niſi ſi &c. Niſi forte poſtulas, ut pereat. An ſervatam doles, & dolorem tuum luctu meo vis conſolari, ut te immerito ulciſcaris?

Patruus. Phineus erat Andromedæ patruus, quia Cephei frater.

Præmia. Ipſam Andromedem, cum regno dotali.

Petiſes. Petere debueras. Tunc Andromedam honeſtius fortiuſque tibi vindicaſſes, cum alligata erat ſcopulo.

Nunc ſine, &c. Patere modo, ut qui petiit, id eſt, accepit, & eripuit Andromedam e tanto diſcrimine, cui debeo quod orbatus filia ſenex non ſim, ferat, ſumatque illam conjugem, quam, & interpoſita pa-
ctio-

Non tibi, ſed certæ prælatum intellige morti.
Ille nihil contra; ſed, & hunc, & Perſea, vultu
Alterno ſpectans, petat hunc ignorat, an illum:
Cunctatuſque brevi contortam viribus haſtam,
Quantas ira dabat, nequicquam in Perſea miſit.
Ut ſtetit illa toro, ſtratis tum denique Perſeus
Exſiliit, teloque ferox inimica remiſſo
Pectora rupiſſet; niſi poſt altaria Phineus
Iſſet, & (indignum) ſcelerato profuit ara.
Fonte tamen Rhœti non irrita cuſpis adhæſit.
Qui poſtquam cecidit, ferrumque, ex oſſe revulſum eſt,
Calcitrat, & poſitas aſpergit ſanguine menſas.
Tum verò indomitas ardeſcit vulgus in iras,
Telaque conjiciunt; & ſunt, qui Cephea dicant
Cum genero debere mori, ſed limine tecti

ctione, & præclaro edito facinore, meritus eſt.

Non tibi prælatum. Ut alter immerito alteri præferri dicatur, debent duo certare pari jure. At Phineus nihil juris amplius habebat in Andromedam, ipſi ereptam a Diis, & neci devotam. Perſeus igitur tibi non eſt prælatus, inquit Cepheus, quia nullus tibi jam in hac cauſa locus erat: tua jam amplius non erat Andromeda. Prælatus eſt morti, hoc eſt, maluimus Perſeo dare filiam coniugem, quam mortuam cernere, & neci objicere. Id vero non tui contemptu, aut amore Perſei, ſed amore filiæ, fecimus. Non maluimus hanc Perſeo dare, quam tibi: ſed ejus eſſe conjugem, quam perire, maluimus.

Ille. Phineus.

Nihil. Subaudi, reſpondet.

Hunc. Cepheum.

Alterno. Nunc Perſeum, nunc Cepheum.

Petat. Vulneret.

Toro. In quo ſtratus accumbebat.

Inimica. Phinei.

Indignum. Perfugium ara Perſeo præbuit, quo minime dignus erat. Jure indignatur poeta, quod ſcelerato, & injuſto, profuerit ara, in qua Dii juſtiſſimi coluntur. Porrò *indignum*, adverbii loco hic poſitum eſt, ut, infandum malum.

Ara. In nuptiis aras ponebant, Diis pronubis conciliandis: Junoni, verbi gratia, Hymenæo, &c.

Cuſpit. Jaculum a Perſeo contortum.

Calcitrat. Calcibus terram tundit.

Vulgus. Turba procerum

Te-

Exierat Cepheus, teſtatus juſque, fidemque,
Hoſpitiique Deos, ea ſe prohibente moveri.

Teſtatus. Teſtes appellans Superos, ea ſe invito fieri: extra culpam ſe eſſe.

Jus. Leges communi hominum conſenſu poſitas, quæ violari hoſpites prohibent.

Fidem. Hoſpitibus debitam.

Hoſpitii Deos. Qui hoſpitibus præſident, qui jura hoſpitum ſancta eſſe volunt: Hoſpitium cura præcipue Jovi data, quem idcirco vocabant Hoſpitalem. Virg. I. Æneid. verſu 735.

I I.

Perſeus, duce, & auſpice Pallade, ſtrenue rem gerit contra Cephenos.

Bellica Pallas adeſt, & protegit ægide fratrem,
Datque animos. Erat Indus Atys, quem flumine Gange
Edita Limniace vitreis peperiſſe ſub undis
Creditur; egregius forma, quam divite cultu
Augebat, bis adhuc octonis integer annis,
Indutus Tyriam chlamydem, quam limbus obibat
Aureus: ornabant aurata monilia collum,
Et madidos myrrha curvum crinale capillos.
Ille quidem jaculo quamvis diſtantia miſſo
Figere doctus erat, ſed tendere doctior arcus.
Tum quoque lenta manu flectentem cornua Perſeus

Adeſt. Suppetias latura Perſeo advenit.

Ægide. Ægis, ſcutum erat, ſeu lorica Palladis, in cujus medio caput Meduſæ ſpectabatur.

Fratrem. Perſeum, Jove, ut Pallas, natum.

Ganges edita. Filia Gangis, fluvii alluentis Indiam.

Cultu. Ornatu corporis, veſte.

Integer. Florens, vegetus valens.

Tyriam. Purpuream.

Chlamydem. Chlamys, veſtis fere militum: pallio brevior & ſtrictior, quæ cæteris veſtibus imponebatur.

Limbus. Ora, pars ima.

Obibat. Circumdabat.

Myrrha. Unguento e myrrha confecto, Myrrhæ ſucco.

Crinale. Aureus circulus faſcia capillos colligens, ornanſve.

Cornua. Partes extremas arcus.

Lenta. Quæ facilè flectuntur, & curvantur, cum arcus tenditur.

Stipite, qui media poſitus fumabat in ara,
Perculit, & fractis confudit in oſſibus ora.
Hunc ubi ſedatos jactantem in ſanguine vultus
Aſſyrius vidit Lycabas, junctiſſimus illi
Et comes, & veri non diſſimulator amoris;
Poſtquam exhalantem ſub acerbo vulnere vitam
Deploravit Atyn, quos ille tenderat arcus
Arripit, &, mecum tibi ſint certamina, dixit:
Nec longum pueri fato lætabere, quo plus
Invidiæ, quam laudis habes. Hæc omnia nondum
Dixerat: emicuit nervo penetrabile telum;
Vitatumque, tamen ſinuoſa veſte pependit.
Vertit in hunc harpen ſpectatam cæde Meduſæ,
Acriſioniades, adigitque in pectus: at ille
Jam moriens, oculis ſub nocte natantibus atra,
Circumſpexit Atyn, ſeque acclinavit ad illum:
Et tulit ad Manes junctæ ſolatia mortis.

Ara. Hymenæo poſita. *Jactantem*. Agitantem. *Aſſyrius*. Aſſyria regio eſt Aſiæ, intra Babyloniam, Mediam, & Meſopotamiam. *Tibi*. Perſeum alloquitur. *Longum*. Diu. *Pueri*. Atys. *Fato*. Morte. *Quo plus, &c.* Ex qua morte major in te redundat invidia, ideſt, odium, crimen; quam laus. *Penetrabile*. Quod facile penetrat. Acutum. *Veſte*. Perſei. *Harpen*. Enſem falcatum, Perſeo datum a Mercurio, quo Meduſam peremerat, ἅρπη, *falx*. *Spectatam*. Nobilitatam. *Acriſioniades*. Perſeus, Acriſii nepos. *Natantibus*. Huc illuc errantibus temere, ut natantes ſolent: fluctuantibus, ut moribundis accidit. *Ad Manes*. Ad inferos, ubi Manes, id eſt, animæ mortuorum. Eo ſolatio levavit acerbitatem ſuæ mortis, quod cum amico moreretur. De Manibus dictum Lib. I. n. 16.

III.

Promiſcua cædes Cephenorum:

Ecce Syenites genitus Methione Phorbas,
Et Libys Amphimedon, avidi committere pugnam,

Syenites. Suene, ſeu Syene, urbs Ægypti; ſub Cancri tropico. *Libys*. Afer. Libyæ pars

Sanguine, quo late tellus madefacta tepebat,
Conciderant lapſi: ſurgentibus obſtitit enſis,
Alterius coſtis, jugulo Phorbantis adactus.
At non Actoriden Erithum, cui lata bipennis
Telum erat, admoto Perſeus petit enſe; ſed altis
Exſtantem ſignis, multæque in pondere maſſæ,
Ingentem manibus tollit cratera duabus;
Infligitque viro: rutilum vomit ille cruorem,
Et reſupinus humum moribundo vertice pulſat.
Inde Semiramio Polydæmona ſanguine cretum,
Caucaſeumq; Abarim, Sperchionidemq; Lycetumq;
Intonſumque comas Elycen, Phlegianq; Clytumq;
Sternit, & exſtructos morientum calcat acervos.
Nec Phineus auſus concurrere cominus hoſti:
Intorquet jaculum, quod detulit error in Idam,
Expertem fruſtra belli, & neutra arma ſecutum.
Ille tuens oculis immitem Phinea torvis,
Quandoquidem in partes, ait, abſtrahor; accipe, Phineu,
Quem feciſti hoſtem, penſaque hoc vulnere vulnus.

Pars Africæ.

Enſis. Perſei, quo illos ſurgere volentes, intercemit.

Alterius. Methionis. Adactus in ejus latus.

Actoriden. Actoris filium.

Bipennis. Securis anceps: utrimque acuta & ſecans.

Exſtantem ſignis. Craterem, in quo exſtabant alta ſigna, ideſt, effigies cælatæ, prominentes extra ipſius poculi corpus, ita ut anſæ vicem præberent.

Multæque, &c. Prægravem, ac multi ponderis.

Reſupinus. In tergum cadens.

Semiramio ſanguine. Regia domo Aſſyriorum, quorum regina Semiramis. Lib. IV. num. 1.

Caucaſeum. Ortum, profectum, a Caucaſo, monte Aſiæ inter Pontum Euxinum, & mare Caſpium.

Sperchionidem. Filium Sperchii. Spercheus, ſeu Sperchius, fluvius eſt Theſſaliæ. Lib. I. n. 16.

Cominus. Ex propinquo.

Fruſtra. Quia interfectus nihilominus fuit, licet neutras partes pugnantium ſequeretur, nec Phineo, vel Perſeo militaret.

Ille. Idas.

Quandoquidem, &c. Siquidem cogis me amplecti partes Perſei, contra te: meque ut hoſtem tractas, & vulneras; ſenties me viciſſim hoſtem: en iſthuc, pro vulnere, quod inflixiſti mihi, vulnus habe.

De-

Jamque remiſſurus tractum de vulnere telum,
Sanguine defectos cecidit collapſus in artus.
Hic quoque Cephenum poſt regem primus Odites
Enſe jacet Clymeni: Protenora percutit Hypſeus,
Hypſea Lyncides. Fuit & grandævus in illis
Emathion, æqui cultor, timidusque Deorum:
Qui, quoniam prohibent anni bellare, loquendo
Pugnat, & inceſſit, ſcelerataque devovet arma.
Huic Cromis amplexo tremulis altaria palmis
Decutit enſe caput, quod protinus incidit aræ:
Atque ibi ſemianimi verba execrantia lingua
Edidit, & medios animam expiravit in ignes.

Defectos. Exhauſtos: vacuos.
In artus. Totis artubus humi porrectus, toto corpore proſtratus.
Primus. Ditiſſimus, potentiſſimus, poſt Cepheum.
Æqui cultor. Amantiſſimus æquitatis.
Timidus Deorum. Pie Deos colens. Timor Numinis pro pietate ſæpe accipitur, quia Dei cultus maxime continetur ſancto ejuſdem timore. Eſt porro timor ſervorum, eſt filiorum: hic illo perfectior, & hominis Chriſtiani prius, quo Dei dilecti offenſam pejus omni pœna timet.
Anni. Senectus.
Inceſſit. Objurgat, vituperat.
Devovet. Execratur.
Scelerata arma. Impie ſumpta in Perſeum: cujus cauſæ, ut æquiori, favebat.
Decutit. Dejicit, demetit.

IV.

Pergit vates eamdem pugnam deſcribere.

Hinc gemini fratres, Broteaſque & cæſtibus Ammon
Invicti; vinci ſi poſſent cæſtibus enſes;
Phinea cecidere manu: Cereriſque ſacerdos
Amphitus, albenti velatus tempora vitta.

Cæſtibus. Erant cæſtus, arma pugilum: nempe chirothecæ quædam, & manuum tegmina, e corio bubulo confecta, inſuto plumbo: quibus invicem vapulabant. Virg. V. Æneid. 401.
Invicti. Inſuperabiles. Erant illi quidem invicti, omnes vincebant, at cæſtibus dumtaxat: nam vinci poterant gladiis, quibus pares eſſe nulli cæſtus poſſunt.
Vitta. Tænia: faſcia linea, qua

Tu quoque Japetide, non hos adhibendus ad uſus,
Sed qui, pacis opus, citharam cum voce moveres,
Juſſus eras celebrare dapes, feſtumque canendo.
Quem procul adſtantem, plectrumque imbelle tenentem,
Pettalus irridens, Stygiis cane cætera, dixit,
Manibus, & lævo mucronem tempore fixit.
Concidit, & digitis morientibus ille retentat
Fila lyræ, caſuque fuit miſerabile carmen.
Nec ſinit hunc impune ferox cecidiſſe Lycormas,
Raptaque de dextro robuſta repagula poſte
Oſſibus illiſit mediæ cervicis: at ille
Procubuit terræ, mactati more juvenci:
Demere tentabat lævi quoque robora poſtis
Cinyphius Pelates: tentanti dextera fixa eſt
Cuſpide Marmaridæ Corythi, lignoque cohæſit.
Hærenti latus hauſit Abas, nec corruit ille,
Sed retinente manum moriens e poſte pependit.
Sternitur & Melaneus, Perſeia caſtra ſecutus,
Et Naſamoniaci Dorilas ditiſſimus agri,
Dives agri Dorilas; quo non poſſederat alter

qua vinciebantur frontes victimarum, & ſacerdotum.

Non hos ad uſus. Ad prælia. Erat enim Japetides citharœdus, atque adeo illi locus in pugna non erat.

Citharam, pacis opus. Quæ paci convenit.

Celebrare. Hilarare.

Dapes. Nuptiale convivium.

Plectrum. Lib. II. n. 13. πλῆκτρον a verbo πλήττω, *percutio*.

Manibus. Umbris mortuorum. Lib. II. n. 7. Heinſius ita legit: *Cui procul adſtanti plectrumque imbelle tenenti Pettalus, I, ridens, Stygiis, &c.*

Tempore. Capitis parte, quæ intra oculum & aurem eſt.

Caſuque, &c. Et cadendo, lyræ nervos ita movit, ut ſonum lugubrem efficerent.

Repagula. Vectes, obices januis apponi ſolitos a tergo.

Illiſit. Incuſſit, impegit.

Ille. Pettalus.

Lævi poſtis. Siniſtræ partis oſtii.

Robora. Ligneos vectes.

Cinyphius. Afer Cinyphs (*il Macres*) fluvius eſt Africæ, in Libya interiori.

Marmaridæ. Sunt Marmaridæ populus Libyæ.

Hauſit. Transfixit.

Naſamoniaci. Naſamones, ſunt in eadem Libya.

Far-

Latius, aut totidem tollebat farris acervos.
Hujus in obliquo miſſum ſtetit inguine ferrum:
(Letifer ille locus) quem poſtquam vulneris auctor
Singultantem animam, & verſantem lumina, vidit
Bactrius Alcioneus: hoc, quod premis, inquit; habeto
De tot agris terræ, corpuſque exangue reliquit,
Torquet in hunc haſtam, calido de vulnere raptam,
Ultor Abantiades: media quæ nare recepta,
Cervice exacta eſt, in parteſque eminet ambas.

Farris. Frumenti.
Tollebat. Colligebat.
Inguine. Inter ventrem & femur. *Singultantem*. Cum ſingultu emittentem.
Verſantem. Volventem introrſum, ut morituri ſolent.
Bactrius. Bactra Bactrorum, (*Badaſchian*, ſeu *Balch*) urbs regionis Bactrianæ caput, olim in Perſarum ditione; ad mare Caſpium.
Hoc quod premis. Tantulum terræ ſpatium, quod moriens occupas.
De vulnere. Dorilæ.
Abantiades. Perſeus.
Nare. Alcionei.
Cervice exacta eſt. Exiit, emerſit, per partem colli poſteriorem, ita ut haſtæ pars una extaret in nare; altera poſt collum emineret, nempe cuſpis, quæ per cervicem adacta fuerat.

V.

Perſeus ingruentes undique hoſtes ægre ſuſtinet:

Dumque manum fortuna juvat, Clytiumque, Claninque,
Matre ſatos una, diverſo vulnere fudit.
Nam Clytii per utrumque gravi librata lacerto
Fraxinus acta femur: jaculum Clanis ore momordit.
Occidit & Celadon Mendeſius, occidit Aſtreus,

Dumque manum &c. Cernens Perſeus fortunam, & ſecundum Martem, adeſſe ſibi: rem bene ac feliciter a ſe geri.
Nam Clytii &c. Per Clytii femur haſta fraxinea penetravit: jaculum vero in os Clanis conjecit.
Mendeſius. Mendeſiam, regionem Ægypti Plinius memorat Lib. V. ſitam ad Mendeſium, unum ex oſtiis Nili. (*Migni*)

Matre Palæſtina, dubio genitore creatus:
Æthionque ſagax quondam ventura videre,
Tunc ave deceptus falſa: regiſque Thoactes
Armiger, & cæſo genitore infamis Agyrtes.
Plus tamen exhauſto ſupereſt; namq; omnibus unum
Opprimere eſt animus: conjurata undique pugnant
Agmina, pro cauſa meritum impugnante, fidemque
Hac pro parte ſocer fruſtra pius, & nova conjux
Cum genitrice, favent; ululatuque atria complent:
Sed ſonus armorum ſuperat, gemituſque cadentum.
Pollutoſque ſimul multo Bellona penates
Sanguine perfundit, renovataque prælia miſcet.
Circumeunt unum Phineus, & mille ſecuti
Phinea: tela volant, hyberna grandine plura,
Præter utrumque latus, præterque & lumen, & aures

Palæſtina. Regio eſt Aſiæ, inter Syriam, Arabiam, & mare.

Sagax videre. Perſpicax olim in futuris rebus prævidendis, ac prædicendis: at nunc falſo augurio deceptus, qui mortem ſuam non præviderit.

Ave. Ex avium volatu, cantu, paſtu, divinabant futura. Si e volatu; dicebatur auſpicium: ſi e cantu, augurium; ſi e paſtu, terripavium, ſeu tripudium. Cic. I. de Divin.

Infamis. Ob patricidium.

Plus tamen &c. Licet Perſeus tot exhauſerit pericula, tot hoſtes dejecerit, plures tamen interfectis ſuperſunt: gravius reſtat adhuc periculum.

Pro cauſa, &c. Pro Phineo, pro parte Phinei, qui oppugnabat Perſei meritum, id eſt, fortitudinem, & juſtitiam, quas ob virtutes merebatur vincere, ac potiri Andromeda: oppugnabat etiam fidem, ipſi nempe datam a Cepheo, qui pactus erat filiam ſe Perſeo daturum, ſi eam liberaret.

Hac pro parte. Nempe meriti, fidei, Perſei.

Socer. Cepheus.

Fruſtra pius. Quia juvare Perſeum, contra tot hoſtes, non poterat ſua pietate, & ſtudio æquitatis.

Nova conjux. Andromeda.

Genitrice. Caſſiope.

Superat. Fortior eſt: vincit illorum planctus.

Pollutos penates. Domum Cephei violatam ſcelere Phinei, & cruenta hoſpitum ſtrage.

Bellona. Dea belli præſes. Martis ſoror.

Perfundit. Imbuit, inquinat.

Unum. Perſea.

Præter. Juxta: circum latera Perſei.

Lumen. Oculos.

Hic.

Applicat hic humeros ad magnæ ſaxa columnæ,
Tutaque terga gerens, adverſaque in agmina verſus
Suſtinet inſtantes. Inſtabat parte ſiniſtra
Chaonius Molpheus, dextra Nabathæus Ethæmon.
Tigris ut, auditis diverſa valle duorum
Exſtimulata fame mugitibus armentorum,
Neſcit utro potius ruat, & ruere ardet utroque:
Sic dubius Perſeus, dextra, lævane, feratur,
Molpea trajecti ſummovit vulnere cruris,
Contentuſque fuga eſt; neque enim dat tempus Ethemon,
Sed furit, & cupiens alto dare vulnera collo,
Non circumſpectis exactum viribus enſem
Fregit, & extrema percuſſæ parte columnæ
Lamina diſſiluit, dominique in gutture fixa eſt.
Non tamen ad letum cauſas ſatis illa valentes
Plaga dedit: trepidum Perſeus, & inertia fruſtra
Brachia tendentem: Cyllenide confodit, harpe.

Hic. Perſeus.

Chaonius. Chaonia erat pars Epiri, in Græcia (*La Canina*) Meminit etiam Plinius de Chaonis populis, Arabiæ finitimis.

Nabathæus. Nabathæa, eſt pars Arabiæ Petrææ, verſus ſinum Arabicum.

Diverſa. Duplici.

Utro. Utram in partem.

Summovit. Repulit.

Contentus, &c. Paſſus eſt Perſeus Molpeum impune fugere, neque enim illius interficiendi ſpatium dabat Ethæmon, qui furens in Perſeum ruebat, a parte dextra.

Cupiens &c. Ethæmon cupiens Perſei cervicem decutere, dum impetu temerario enſem exigit, id. eſt, ſtringit, vibrat; eum impegit columnæ cui adnixus ſtabat Perſeus, ac fregit.

Domini. Ethæmonis.

Non tamen &c. Tamen illud vulnus letale non erat: illa gladii pars infixa gutturi, ſatis cauſæ non erat, ad mortem Ethæmoni inferendam.

Cyllenide. A Mercurio accepta, qui Cyllenius nuncupatur. Lib. I. numera 9.

Harpe. Supra, n. 2.

VI.

Perſeus oſtentato Meduſa capite, hoſtes in ſaxa vertit.

Verum ubi virtutem turbæ ſuccumbere vidit:
Auxilium, Perſeus, quoniam ſic cogitis ipſi,
Dixit, ab hoſte petam: vultus avertite veſtros
Si quis amicus adeſt, & Gorgonis extulit ora.
Quære alium, tua quem moveant miracula, dixit
Theſſalus; utque manu jaculum fatale parabat
Mittere, in hoc hæſit ſignum de marmore geſtu.
Proximus huic Ampyx animi pleniſſima magni
Pectora Lyncidæ gladio petit, inque petendo
Dextera diriguit, nec citra mota, nec ultra eſt.
At Nileus, qui ſe genitum ſeptemplice Nilo
Ementitus erat, clypeo quoque flumina ſeptem
Argento partim, partim cælaverat auro,
Aſpice, ait, Perſeu, noſtræ primordia gentis,
Magna feres tacitas ſolatia mortis ad umbras,
A tanto cecidiſſe viro: pars ultima vocis
In medio ſuppreſſa ſono eſt, adapertaque velle
Ora loqui credas, nec ſunt ea pervia verbis.
Increpat hos, vitioque animi, non viribus, inquit,
Gorgoneis torpetis, Eryx; incurrite mecum,

Virtutem. . Fortitudinem a multitudine ſuperari: ſe, licet fortem, numero tamen opprimi.

Ab hoſte. A Meduſa, ejuſque capite.

Gorgonis. Lib. IV. 8.

Alium &c. Qui credat mutari homines in ſaxa, viſo capite Meduſæ: alii hoc timeant, id credant: non ego.

Signum &c. Inſtar ſtatuæ marmoreæ.

Citra. Verſus pectus. Non potuit manum ad pectus adducere, nec reducere a pectore.

Septemplice. . Qui ſeptem oſtiis in mare devolvitur.

Ementitus erat. Finxerat.

Noſtræ gentis. Noſtræ familiæ. Hoc dicit, clypeum oſtendens Perſeo. Vide, quam nobilis origo mea ſit. Nilum aſpice, a quo genus duco: glorioſum tibi erit perire tam nobili manu. Virgil. X. Æn. *Hoc tamen infœlix miſeram ſolabere mortem, Æneæ magni dextra cadis*.

Pervia. Patentia.

Vitio animi. Ignavia.

Viribus Gorgoneis. Meduſei capitis aſpectu.

Inquit. Eryx.

Sed

Et proſternite humi juvenem magica arma moventem.
Incurſurus erat, tenuit veſtigia tellus,
Immotuſque ſilex, armataque manſit imago.
Hi tamen ex merito pœnas ſubiere: ſed unus
Miles erat Perſei, pro quo dum pugnat, Aconteus
Gorgone conſpecta, ſaxo concrevit oborto.
Quem ratus Aſtyages etiam num vivere, longo
Enſe ferit; ſonuit tinnitibus enſis acutis.
Dum ſtupet Aſtyages, naturam traxit eamdem,
Marmoreoque manet vultus mirantis in ore.
Nomina longa mora eſt media de plebe virorum
Dicere, bis centum reſtabant corpora pugnæ,
Gorgone bis centum riguerunt corpora viſa.

Sed unus &c. Sed Aconteus erat unus e militibus Perſei, pro quo dum pugnat, &c.
Concrevit. Diriguit.
Oborto. Repente nato. Saxeo rigore membra occupante.
Sonuit... Quia non jam hominem, ſed ſaxum, percutiebat.
Eamdem. Saxeam.
Mirantis. Suum enſem, ut ſaxo percuſſo, tinnire ſe in lapidem obrigere.
Corpora. Milites ad pugnam idonei reſtabant ducenti omnes converſi ſunt in ſaxa.

VII.

Phineus, Eratus, & Polydectes, eadem afficiuntur pœna.

Pœnitet injuſti tunc denique Phinea belli.
Sed quid agat? ſimulacra videt diverſa figuris,
Agnoſcitque ſuos, & nomine quemque vocatum
Poſcit opem, credenſque parum ſibi, proxima tangit
Corpora, marmor erant. Avertitur, atque ita ſupplex
Confeſſaſque manus, obliquaque brachia tendens,
Vincis, ait, Perſeu; remove tua monſtra, tuæque

Sibi. Oculis ſuis.
Avertitur. Oculos avertit, ne Perſeum, & Meduſæ caput, videat.
Confeſſas. Quibus, ſupplicantis ritu porrectis, fatebatur ſe victum.
Obliqua. Ad Perſeum converſa, quem tamen aſpicere non audebat.

Id ſe ſolerti furtim, dum traditur, aſtu
Suppoſita cepiſſe manu, perque abdita longe,
Deviaque, & ſilvis horrentia ſaxa fragoſis,
Gorgoneas tetigiſſe domos, paſſimque per agros,
Perque vias, vidiſſe hominum ſimulacra, ferarumque;
In ſilicem, ex ipſis, viſa converſa Meduſa.
Si tamen horrendæ, clypei, quod læva gerebat,
Ære repercuſſo, formam aſpexiſſe Meduſæ.
Dumque gravis ſomnus colubraſque ipſamque tenebat:
Eripuiſſe caput collo; penniſque fugacem
Pegaſon, & fratrem, matris de ſanguine natos.
Addidit, & longi non falſa pericula curſus:
Quæ freta, quas terras, ſub ſe vidiſſet ab alto;
Et quæ jactatis tetigiſſet ſidera pennis.

Aſtu. Dolo, induſtria. *Traditur*. Ab una ſorore alteri.

Tetigiſſe. Acceſſiſſe.

Gorgoneas. Supra n. 9.

Ex ipſis. Hominibus, & feris.

Horrendæ. Anguibus crinitæ. Scribit Pierius bellatrices quaſdam in Africa fœminas comere caput anguium pellibus conſueviſſe. Hinc nata fortaſſe Meduſæ fabula.

Ære repercuſſo, &c. Perſeus, ne, viſo Meduſæ capite, in ſaxum ipſe quoque verteretur, accepit a Pallade clypeum, ære nitido pellucidum, inſtar ſpeculi cryſtallini. In eo Meduſam impune aſpexit, & obtruncavit.

Repercuſſo. Lib. III. n. 7.

Pegaſon. E colli Meduſæ refecti cruore ajunt nata duo quædam monſtra, unum, equum alatum, qui Pegaſus dictus eſt, a voce Græca πηγὴ, *fons*: quia prope fontem natus: aut fontis Hippocrenes auctor fuit: alterum, hominem gladio inſtructum, cui nomen Chryſaor, quæ vox Græca, enſe aureo armatum ſonat, & quem Pegaſi fratrem vates noſter appellat. Ipſe Pegaſus a Diis poſtea datus eſt Bellerophonti, ut Chimeram interficeret: fontem Hippocrenen in Parnaſſo extudit ungula: demum inter ſidera eſt relatus.

Matris. Meduſæ, cujus e ſanguine, geniti.

Addidit. Narrare perrexit.

Sub ſe. Infra ſe, in terra.

Alto. Cœlo: ſummo aere.

Et quæ, &c. Ut propius ad ipſas ſtellas volando acceſſiſſet, Arcton, Cancrum, num. 9.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER QUINTUS.

SYNOPSIS.

Cepheni, dum opprimere Perſeum bello parant, ab eo mutantur in ſaxa. Origo fontis Hippocrenes. Muſæ in aves transformant ſeſe, & Pierii filias in picas vertunt: Dii bello Giganteo in varias animantum figuras transformati. Raptus Proſerpinæ. Hanc Ceres dum orbe toto quærit, puerum procacem, in ſtellionem, Lyncum in Lyncem, mutat: Proſerpina Aſcalaphum in bubonem. Cyane & Arethuſa fontes fiunt: Scirenes, aves. Triptolemus artem frumenti ſerendi docet.

I.

Phineus Cephenos in Perſeum concitat, pugna conſeritur.

DUmque ea Cephenum medio Danaeius heros
Agmine commemorat, fremitu regalia turbæ
Atria complentur, nec conjugalia feſta
Qui canat, eſt clamor; ſed qui fera nuntiet arma:
Inque repentinos convivia verſa tumultus
Aſſimilare freto poſſis, quod ſæva quietum
Ventorum rabies motis exaſperat undis.
Primus in his Phineus, belli temerarius auctor,

Ea. Quæ narrantur in fine libri ſuperioris.
Cephenum. Cephenorum: procerum & amicorum Cephei. Supra Lib. IV. n. 12.
Danaejus. Perſeus, Danaes filius. Lib. IV. n. 9.
Nec &c. Neque ille eſt clamor plaudentium, & tripudiantium, qualis nuptias decet: hunc merito compares turbato mari, &c.
In his. Inter Cephenos.
Phineus. Cephei frater, cui prius deſponſata fuerat Andromeda.

Ita

Fraxineam quatiens æratæ cuſpidis haſtam,
En, ait, en adſum præreptæ conjugis ultor:
Nec mihi te pennæ, nec falſum verſus in aurum
Jupiter, eripient. Conanti mittere, Cepheus
Quid facis, exclamat? quæ te, germane, furentem
Mens agit in facinus? meritiſne hæc gratia tantis
Redditur? hac vitam ſervatæ dote rependis?
Quam tibi non Perſeus, verum ſi quæris, ademit;
Sed grave Nereidum numen, ſed corniger Ammon,
Sed quæ viſceribus veniebat bellua ponti
Exſaturanda meis: illo tibi tempore rapta eſt,
Quo peritura fuit: niſi ſi crudelis ad ipſum
Exigis, ut pereat; luctuque levabere noſtro.
Scilicet haud ſatis eſt, quod te ſpectante revincta
eſt,
Et nullam quod opem patruus, ſponſuſve, tuliſti:
Inſuper, a quoquam quod ſit ſervata, dolebis?
Præmiaque eripies? quæ ſi tibi magna videntur,
Ex illis ſcopulis, ubi erant affixa, petiſſes.
Nunc ſine, qui petiit, per quem hæc non orba ſenectus,
Ferre, quod & meritis, & voce eſt pactus, eumque

Fraxineam. Confectam e fraxino arbore.

Falſum &c. Jupiter, quem falſo jactas tuum patrem, & in aureum imbrem mutatum fuiſſe blateras.

Mittere. Haſtam in Perſeum torquere.

Meritis tantis. Tanto, quo nos Perſeus affecit, beneficio.

Hac dote. Hac mercede vitam filiæ meæ liberatæ remuneras?

Quam tibi. Non tibi eripuit Andromedam Perſeus, ſed Jupiter, & Nereides.

Ammon. Lib. IV. num. 10. Corniger dicitur, quia ſpecie arietis colebatur.

Viſceribus meis. Mea filia.

Niſi ſi &c. Niſi forte poſtulas, ut pereat. An ſervatam doles, & dolorem tuum luctu meo vis conſolari, ut te immerito ulciſcaris?

Patruus. Phineus erat Andromedæ patruus, quia Cephei frater.

Præmia. Ipſam Andromedem, cum regno dotali.

Petiſſes. Petere debueras. Tunc Andromedam honeſtius fortiuſque tibi vindicaſſes, cum alligata erat ſcopulo.

Nunc ſine, &c. Patere modo, ut qui petiit, ideſt, accepit, & eripuit Andromedam e tanto diſcrimine, cui debeo quod orbatus filia ſenex non ſim, ferat, ſumatque illam conjugem, quam, & interpoſita pa-

ctio-

Non tibi, ſed certæ prælatum intellige morti.
Ille nihil contra; ſed, & hunc, & Perſea, vultu
Alterno ſpectans, petat hunc ignorat, an illum:
Cunctatuſque brevi contortam viribus haſtam,
Quantas ira dabat, nequicquam in Perſea miſit.
Ut ſtetit illa toro, ſtratis tum denique Perſeus
Exſiluit, teloque ferox inimica remiſſo
Pectora rupiſſet; niſi poſt altaria Phineus
Iſſet, & (indignum) ſcelerato profuit ara.
Fonte tamen Rhœti non irrita cuſpis adhæſit.
Qui poſtquam cecidit, ferrumque, ex oſſe revulſum eſt,
Calcitrat, & poſitas aſpergit ſanguine menſas.
Tum verò indomitas ardeſcit vulgus in iras,
Telaque conjiciunt; & ſunt, qui Cephea dicant
Cum genero debere mori, ſed limine tecti

ctione, & præclaro edito facinore, meritus eſt.

Non tibi prælatum. Ut alter immerito alteri præferri dicatur, debent duo certare pari jure. At Phineus nihil juris amplius habebat in Andromedam, ipſi ereptam a Diis, & neci devotam. Perſeus igitur tibi non eſt prælatus, inquit Cepheus, quia nullus tibi jam in hac cauſa locus erat: tua jam amplius non erat Andromeda. Prælatus eſt morti, hoc eſt, maluimus Perſeo dare filiam conjugem, quam mortuam cernere, & neci objicere. Id vero non tui contemptu, aut amore Perſei, ſed amore filiæ, fecimus. Non maluimus hanc Perſeo dare, quam tibi: ſed ejus eſſe conjugem, quam perire, maluimus.

Ille. Phineus.

Nihil. Subaudi, reſpondet.

Hunc. Cepheum.

Alterno. Nunc Perſeum, nunc Cepheum.

Petat. Vulneret.

Toro. In quo ſtratus accumbebat.

Inimica. Phinei.

Indignum. Perfugium ara Perſeo præbuit, quo minime dignus erat. Jure indignatur poeta, quod ſcelerato, & injuſto, profuerit ara, in qua Dii juſtiſſimi coluntur. Porrò *indignum*, adverbii loco hic poſitum eſt, ut, infandum malum.

Ara. In nuptiis aras ponebant, Diis pronubis conciliandis: Junoni, verbi gratia, Hymenæo, &c.

Cuſpit. Jaculum a Perſeo contortum.

Calcitrat. Calcibus terram tundit.

Vulgus. Turba procerum

Te-

Exierat Cepheus, teſtatus juſque, fidemque,
Hoſpitiique Deos, ea ſe prohibente moveri.

Teſtatus. Teſtes appellans Superos, ea ſe invito fieri: extra culpam ſe eſſe.

Jus. Leges communi hominum conſenſu poſitas, quæ violari hoſpites prohibent.

Fidem. Hoſpitibus debitam.

Hoſpitii Deos. Qui hoſpitibus præſident, qui jura hoſpitum ſancta eſſe volunt: Hoſpitium cura præcipue Jovi data, quem idcirco vocabant Hoſpitalem. Virg. I. Æneid. verſu 735.

I I.

Perſeus, duce, & auſpice Pallade, ſtrenue rem gerit contra Cephenos.

Bellica Pallas adeſt, & protegit ægide fratrem,
Datque animos. Erat Indus Atys, quem flumine Gange
Edita Limniace vitreis peperiſſe ſub undis
Creditur; egregius forma, quam divite cultu
Augebat, bis adhuc octonis integer annis,
Indutus Tyriam chlamydem, quam limbus obibat
Aureus: ornabant aurata monilia collum,
Et madidos myrrha curvum crinale capillos.
Ille quidem jaculo quamvis diſtantia miſſo
Figere doctus erat, ſed tendere doctior arcus.
Tum quoque lenta manu flectentem cornua Perſeus

Adeſt. Suppetias latura Perſeo advenit.

Ægide. Ægis, ſcutum erat, ſeu lorica Palladis, in cujus medio caput Meduſæ ſpectabatur.

Fratrem. Perſeum, Jove, ut Pallas, natum.

Ganges edita. Filia Gangis, fluvii alluentis Indiam.

Cultu. Ornatu corporis, veſte.

Integer. Florens, vegetus valens.

Tyriam. Purpuream.

Chlamydem. Chlamys, veſtis fere militum: pallio brevior & ſtrictior, quæ cæteris veſtibus imponebatur.

Limbus. Ora, pars ima.

Obibat. Circumdabat.

Myrrha. Unguento e myrrha confecto, Myrrhæ ſucco.

Crinale. Aureus circulus faſcia capillos colligens, ornanſve.

Cornua. Partes extremas arcus.

Lenta. Quæ facilè flectuntur, & curvantur, cum arcus tenditur.

Ara-

Stipite, qui media poſitus fumabat in ara,
Perculit, & fractis confudit in oſſibus ora.
Hunc ubi ſedatos jactantem in ſanguine vultus
Aſſyrius vidit Lycabas, junctiſſimus illi
Et comes, & veri non diſſimulator amoris;
Poſtquam exhalantem ſub acerbo vulnere vitam
Deploravit Atyn, quos ille tenderat arcus
Arripit, &, mecum tibi ſint certamina, dixit:
Nec longum pueri fato lætabere, quo plus
Invidiæ, quam laudis habes. Hæc omnia nondum
Dixerat: emicuit nervo penetrabile telum;
Vitatumque, tamen ſinuoſa veſte pependit.
Vertit in hunc harpen ſpectatam cæde Meduſæ,
Acriſioniades, adigitque in pectus: at ille
Jam moriens, oculis ſub nocte natantibus atra,
Circumſpexit Atyn, ſeque acclinavit ad illum:
Et tulit ad Manes junctæ ſolatia mortis.

Ara. Hymenæo poſita. *Jactantem*. Agitantem. *Aſſyrius*. Aſſyria regio eſt Aſiæ, intra Babyloniam, Mediam, & Meſopotamiam. *Tibi*. Perſeum alloquitur. *Longum*. Diu. *Pueri*. Atys. *Fato*. Morte. *Quo plus, &c.* Ex qua morte major in te redundat invidia, ideſt, odium, crimen; quam laus. *Penetrabile*. Quod facile penetrat. Acutum. *Veſte*. Perſei, *Harpen*. Enſem falcatum, Perſeo datum a Mercurio, quo Meduſam peremerat, ἅρπη, *falx*. *Spectatam*. Nobilitatam. *Acriſioniades*. Perſeus, Acriſii nepos. *Natantibus*. Huc illuc errantibus temere, ut natantes ſolent: fluctuantibus, ut moribundis accidit. *Ad Manes*. Ad inferos, ubi Manes, id eſt, animæ mortuorum. Eo ſolatio levavit acerbitatem ſuæ mortis, quod cum amico moreretur. De Manibus dictum Lib. I. n. 16.

III.

Promiſcua cædes Cephenorum:

Ecce Syenites genitus Methione Phorbas,
Et Libys Amphimedon, avidi committere pugnam,

Syenites. Suene, ſeu Syene, urbs Ægypti; ſub Cancri tropico. *Libys*. Afer. Libyæ

Sanguine, quo late tellus madefacta tepebat,
Conciderant lapſi: ſurgentibus obſtitit enſis,
Alterius coſtis, jugulo Phorbantis adactus.
At non Actoriden Erithum, cui lata bipennis
Telum erat, admoto Perſeus petit enſe; ſed altis
Exſtantem ſignis, multæque in pondere maſſæ,
Ingentem manibus tollit cratera duabus;
Infligitque viro: rutilum vomit ille cruorem,
Et reſupinus humum moribundo vertice pulſat.
Inde Semiramio Polydæmona ſanguine cretum,
Caucaſeumq; Abarim, Sperchionidemq; Lycetumq;
Intonſumque comas Elycen, Phlegianq; Clytumq;
Sternit, & exſtructos morientum calcat acervos.
Nec Phineus auſus concurrere cominus hoſti:
Intorquet jaculum, quod detulit error in Idam,
Expertem fruſtra belli, & neutra arma ſecutum.
Ille tuens oculis immitem Phinea torvis,
Quandoquidem in partes, ait, abſtrahor; accipe, Phineu,
Quem feciſti hoſtem, penſaque hoc vulnere vulnus.

Pars Africæ.

Enſis. Perſei, quo illos ſurgere volentes, intercemit.

Alterius. Methionis. Adactus in ejus latus.

Actoriden. Actoris filium.

Bipennis. Securis anceps: utrimque acuta & ſecans.

Exſtantem ſignis. Craterem, in quo exſtabant alta ſigna, ideſt, effigies cælatæ, prominentes extra ipſius poculi corpus, ita ut anſæ vicem præberent.

Multæque, &c. Prægravem, ac multi ponderis.

Reſupinus. In tergum cadens.

Semiramio ſanguine. Regia domo Aſſyriorum, quorum regina Semiramis. Lib. IV. num. 1.

Caucaſeum. Ortum, profectum, a Caucaſo, monte Aſiæ inter Pontum Euxinum, & mare Caſpium.

Sperchionidem. Filium Sperchii. Spercheus, ſeu Sperchius, fluvius eſt Theſſaliæ. Lib. I. n. 16.

Cominus. Ex propinquo.

Fruſtra. Quia interfectus nihilominus fuit, licet neutras partes pugnantium ſequeretur, nec Phineo, vel Perſeo militaret.

Ille. Idas.

Quandoquidem, &c. Siquidem cogis me amplecti partes Perſei, contra te: meque ut hoſtem tractas, & vulneras; ſenties me viciſſim hoſtem: en iſthuc, pro vulnere, quod inflixiſti mihi, vulnus habe.

De-

Jamque remiſſurus tractum de vulnere telum,
Sanguine defectos cecidit collapſus in artus.
Hic quoque Cephenum poſt regem primus Odites
Enſe jacet Clymeni: Protenora percutit Hypſeus,
Hypſea Lyncides. Fuit & grandævus in illis
Emathion, æqui cultor, timidusque Deorum:
Qui, quoniam prohibent anni bellare, loquendo
Pugnat, & inceſſit, ſcelerataque devovet arma.
Huic Cromis amplexo tremulis altaria palmis
Decutit enſe caput, quod protinus incidit aræ:
Atque ibi ſemianimi verba execrantia lingua
Edidit, & medios animam expiravit in ignes.

Defectos. Exhauſtos: vacuos.
In artus. Totis artubus humi porrectus, toto corpore proſtratus.
Primus. Ditiſſimus, potentiſſimus, poſt Cepheum.
Æqui cultor. Amantiſſimus æquitatis.
Timidus Deorum. Pie Deos colens. Timor Numinis pro pietate ſæpe accipitur, quia Dei cultus maxime continetur ſancto ejuſdem timore. Eſt porro timor ſervorum, eſt filiorum: hic illo perfectior, & hominis Chriſtiani proprius, quo Dei dilecti offenſam pejus omni pœna timet.
Anni. Senectus.
Inceſſit. Objurgat, vituperat.
Devovet. Execratur.
Scelerata arma. Impie ſumpta in Perſeum: cujus cauſæ, ut æquiori, favebat.
Decutit. Dejicit, demetit.

I V.

Pergit vates eamdem pugnam deſcribere.

Hinc gemini fratres, Broteaſque & ceſtibus Amon
Invicti, vinci ſi poſſent ceſtibus enſes;
Phinea cecidere manu: Cereriſque ſacerdos
Amphitus, albenti velatus tempora vitta.

Ceſtibus. Erant ceſtus, arma pugilum: nempe chirothecæ quædam, & manuum tegmina, e corio bubulo confecta, inſuto plumbo: quibus invicem vapulabant. Virg. V. Æneid. 401.
Invicti. Inſuperabiles. Erant illi quidem invicti, omnes vincebant, at ceſtibus duntaxat: nam vinci poterant gladiis, quibus pares eſſe nulli ceſtus poſſunt.
Vitta. Tænia: faſcia linea, qua

Tu quoque Japetide, non hos adhibendus ad uſus,
Sed qui, pacis opus, citharam cum voce moveres,
Juſſus eras celebrare dapes, feſtumque canendo.
Quem procul adſtantem, plectrumque imbelle tenentem,
Pettalus irridens, Stygiis cane cætera, dixit,
Manibus, & lævo mucronem tempore fixit.
Concidit, & digitis morientibus ille retentat
Fila lyræ, caſuque fuit miſerabile carmen.
Nec ſinit hunc impune ferox cecidiſſe Lycormas,
Raptaque de dextro robuſta repagula poſte
Oſſibus illiſit mediæ cervicis: at ille
Procubuit terræ, mactati more juvenci:
Demere tentabat lævi quoque robora poſtis
Cinyphius Pelates: tentanti dextera fixa eſt
Cuſpide Marmaridæ Corythi, lignoque cohæſit.
Hærenti latus hauſit Abas, nec corruit ille,
Sed retinente manum moriens e poſte pependit.
Sternitur & Melaneus, Perſeia caſtra ſecutus,
Et Naſamoniaci Dorilas ditiſſimus agri,
Dives agri Dorilas; quo non poſſederat alter

qua vinciebantur frontes victimarum, & ſacerdotum.

Non hos ad uſus. Ad prælia. Erat enim Japetides citharœdus, atque adeo illi locus in pugna non erat.

Citharam, pacis opus. Quæ paci convenit.

Celebrare. Hilarare.

Dapes. Nuptiale convivium.

Plectrum. Lib. II. n. 13. πλῆκτρον a verbo πλήττω, *percutio*.

Manibus. Umbris mortuorum. Lib. II. n. 7. Heinſius ita legit: *Cui procul adſtanti plectrumque imbelle tenenti Pettalus*, I, *ridens, Stygiis, &c.*

Tempore. Capitis parte, quæ intra oculum & aurem eſt.

Caſuque, &c. Et cadendo, lyræ nervos ita movit, ut ſonum lugubrem efficerent.

Repagula. Vectes, obices januis apponi ſolitos a tergo.

Illiſit. Incuſſit, impegit.

Ille. Pettalus.

Lævi poſtis. Siniſtræ partis oſtii.

Robora. Ligneos vectes.

Cinyphius. Afer Cinyphs (*il Macres*) fluvius eſt Africæ, in Libya interiori.

Marmaridæ. Sunt Marmaridæ populus Libyæ.

Hauſit. Transfixit.

Naſamoniaci. Naſamones, ſunt in eadem Libya.

Far-

Latius, aut totidem tollebat farris acervos.
Hujus in obliquo miſſum ſtetit inguine ferrum:
(Letifer ille locus) quem poſtquam vulneris auctor
Singultantem animam, & verſantem lumina, vidit
Bactrius Alcioneus: hoc, quod premis, inquit, habeto
De tot agris terræ, corpuſque exangue reliquit,
Torquet in hunc haſtam, calido de vulnere raptam,
Ultor Abantiades: media quæ nare recepta,
Cervice exacta eſt, in parteſque eminet ambas.

Farris. Frumenti.
Tollebat. Colligebat.
Inguine. Inter ventrem & femur. *Singultantem*. Cum ſingultu emittentem.
Verſantem. Volventem introrſum, ut morituri ſolent.
Bactrius. Bactra Bactrorum, (*Badaſchian*, ſeu *Balch*) urbs regionis Bactrianæ caput, olim in Perſarum ditione; ad mare Caſpium.
Hoc quod premis. Tantulum terræ ſpatium, quod moriens occupas.
De vulnere. Dorilæ.
Abantiades. Perſeus.
Nare. Alcionei.
Cervice exacta eſt. Exiit, emerſit, per partem colli poſteriorem, ita ut haſtæ pars una extaret in nare; altera poſt collum emineret, nempe cuſpis, quæ per cervicem adacta fuerat.

V.

Perſeus ingruentes undique hoſtes ægre ſuſtinet:

Dumque manum fortuna juvat, Clytiumque, Claninque,
Matre ſatos una, diverſo vulnere fudit.
Nam Clytii per utrumque gravi librata lacerto,
Fraxinus acta femur: jaculum Clanis ore momordit.
Occidit & Celadon Mendeſius, occidit Aſtreus,

Dumque manum &c. Cernens Perſeus fortunam, & ſecundum Martem, adeſſe ſibi: rem bene ac feliciter a ſe geri.
Nam Clytii &c. Per Clytii femur haſta fraxinea penetravit: jaculum vero in os Clanis conjecit.
Mendeſius. Mendeſiam, regionem Ægypti Plinius memorat Lib. V. ſitam ad Mendeſium, unum ex oſtiis Nili. (*Migni*)

Matre Palæſtina, dubio genitore creatus;
Æthionque ſagax quondam ventura videre,
Tunc ave deceptus falſa: regiſque Thoactes
Armiger, & cæſo genitore infamis Agyrtes.
Plus tamen exhauſto ſupereſt; namq; omnibus unum
Opprimere eſt animus: conjurata undique pugnant
Agmina, pro cauſa meritum impugnante, fidemque
Hac pro parte ſocer fruſtra pius, & nova conjux
Cum genitrice, favent; ululatuque atria complent:
Sed ſonus armorum ſuperat, gemituſque cadentum.
Pollutoſque ſimul multo Bellona penates
Sanguine perfundit, renovataque prælia miſcet.
Circumeunt unum Phineus, & mille ſecuti
Phinea: tela volant, hyberna grandine plura,
Præter utrumque latus, prœterque & lumen, & aures

Paleſtina. Regio eſt Aſiæ, inter Syriam, Arabiam, & mare.

Sagax videre. Perſpicax olim in futuris rebus prævidendis, ac prædicendis: at nunc falſo augurio deceptus, qui mortem ſuam non præviderit.

Ave. Ex avium volatu, cantu, paſtu, divinabant futura. Si e volatu; dicebatur auſpicium: ſi e cantu, augurium; ſi e paſtu, terripavium, ſeu tripudium. Cic. I. de Divin.

Infamis. Ob patricidium.

Plus tamen &c. Licet Perſeus tot exhauſerit pericula, tot hoſtes dejecerit, plures tamen interfectis ſuperſunt: gravius reſtat adhuc periculum.

Pro cauſa, &c. Pro Phineo, pro parte Phinei, qui oppugnabat Perſei meritum, id eſt, fortitudinem, & juſtitiam, quas ob virtutes merebatur vincere, ac potiri Andromeda: oppugnabat etiam fidem, ipſi nempe datam a Cepheo, qui pactus erat filiam ſe Perſeo daturum, ſi eam liberaret.

Hac pro parte. Nempe meriti, fidei, Perſei.

Socer. Cepheus.

Fruſtra pius. Quia juvare Perſeum, contra tot hoſtes, non poterat ſua pietate, & ſtudio æquitatis.

Nova conjux. Andromeda.

Genitrice. Caſſiope.

Superat. Fortior eſt: vincit illorum planctus.

Pollutos penates. Domum Cephei violatam ſcelere Phinei, & cruenta hoſpitum ſtrage.

Bellona. Dea belli præſes. Martis ſoror.

Perfundit. Imbuit, inquinat.

Unum. Perſea.

Præter. Juxta: circum latera Perſei.

Lumen. Oculos.

Hic.

Applicat hic humeros ad magnæ ſaxa columnæ,
Tutaque terga gerens, adverſaque in agmina verſus
Suſtinet inſtantes. Inſtabat parte ſiniſtra
Chaonius Molpheus, dextra Nabathæus Ethæmon.
Tigris ut, auditis diverſa valle duorum
Exſtimulata fame mugitibus armentorum,
Neſcit utro potius ruat, & ruere ardet utroque:
Sic dubius Perſeus, dextra, lævane, feratur,
Molpea trajecti ſummovit vulnere cruris,
Contentuſque fuga eſt; neque enim dat tempus Ethemon,
Sed furit, & cupiens alto dare vulnera collo,
Non circumſpectis exactum viribus enſem
Fregit, & extrema percuſſæ parte columnæ
Lamina diſſiluit, dominique in gutture fixa eſt.
Non tamen ad letum cauſas ſatis illa valentes
Plaga dedit: trepidum Perſeus, & inertia fruſtra
Brachia tendentem: Cyllenide confodit, harpe.

Hic. Perſeus.

Chaonius. Chaonia erat pars Epiri, in Græcia (*La Canina*) Meminit etiam Plinius de Chaonis populis, Arabiæ finitimis.

Nabathæus. Nabathæa, eſt pars Arabiæ Petrææ, verſus ſinum Arabicum.

Diverſa. Duplici.

Utro. Utram in partem.

Summovit. Repulit.

Contentus, *&c*. Paſſus eſt Perſeus Molpeum impune fugere, neque enim illius interficiendi ſpatium dabat Ethæmon, qui furens in Perſeum ruebat, a parte dextra.

Cupiens &c. Ethæmon cupiens Perſei cervicem decutere, dum impetu temerario enſem exigit, id eſt, ſtringit, vibrat; eum impegit columnæ cui adnixus ſtabat Perſeus, ac fregit.

Domini. Ethæmonis.

Non tamen &c. Tamen illud vulnus letale non erat: illa gladii pars infixa gutturi, ſatis cauſæ non erat, ad mortem Ethæmoni inferendam.

Cyllenide. A Mercurio accepta, qui Cyllenius nuncupatur. Lib. I. numera 9.

Harpe. Supra, n. 2.

VI.

Perſeus oſtentato Meduſæ capite, hoſtes in ſaxa vertit.

Verum ubi virtutem turbæ ſuccumbere vidit:
Auxilium, Perſeus, quoniam ſic cogitis ipſi,
Dixit, ab hoſte petam: vultus avertite veſtros
Si quis amicus adeſt, & Gorgonis extulit ora.
Quære alium, tua quem moveant miracula, dixit
Theſſalus; utque manu jaculum fatale parabat
Mittere, in hoc hæſit ſignum de marmore geſtu.
Proximus huic Ampyx animi pleniſſima magni
Pectora Lyncidæ gladio petit, inque petendo
Dextera diriguit, nec citra mota, nec ultra eſt.
At Nileus, qui ſe genitum ſeptemplice Nilo
Ementitus erat, clypeo quoque flumina ſeptem
Argento partim, partim cælaverat auro,
Aſpice, ait, Perſeu, noſtræ primordia gentis,
Magna feres tacitas ſolatia mortis ad umbras,
A tanto cecidiſſe viro: pars ultima vocis
In medio ſuppreſſa ſono eſt, adapertaque velle
Ora loqui credas, nec ſunt ea pervia verbis.
Increpat hos, vitioque animi, non viribus, inquit,
Gorgoneis torpetis, Eryx; incurrite mecum,

Virtutem.. Fortitudinem a multitudine ſuperari: ſe, licet fortem, numero tamen opprimi.

Ab hoſte. A Meduſa, ejuſque capite.

Gorgonis. Lib. IV. 8.

Alium &c. Qui credat mutari homines in ſaxa, viſo capite Meduſæ: alii hoc timeant, id credant: non ego.

Signum &c. Inſtar ſtatuæ marmoreæ.

Citra. Verſus pectus. Non potuit manum ad pectus adducere, nec reducere a pectore.

Septemplice.. Qui ſeptem oſtiis in mare devolvitur.

Ementitus erat. Finxerat.

Noſtræ gentis. Noſtræ familiæ. Hoc dicit, clypeum oſtendens Perſeo. Vide, quam nobilis origo mea ſit. Nilum aſpice, a quo genus duco: glorioſum tibi erit perire tam nobili manu. Virgil. X. Æn. *Hoc tamen infœlix miſeram ſolabere mortem, Æneæ magni dextra cadis*.

Pervia. Patentia.

Vitio animi. Ignavia.

Viribus Gorgoneis. Meduſei capitis aſpectu.

Inquit. Eryx.

Sed

Et proſternite humi juvenem magica arma moventem.
Incurſurus erat, tenuit veſtigia tellus,
Immotuſque ſilex, armataque manſit imago.
Hi tamen ex merito pœnas ſubiere: ſed unus
Miles erat Perſei, pro quo dum pugnat, Aconteus
Gorgone conſpecta, ſaxo concrevit oborto.
Quem ratus Aſtyages etiam num vivere, longo
Enſe ferit; ſonuit tinnitibus enſis acutis.
Dum ſtupet Aſtyages, naturam traxit eamdem,
Marmoreoque manet vultus mirantis in ore.
Nomina longa mora eſt media de plebe virorum
Dicere, bis centum reſtabant corpora pugnæ,
Gorgone bis centum riguerunt corpora viſa.

Sed unus &c. Sed Aconteus erat unus e militibus Perſei, pro quo dum pugnat, &c.
Concrevit. Diriguit.
Oborto. Repente nato. Saxeo rigore membra occupante.
Sonuit... Quia non jam hominem, ſed ſaxum, percutiebat.
Eamdem. Saxeam.
Mirantis. Suum enſem, ut ſaxo percuſſo, tinnire: ſe in lapidem obrigere.
Corpora. Milites ad pugnam idonei reſtabant ducenti omnes converſi ſunt in ſaxa.

VII.

Phineus, Eroetus, & Polydectes, eadem afficiuntur pœna.

Pœnitet injuſti tunc denique Phinea belli.
Sed quid agat? ſimulacra videt diverſa figuris,
Agnoſcitque ſuos, & nomine quemque vocatum
Poſcit opem, credenſque parum ſibi, proxima tangit
Corpora, marmor erant. Avertitur, atque ita ſupplex
Confeſſaſque manus, obliquaque brachia tendens,
Vincis, ait, Perſeu; remove tua monſtra, tuæque

Sibi. Oculis ſuis.
Avertitur. Oculos avertit, ne Perſeum, & Meduſæ caput, videat.
Confeſſas. Quibus, ſupplicantis ritu porrectis, fatebatur ſe victum.
Obliqua. Ad Perſeum converſa, quem tamen aſpicere non audebat.

Saxificos vultus, quæcumque ea, tolle Meduſæ;
Tolle, precor: non nos odium, regnique cupido
Compulit ad bellum, pro conjuge movimus arma.
Cauſa fuit meritis melior tua, tempore noſtra:
Non ceſſiſſe piget, nihil, o fortiſſime, præter
Hanc animam, concede mihi; tua cætera ſunto.
Talia dicenti, neque eum, quem voce rogabat,
Reſpicere audenti, Quod, ait, timidiſſime Phineu,
Et poſſum tribuiſſe, & magnum eſt munus inerti,
Pone metum, tribuam; nullo violabere ferro:
Quin etiam manſura dabo monumenta per ævum,
Inque domo ſoceri ſemper ſpectabere noſtri,
Ut mea ſe ſponſi ſoletur imagine conjux.
Dixit, & in partem Phorcynida tranſtulit illam,
Ad quam ſe trepido Phineus obverterat ore.
Tum quoque conanti ſua flectere lumina cervix
Diriguit, ſaxoque oculorum induruit humor.
Sed tamen os timidum, vultuſq; in marmore ſupplex
Submiſſæque manus, facieſque obnoxia, manſit.
Victor Abantiades patrios cum conjuge muros
Intrat, & immeriti vindex, ultorque parentis,

Quæcumque ea. Sive hanc vim per ſe ſe; ſive per magicam artem, habeat.

Cauſa fuit, &c. Vincis æquitate cauſæ: ego tempore, quia mihi prius deſponſata fuit Andromeda, quam tibi.

Non ceſſiſſe . . . Pœnitet me, quod Andromedam ultro tibi non conceſſerim: quod ſtatim tibi non ceſſerim, doleo.

Animam. Vitam,

Neque . . . audenti. Ne lapideſceret, viſa Gorgone.

Monumenta. Æterna clementiæ meæ argumenta.

Phorcynida. Meduſam, Phorci filiam. Lege lib. IV.

Flectere. Avertere.

Oculorum humor. Lacrymæ.

Obnoxia. Supplex, ſerviliter demiſſa.

Patrios muros. Argos, Græciam, petit.

Parentis. Acriſium intelligit, qui non parens, ſed avus, Perſei, fuit: avos tamen patrum nomine ut appellemus conſuetudo obtinuit, permittit poetica licentia.

Immeriti. Acriſius dignus non erat, quem vindicaret Perſeus; nam filiam ſuam Danaen, Perſei matrem, inclementer habuerat, incluſam turri, &c. Supra Lib. IV. Horat. lib. III. Od. *Incluſam*.

Præ-

Aggreditur Prœtum, nam fratre per arma fugato
Acriſioneas Prœtus poſſederat arces.
Sed nec ope armorum; nec, quam male ceperat, arce:
Torva colubriferi ſuperavit lumina monſtri.
Te tamen, o parvæ rector Polydecta Seriphi,
Nec juvenis virtus, per tot ſpectata labores,
Nec mala mollierant; ſed inexorabile durus
Exerces odium: nec iniqua finis in ira eſt.
Detrectas etiam laudem, fictamque Meduſæ
Arguis eſſe necem. Dabimus tibi pignora veri,
Parcite luminibus, Perſeus ait, oraque regis
Ore Meduſeo ſilicem ſine ſanguine fecit.

Prœtum. Prœtus, Acriſium fratrem ſuum, ſolio deturbaverat: Acriſium Perſeus in regnum reſtituit.
Fratre. Acriſio.
Acriſioneas arces. Regnum Acriſii.
Polydecta. Polydectes, rex Seriphi, inſulæ maris Ægei, gerebat veteres cum Perſeo inimicitias. Narrant poetæ Perſeum, ſtatim atque in lucem fuit editus, incluſum eſſe in arcam cum Danae, & in mare projectum, Acriſii juſſu. Arcam ad inſulam Seriphum appuliſſe, cui Polydectes imperitabat. Ab eo ſervatum quidem Perſeum, ſed, cum adoleviſſet, variis objectum periculis, ut periret: præſertim verò ad Gorgonas debellandas amandatum: quas cum viciſſet, reverſum ad Polydecten, pœnas ab eo repetiiſſe odii tam injuſti.
Juvenis. Perſei.
Detrectas. Negas, minuis.
Pignora. Signa, argumenta.
Parcite luminibus. Oculos avertite. Sic alios præter Polydecten, admonet.

VIII.

Muſæ in aves ſe transformant:

Hactenus aurigenæ comitem Tritonia fratri
Se dedit; inde cava circumdata nube Seriphon
Deſerit; à dextra Cythno, Gyaroque relictis:

Aurigenæ. Perſeo, quem Jupiter in aureum converſus imbrem e Danae genuerat.
Tritonia. Pallas. Lib. II. num. 17.
Seriphon. Supra. num. 7.
Cythno. *Gyaroque*. Cythnus, & Gyarus, inſulæ ſunt maris Ægæi. Aldus olim excudit: *Cythno*, *Scyroque*, reli-

Quaque ſuper pontum via viſa breviſſima, Thebas
Virgineumque Helicona, petit; quo mente potita
Conſtitit, & doctas ſic eſt affata ſorores:
Fama novi fontis noſtras pervenit ad aures.
Dura Meduſei quem præpetis ungula rupit:
Is mihi cauſa viæ, volui mirabile factum
Cernere: vidi ipſum materno ſanguine naſci.
Excipit Uranie: Quæcumque eſt cauſa videndi
Has tibi, diva domos, animo gratiſſima noſtro es:
Vera tamen fama eſt, & Pegaſus hujus origo
Fontis. Et ad latices deduxit Pallada ſacros.
Quæ mirata diu factas pedis ictibus undas,
Silvarum lucos circumſpicit antiquarum,
Antraque, & innumeris diſtinctas floribus herbas;
Feliceſque vocat pariter ſtudiique, locique
Mæonidas: quam ſic affata eſt una ſororum:

relictis: alii, *Syroque*; alii, *Siphnoque:* Numerantur illæ omnes in Cycladibus, & habent a læva Bœotiam, quo Pallas ibat.

Thebas. Lib. III. n. 1.

Helicona. Lib. II. n. 5.

Meduſæi præpetis. Pegaſi, equi alati. Lib. IV. n. 12.

Præpetis. Volucris, alati. Lib. IV. n. 11.

Ungula. Pegaſus in montem Heliconem delatus, ſaxum percuſſit pede, fontemque Hippocrenen, id eſt, equi fontem, ſive Caballinum, ut Perſius appellat, elicuit.

Materno. Meduſæo.

Excipit. Reſpondet.

Uranie. Una Muſarum, quæ aſtrologiæ præſidet: οὐρανὸς, *cœlum*.

Quæcumque &c. Quacumque tandem de cauſa huc veneris, pergratum nobis feciſti; cæterum, vera eſt illa fama, &c.

Felices ſtudii. Subaudi, cauſa: beatas Muſas vocat, & Parnaſſi, quem colunt, & artium, quas tractant, liberalium, cauſa. Locutio eſt Græcorum propria, qui ſolent omittere adverbium ἕνεκα, *ob propter*, cui adverbio jungunt gignendi caſum. Latini poetæ illos imitati, dicunt, fœlix animi, ſtudii, &c.

Mæonidas. Muſas. Homerus vulgò vates Mæonius vocatur. Ab hoc poetarum principe Muſæ Mæonides dictæ: quod illis nomen Pallas per anticipationem tribuit, nondum quippe Homerus erat natus, cum hoc narrabat. Myonidas nonnulli ſcribunt, a Myone, ſive Myonia, oppido Phocidis, in qua Parnaſſus. Acute corrigit Heinſius *Mnemonidas*, id eſt, Mnemes filias, Μνήμης θυγατέρας, ut in Anthologia diſerte no-

O, niſi te virtus opera ad majora tuliſſet,
In partem ventura chori Tritonia noſtri,
Vera refers, meritoque probas, arteſque, locumque:
Et gratam ſortem, tutæ modo ſimus, habemus.
Sed (vetitum eſt adeo ſceleri nihil) omnia terrent
Virgineas mentes, diruſque ante ora Pyreneus
Vertitur, & nondum me tota mente recepi.
Daulia Threicio, Phocæaque milite rura
Ceperat ille ferox, injuſtaque regna tenebat.
Templa petebamus Parnaſſia, vidit euntes,
Noſtraque fallaci veneratus numina vultu,
Mæonides (cognorat enim) conſiſtite, dixit,
Nec dubitate, precor, tecto grave ſidus, & imbrem
(Imber erat) vitare meo; ſubiere minores
Sæpe caſas Superi. Dictis, & tempore, motæ
Annuimuſque viro, primaſque intravimus ædes.
Deſierant imbres, victoque Aquilonibus Auſtro,
Fuſca repurgato fugiebant nubila cœlo.

nominantur. *Μνήμη*, ſive *Μνημοσύνη*, Græce eſt *Memoria*, Muſarum mater.

Virtus. Virilis animus.

Opera ad majora. Bellicas artes.

In partem, &c. Digniſſima, quæ noſtrum numerum, & chorum, ſeu cœtum, augeres; ornareſque tuo ingenio, & eruditione: quæ locum inter Muſas haberes.

Et gratam, &c. Ac merito quidem iſta nobis vitæ conditio placet, ſi modo ſecuræ ſimus; ſed a ſcelere nihil tutum.

Ante ora vertitur. Oculis adhuc, & menti, obverſatur.

Nondum, &c. Nondum penitus animum a pavore collegi.

Daulia. Daulis, ſive Daulia, urbs Phocidis, in Achaja.

Phocæa. Lib. I. num. 11.

Threicio. Thracia, regio Europæ, ſupra Græciam, ad ſeptemt. cujus tyrannus erat iſte pyreneus: nunc *La Romania* dicitur.

Grave ſidus. Procelloſum, & pluvium diem. Imbres vi arcana ſiderum, ac tempeſtates, oriuntur.

Dictis. Oratione humanitatis plena, & pietatis.

Tempore. Tempeſtatis gravitate: imbre.

Primas ædes. Limen domus: atrium.

Aquilonibus. Aquilo fugat nubes: adducit illas Auſter. Hic a meridie flat: ille a ſeptemtrione.

Im-

Impetus ire fuit: claudit ſua tecta Pyreneus,
Vimque parat: quam nos ſumptis effugimus alis:
Ipſe, ſecuturo ſimilis, ſtetit arduus arce:
Quaque via eſt vobis, erit & mihi, dixit, eadem:
Seque jacit vecors è ſummo culmine turris,
Et cadit in vultus, diſcuſſiſque oſſibus oris,
Tundit humum moriens ſcelerato ſanguine tinctam.

Impetus. Abire voluimus. *Arce*. Summa domus parte. *Eadem*. Parte, facultate.

I X.

Certant Muſæ de cantu cum Pieri filiabus. Dii varias in formas converſi, bello Giganteo.

Muſa loquebatur, pennæ ſonuere per auras,
Voxque ſalutantum ramis veniebat ab altis.
Suſpicit, & linguæ quærit tam certa loquentes
Unde ſonent; hominemque putat Jove nata locutum:
Ales erat; numeroque novem, ſua fata querentes,
Inſtiterant ramis, imitantes omnia, picæ.
Miranti ſic orſa Deæ Dea; Nuper & iſtæ
Auxerunt volucrum, victæ certamine, turbam.
Pierus has genuit Pellæis dives in arvis;
Pæonis Evippe mater fuit: illa potentem

Muſa loquebatur. Dum hęc Urania Palladi narrabat. *Pennæ*. . . . Volucres alis ſtrepitum ediderunt. *Vox ſalutantum*. Vox eſt e proximis arboribus audita, quaſi hominum alios homines ſalutantium. Picarum ſonus imitatur vocem Græcam *χαῖρε*, quæ ſignificat *Ave*, *Salve*. Lege Perſium in Prologo: *Quis expedivit*, *&c*. *Et linguæ*, *&c*. Pallas oculos ad arbores attollens rogat unde oriatur vox tam diſtincta, tam ſimilis humanę. *Jove nata*. Pallas. *Sua fata querentes*. De ſua calamitate, & mutatione, conquerentes. *Inſtiterant*. Inſidebant. *Omnia*. Non humanas tantum, ſed quaſvis alias tum avium, tum ferarum voces. *Orſa*. Locuta eſt. *Deæ*. Palladi. *Dea*. Urania. *Pellæis*. Pella, urbs Macedoniæ: hodie *Janizza*, ut quidam volunt. *Pæonis*. . . Illarum mater fuit Evippe, oriunda e Pæonia.

Lucinam novies, novies, paritura, vocavit.
Intumuit numero ſtolidarum turba ſororum,
Perque tot Æmonias, & per tot Achaidas urbes,
Huc venit, & tali committit prælia voce:
Deſinite indoctum vana dulcedine vulgus
Fallere: nobiſcum, ſi qua eſt fiducia vobis,
Theſpiades certate Deæ: nec voce, nec arte
Vincemur, totidemque ſumus: vel cedite victæ
Fonte Meduſeo, & Hyantea Aganippe;
Vel nos Emathiis, ad Pæonas uſque nivoſos,
Cedemus campis: dirimant certamina nymphæ.
Turpe quidem contendere erat: ſed cedere viſum
Turpius. Electæ jurant per flumina nymphæ,
Factaque de vivo preſſere ſedilia ſaxo.
Tunc ſine ſorte prior, quæ ſe certare profeſſa eſt,
Bella canit Superum, falſoque in honore gigantes
Ponit, & extenuat magnorum facta Deorum;

nia. Pars eſt Macedoniæ remotior, & montoſa.

Lucinam. Parientes juvare credebatur.

Intumuit. Pieri filiæ, numero pares Muſis, gloria elatæ ſunt.

Æmonias. Macedonicas.

Achaidas. Achaja, pars Græciæ.

Huc. In Phocidem, ad Parnaſſum.

Committit prælia. Nos provocat ad certamen.

Theſpiades. Theſpiæ, civitas Bœotiæ. Muſis ſacra. *Teſpe*.

Fonte Meduſeo. Hippocrene. Supra, num. 4.

Aganippe. Fons eſt Bœotiæ, Muſis conſecratus. Hyantes, populi ejuſdem Bœotiæ (ut Plinius docet Lib. IV. c. 7.) Hyantea igitur, eſt Bœotia. Vide Lib. III. num. 1. 4.

Vel nos, &c. Si viciſſim a vobis ſuperamur, relinquemus patriam Macedoniam, & in ultimos ejus fines, in montes incultos Pæoniæ, diſcedemus.

Dirimant. Eligantur nymphæ, arbitræ hujus certaminis, quæ victoriam merentibus adjudicent.

Jurant. Nymphæ, ad litem dijudicandam electæ, jurant ſe ex æquitate judicaturas.

Per flumina. Nymphæ, fluminum erant filiæ, præſides, aut alumnæ.

Preſſere ſedilia. Conſedere, tamquam judices, in vivo ſaxo.

Sine ſorte. Nullo delectu habito: quæ prima occurrit.

Falſo. Gigantum fortitudinem immeritis laudibus extollit.

Emiſ-

Emiſſumque ima de ſede Tiphoea terræ
Cælitibus feciſſe metum, cunctoſque dediſſe
Terga fugæ, donec feſſos Ægyptia tellus
Ceperit, & ſeptem diſcretus in oſtia Nilus.
Huc quoque terrigenam veniſſe Typhoea narrat,
Et ſe mentitis Superos celaſſe figuris:
Duxque gregis, dixit, fit Jupiter, unde recurvis
Nunc quoque formatus Libys eſt cum cornibus Ammon.
Delius in corvo, proles Semeleia capro,
Fele ſoror Phœbi, nivea Saturnia vacca,
Piſce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis.

Emiſſum. Emerſum e cavernis ſubterraneis.

Terræ. Gigantes enim Terræ filii. Lib. I. n. 6.

Typhoea. Typhoeus, gigas immanis, Jovem ipſum provocavit, ac Superos fugientes in Ægyptum uſque ſecutus eſt.

Diſcretus. Diviſus.

Duxque. Jupiter mutatur in arietem. Aries dux gregis a Virgilio vocatur.

Unde &c. Hinc factum, inquit, ut Jupiter Ammon colatur in Libya, ſpecie cornuti arietis.

Delius. Apollo, natus in Ægæi maris inſula Delo.

Proles Semeleia. Bacchus. Lib. III. n. 9.

Soror Phœbi. Diana.

Cyllenius. Mercurius, in Cyllene, monte Arcadiæ, natus.

Ibidis. Ibis, eſt avis Ægyptiaca, ciconiæ ſimilis; ſerpentibus veſci fertur.

X.

Narrat Calliope quemadmodum Plutonem Cupido matris hortatu, percuſſerit.

Hactenus ad citharam vocalia moverat ora.
Poſcimur Aonides. Sed forſitan otia non ſunt,
Nec noſtris præbere vacat tibi cantibus aures.

Moverat. . Una de Pieri filiabus hæc cecinerat, ſociata fidibus voce.

Poſcimur. Jam noſtræ canendi partes erant, inquit Uranie: poſtulant Pieri filiæ, ut viciſſim aliquid canamus.

Aonides. Nos Muſæ. Aonia, Bæotiæ pars, Muſis conſecrata.

Otia non ſunt. Otium tibi forte non ſuppetit ad nos audiendas.

Ne

Ne dubita, veſtrumque mihi refer ordine carmen,
Pallas ait, nemoriſque levi conſedit in umbra.
Muſa refert: Dedimus ſummam certaminis uni.
Surgit, & immiſſos hedera collecta capillos,
Calliope querulas prætentat pollice chordas,
Atque hæc percuſſis ſubjungit carmina nervis.
Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges: Cereris ſunt omnia munus:
Illa canenda mihi eſt, utinam modo dicere poſſim
Carmina digna Dea; certe Dea carmine digna eſt.
Vaſta giganteis ingeſta eſt inſula membris
Trinacris, & magnis ſubjectum molibus urget
Æthereas auſum ſperare Typhoea ſedes.
Nititur ille quidem, pugnatque reſurgere ſæpe;
Dextra ſed Auſonio manus eſt ſubjecta Peloro,
Læva, Pachyne, tibi, Lilybæo crura premuntur;

Ne dubita. Perge porro, reſpondet Pallas; Noli metuere, ne mihi moleſta ſis.

Muſa refert. Pergit Uranie.

Summam certaminis. Aleam, & ſucceſſum hujus pugnæ, uni, e noſtro cœtu, commiſimus.

Immiſſos. Diffuſos.

Collecta. Redimita.

Hedera. Hæc Muſis, & poetis, addicta, quia ſemper viret, quia Baccho eſt chara, cui poetæ minime ſunt inimici. Lib. III. num. 11.

Querulas. Tinnulas, ſonoras.

Prætentat. Micante digito explorat, ac proludit.

Nervis. Fidibus.

Glebam dimovit. Humum proſcidit.

Mitia. Prius enim homines glande, quam frumento, veſcebantur.

Dea. Cerere.

Vaſta. Inſula Trinacris injecta eſt corpori Typhoei gigantis.

Trinacris. Sicilia. Græca vox, ſignificat inſulam tribus promontoriis præditam: qualis eſt Sicilia. Unum ex illis, Pelorus, eſt obverſus Italiæ, unde Auſonius, tertio poſt verſu, appellatur: alterum, Pachinus; reſpicit Peloponneſum & orientem: tertium Lilybæum vocant, objectum occidenti.

Molibus. Saxis, montibus.

Auſum. Qui cœlo & Superis bellum intulit, cum reliquis gigantibus. Supra, num. 9.

Reſurgere. Attollere ſe, excutiendo Siciliam ſibi impoſitam, qua opprimitur, ac veluti ſepelitur.

Ætna

Degravat Ætna caput, ſub qua reſupinus arenas
Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhoeus.
Sæpe remoliri luctatur pondera terræ,
Oppidaque & magnos devolvere corpore montes:
Inde tremit tellus, & rex pavet ipſe ſilentum;
Ne pateat, latoque ſolum retegatur hiatu,
Immiſſuſque dies trepidantes terreat umbras.
Hanc metuens cladem, tenebroſa ſede tyrannus
Exierat, curruque atrorum vectus equorum
Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.
Poſtquam exploratum ſatis eſt loca nulla labare,
Depoſituſque metus: videt hunc Erycina vagantem,
Monte ſuo reſidens, natumque amplexa volucrem;
Arma, manuſque meæ, mea, nate, potentia, dixit,
Illa, quibus ſuperas omnes, cape tela, Cupido,
Inque Dei pectus celeres molire ſagittas,
Cui triplicis ceſſit fortuna noviſſima regni.
Tu Superos, ipſumque Jovem, tu numina ponti
Victa domas; ipſumque, regit qui numina ponti:
Tartara quid ceſſant? cur non matriſque, tuumque
Imperium profers? agitur pars tertia mundi.
Et tamen in cœlo (quæ jam patientia noſtra eſt!)

Ætna. Mons Siciliæ, flammas eructans. Virgil. III. Æneid.

Reſupinus. Jacens, ore in cœlum verſo.

Remoliri. Amovere: excutere. *Devolvere*. Rejicere.

Silentum. Manium, umbrarum, *Tyrannus*. Pluto.

Ambibat. Circum ibat, luſtrabat: explorans, numquid labaret, hiaretque.

Erycina. Venus. Lib. II. nu. 5. Culta in Eryce, monte Siciliæ.

Monte ſuo. Eryce, quo in monte Eryx, Butæ & Veneris filius, templum matri condidit.

Volucrem. Alatum, Cupidinem.

Arma &c. O fili, qui unus mihi es armorum omnium inſtar, cujus manibus pugno, cujus telis vinco, &c.

Dei, cui &c. Plutonis.

Molire. Vibra, conjice.

Triplicis regni. Mundi, tres in partes, & regna diviſi.

Noviſſima fortuna. Sors & portio ultima, nempe inferi.

Qui numina ponti regit. Neptunum.

Quid ceſſant? Cur a te pariter non domantur?

Profers. Amplificas: propagas.

Agitur. Vincenda offertur: domanda reſtat. Etſi aliæ duæ non omnino domitæ ſunt; nam in cœlo ipſo ſpernimur.

Quæ jam patientia noſtra eſt.

Spernitur, ac mecum vires minuuntur Amoris.
Pallada nonne vides, jaculatricemque Dianam,
Abſceſſiſſe mihi? Cereris quoque filia, virgo,
Si patiemur, erit; nam ſpes affectat eaſdem.
At tu, pro ſocio ſi qua eſt mea gratia regno,
Junge Deam patruo. Dixit Venus, ille pharetram
Solvit, & arbitrio matris de mille ſagittis
Unam ſepoſuit; ſed qua nec acutior ulla,
Nec minus incerta eſt, nec quæ magis audiat arcum:
Oppoſitoque genu curvavit flexile cornu,
Inque cor humata percuſſit arundine Ditem;

eſt. Adeo ſegnes, & male patientes ſumus! Includenda ſunt hæc verba parentheſi: nec eſt cur a vulgata lectione recedamus, pace Heinſii dixerim. Legi poſſunt eadem verba cum interrogandi nota: Quam nos oportet eſſe patientes, qui hæc feramus? Quo ulterius patientia progredi noſtra poteſt?

Abſceſſiſſe mihi. A meis partibus receſſiſſe. Venerem odiſſe.

Spes. Virginitatis tuendæ ſpem, gloriamque, ambit Proſerpina.

Pro ſocio, &c. Si quid mihi annuis, in gratiam Ditis, & inferorum. Socium regnum vocat, quia cognatione Plutonem attingit, quippe Jovis filia.

Si qua eſt mea gratia. Si matri facere gratum cupis: Si bene quid de te merui.

Junge. Matrimonio.

Deam. Proſerpinam.

Patruo. Plutoni, qui Cupidinis, & Proſerpinæ, patruus, quia Jovis frater.

Solvit. Explicat, expromit.

Incerta. Aberrans a ſigno, quod petit.

Nec quæ &c. Nulla, quæ certius eo dirigatur, quo impellitur ab arcu.

Oppoſito genu. Geſtus arcum tendentis. Dextrum genu poſuit humi, erexit ſiniſtrum, & arcui oppoſuit, quem ſiniſtra manu, ad idem genu ſiniſtrum applicata, prehendebat: dextra verò nervum tetendit.

Cornu. Arcum corneum: extremas arcus partes, ac veluti cornua.

Hamata. Lib. II. n. 18.

Ditem. Plutonem. Ita dictum, quaſi divitem: id quod Plutonis quoque vocabulum ſonat, factum a *πλύτος*, *divitiæ*. In terræ viſceribus (quæ Plutonis etiam regno continentur) latent metalla, theſauri. Appendicem conſule.

Pro-

X I.

Proſerpina rapitur a Plutone : Cyane mutatur in fontem.

Haud procul Ætnæis lacus eſt a mœnibus, altæ,
Nomine Pergus, aquæ: non illo plura Cayſter
Carmina cycnorum labentibus audit in undis.
Silva coronat aquas, cingens latus omne, ſuiſque
Frondibus, ut velo, Phœbeos ſummovet ignes:
Frigora dant rami, varios humus humida flores;
Perpetuum ver eſt. Quo dum Proſerpina luco
Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit:
Dumque puellari ſtudio, calathoſque, ſignumque
Implet, & æquales certat ſuperare legendo,
Pœne ſimul viſa eſt, dilectaque, raptaque Diti.
Uſque adeo eſt properatus amor. Dea territa, mœſto
Et matrem, & comites, ſed matrem ſæpius, ore
Clamat; &, ut ſumma veſtem laniarat ab ora,
Collecti flores tunicis cecidere remiſſis:
Tantaque ſimplicitas puerilibus affuit annis,
Hæc quoque virgineum movit jactura dolorem.
Raptor agit currus, & nomine quemque vocando,
Exhortatur equos, quorum per colla, jubaſque
Excutit obſcura tinctas ferrugine habenas,
Perque lacus altos, & olentia ſulfure fertur
Stagna Palicorum, rupta ferventia terra:

Ætnæis mœnibus. Etna, ſive Henna, Siciliæ civitas, ad quam rapta fuit Proſerpina. Nunc oppidulum in valle Netina, *Caſtro Joanni* dictum.

Pergus. Ita illum Claudianus, & vetuſtæ membranæ appellant: hodie, *il lago di Caſtro Joanni*.

Cayſter. Lib. II. num. 6.

Calathos. Vaſcula viminea: quaſilos, fiſcellas.

Legendo. Colligendis floribus.

Ab ora. Lib. III. n. 8.

Jactura. Florum.

Agit. Incitat.

Excutit. Concutit, jactat.

Ferrugine. Atro colore, qualis ferri eſt. Libr. II. num. 18.

Palicorum. Palici. Jovis ac Thaleæ nymphæ filii fuiſſe traduntur; & in Sicilia præcipuè culti. Ab eorum nomine ſtagnum quoddam

in

Et qua Bacchiadæ, bimari gens orta Corintho,
Inter inæquales poſuerunt mœnia portus.
Eſt medium Cyanes, & Piſææ Arethuſæ,
Quod coit anguſtis incluſum cornibus æquor:
Hic fuit, a cujus ſtagnum quoque nomine dictum eſt,
Inter Sicelidas Cyane celeberrima nymphas:
Gurgite quæ medio ſumma tenus exſtitit alvo,
Agnovitque Deam; Nec longius ibitis, inquit:
Non potes invitæ Cereris gener eſſe; roganda,
Non rapienda, fuit: quod ſi componere magnis
Parva mihi fas eſt, & me dilexit Anapus,
Exorata tamen, nec, ut hæc, exterrita, nupſi.
Dixit, & in partes diverſas brachia tendens
Obſtitit. Haud ultra tenuit Saturnius iram,
Terribileſque hortatus equos, in gurgitis ima
Contortum valido ſceptrum regale lacerto
Condidit: icta viam tellus in Tartara fecit,

in eadem Sicilia eſt appellatum; inter Leontinos, & Menas. Nunc vocatur *il lago Naffia*, eſtque in valle Netina.

Ferventia. Æſtuantia, ob ſulphur aquis admixtum.

Bacchiadæ. Poſteri, & nepotes Bacchiæ. Bacchias Dionyſii, Siciliæ tyranni, filius, Corinthi habitavit. Ejus poſteri, Corintho pulſi, condidere Syracuſas, in Sicilia.

Bimari. Gemino mari cincta, hinc Ægæo, inde Jonio.

Corintho. Urbe Græciæ celeberrima, in Iſthmo Peloponerſiaco.

Inæquales portus. Alterum majorem, alterum minorem.

Mœnia. Syracuſana.

Eſt medium, &c. Inter ſtagnum Cyanes, & fontem Arethuſæ, medius eſt anguſtus maris ſinus, coeunte, & conſtricto, inter prominentem hinc inde, more cornuum duorum, terram, æquore. In eo loco habitabat nympha Cyane.

Piſæa. Arethuſa, Siciliæ fons eſt, juxta Syracuſas. Piſæa dicitur, quia in eum fontem fluere traditur, ſubter mare lapſus, Alpheus, fluvius Græciæ, in Peloponneſo, urbem Piſam alluens.

Gurgite, &c. Cyane aſſurgens pectore tenus, e medio ſuo ſtagno, Proſerpinam agnovit.

Roganda. Proſerpina.

Componere. Comparare.

Anapus. Siciliæ fluvius, ſive Anapis, ut quidam ſcribunt: nunc in valle Netina.

Saturnius. Pluto, Saturni filius.

Gurgitis. Profundi ſtagni.

Cra-

Et pronos currus medio medio cratere recepit.
At Cyane, raptamque Deam, contemptaque fontis
Jura ſui, mœrens, inconſolabile vulnus
Mente gerit tacita, lacrymiſque abſumitur omnis:
Et quarum fuerat magnum modo numen, in illas
Extenuatur aquas: molliri membra videres,
Oſſa pati flexus, ungues poſuiſſe rigorem;
Primaque de tota tenuiſſima quæque liqueſcunt,
Cærulei crines, digitique, & crura, pedeſque:
Nam brevis in gelidas membris exilibus undas
Tranſitus eſt: poſt hæc humeri, tergumque latuſque,
Pectoraque, in tenues abeunt evanida rivos.
Denique pro vivo, vitiatas, ſanguine, venas
Lympha ſubit; reſtatq; nihil, quod prendere poſſis.

Cratere. Stagno in modum crateris depreſſo, qua parte factus a Plutone hiatus eſt.
Fontis jura ſui. Sacri nempe fontes: & ipſa Cyane Dea, hujus ſtagni præſes, erat.
Primaque. Quæ partes fuerunt in Cyanes corpore, admodum tenues, liquidum in humorem primæ ſunt mutatæ.
Nam brevis, &c. Membra enim exilia, ut capilli, digiti, facile tranſeunt, & mutantur in aquas.
Evanida. Evaneſcentia: diſſoluta, diffluentia.
Pro ſanguine. In locum ſanguinis.
Subit. Intrat. Succedit.
Reſtatque nihil, &c. Nihil ſolidum, ac durum, ſupereſt: omnia liquida, meruſque fons.

XII.

Stelli pueri metamorphoſis in ſtellionem.

Interea pavidæ nequicquam filia matri
Omnibus eſt terris, omni quæſita profundo.
Illam non udis veniens Aurora capillis
Ceſſantem vidit, non Heſperus: illa duabus
Flammiferas pinus manibus ſuccendit ab Ætna,

Matri. Cereri.
Profundo. Mari.
Udis. Aurora ferme eſt roſcida. *Heſperus*. Lib. II. n. 3.
Pinus. Ex illis fiunt faces, ob reſinam & picem, quæ in pinu latent, ex eaque defluunt.
Ab Ætna. Monte Siciliæ. Lib. II. n. 5. XV. n. 7.

He-

Perque pruinoſas tulit irrequieta tenebras.
Rurſus, ubi alma dies hebetarat ſidera, natam
Solis ab occaſu, ſolis quærebat ad ortus.
Feſſa labore ſitim conceperat, oraque nulli
Colluerant fontes: contectam ſtramine vidit
Forte caſam, parvaſque fores pulſavit, at inde
Prodit unus, Divamque videt, lymphamq; roganti
Dulce dedit, toſta quod coxerat ante polenta.
Dum bibit illa datum, duri puer oris, & audax
Conſtitit ante Deam, riſitque, avidamque vocavit.
Offenſa eſt, neque adhuc epota parte loquentem
Cum liquido mixta perfudit Diva polenta.
Combibit os maculas, & quæ modo brachia geſſit.
Crura gerit, cauda eſt mutatis addita membris,
Inque brevem formam, ne ſit vis magna nocendi,
Contrahitur, parvaque minor menſura lacerta eſt.
Mirantem, flentemque & tangere monſtra paventem
Fugit anum; latebraſque petit, aptumque colori
Nomen habet, variis ſtellatus corpora guttis.

Hebetarat ſidera. Stellarum lumen retuderat, occultaverat.

Colluerant. Rigaverant.

Dulce dedit. Subaudi, poculum: dedit illi dulciculam potionem.

Polenta. Eſt farina hordeacea: huic admiſcebatur mel, interdum caſeus: hinc dulcis potio: Cinnum Tullius vocat: Græci κυκεῶνα. Porro ſyntaxis hæc, & ordo eſt: Dedit dulcem potionem, quam coxerat mixtam, ac temperatam toſta polenta.

Durioris. Impudens.

Avidam. Guloſam.

Cum liquido. Aqua, melle. Puerum perfudit polenta, mixta cum liquore.

Combibit. Contraxit, induit.

Et quæ modo, &c. Pro brachiis, crura geſtat.

Minor. Et minor menſura eſt, ac moles, in lacerta, in quam eſt puer converſus. Vel ejus menſura eſt minor, quam lacerta, quam lacertæ menſura: ſtellio enim eſt genus lacertæ, ſed exiguæ.

Monſtra. Puerum ſic mutatum.

Anum. Forte matrem ſuam.

Nomen. Dicitur ſtellio, quia, ut cœlum ſtellis diſtinguitur, ita ille maculis pingitur micantibus, quas a polenta injecta ſibi duxit. Antea illi nomen fuiſſe Abanti quidam volunt. Sunt qui nomen aniculæ perveſtigent, critici otioſi.

XIII.

Ceres cognoſcit ex Arethuſa filiam ſuam a Plutone raptam eſſe.

Quas Dea per terras, & quas erraverit undas,
Dicere longa mora eſt: quærenti defuit orbis.
Sicaniam repetit: dumque omnia luſtrat eundo
Venit & ad Cyanen; ea, ni mutata fuiſſet,
Omnia narraſſet: ſed & os, & lingua volenti
Dicere, non aderant, nec qua loqueretur, habebat.
Signa tamen manifeſta dedit, notamque parenti,
Illo forte loco delapſam in gurgite ſacro
Perſephones zonam ſummis oſtendit in undis.
Quam ſimul agnovit, tamquam tum denique raptam
Sciſſet, inornatos laniavit Diva capillos,
Et repetita ſuis percuſſit pectora palmis.
Neſcit adhuc ubi ſit; terras tamen increpat omnes
Ingrataſque vocat, nec frugum munere dignas:
Trinacriam ante alias, in qua veſtigia damni
Repperit. Ergo illic ſæva vertentia glebas
Fregit aratra manu, parilique irata colonos,
Ruricolaſque boves, leto dedit; arvaque juſſit
Fallere depoſitum, vitiataque ſemina fecit.
Fertilitas terræ, latum vulgata per orbem,

Longa mora eſt dicere. Opus eſſet longo tempore ad dicendum, &c.

Sicaniam. Siciliam.

Cyanen. Supra num.11.

Qua loqueretur. Qua parte, quo pacto.

Gurgite ſacro. In ſuis undis. Sacros porro fontes fuiſſe jam diximus, iiſque numen aliquod præfuiſſe.

Perſephones. Proſerpine. Sic appellant eam Græci a *πέρθω*, *vaſto*, & *φόνος*, *cædes*.

Frugum munere. Artem arandi, ac ſerendi Ceres docuerat.

Trinacriam. Antea, numero 10.

Veſtigia damni. Zonam filiæ: indicium amiſſæ.

Fallere depoſitum. Semina ſibi credita, & in ſuo depoſita ſinu, non reddere: atque ita ſpem agricolarum fallere.

Vitiata fecit. Corrupit: rubigine, uredine, &c. affecit.

Terræ. Siciliæ. Eſt vulgo feraciſſima. Horreum Italiæ dicebatur.

Spar-

Sparſa jacet, primis ſegetes moriuntur in herbis,
Et modo ſol nimius, nimius modo corripit imber:
Sideraque, ventique nocent, avidæque volucres
Semina jacta legunt: lolium, tribulique fatigant
Triticeas meſſes, & inexpugnabile gramen.
Tum caput Eleis Alphejas extulit undis,
Roranteſque comas a fronte removit ad aures,
Atque ait: O toto quæſitæ virginis orbe,
Et frugum, genitrix, immenſos ſiſte labores;
Neve tibi fidæ violenta iraſcere terræ.
Terra nihil meruit, patuitque invita rapinæ.
Nec ſum pro patria ſupplex, huc hoſpita veni.
Piſa mihi patria eſt, & ab Elide ducimus ortus:
Sicaniam peregrina colo: ſed gratior omni
Hæc mihi terra ſolo eſt, hos nunc Arethuſa penates,

Sparſa. Disjecta, perdita.

Corripit. Corrumpit, vexat; ſegetes.

Legunt. Colligunt, devorant.

Lolium, *tribuli*. Herbæ frumentis innaſcentes, & infeſtæ.

Fatigant. Perdunt, minuunt.

Inexpugnabile gramen. Quædam herbæ, ſegetibus inimicæ, vix penitus exſtirpantur; ſucciſæ, & eradicatæ, renaſcuntur: minime gramen, quod Galli vocant *chiendan*; Itali, *gramigna*.

Alphejas. Arethuſa: cujus aquæ cum Alpheo, Elidis in Græcia fluvio, miſceri creditæ ſunt ſi quid enim projicias in Alpheum, id in Sicilia rejicitur ab Arethuſa, ut narrant, ibique reperitur: unde naturę ſcrutatores arbitrati ſunt fluvium Alpheum per ſubterraneos meatus, in Siciliam e Græcia penetrare. At poetæ, fabularum artifices, commenti ſunt Alpheum, Arethuſæ amore captum, in Siciliam uſque perſecutum illam eſſe.

Eleis undis. E ſuis undis, quæ ab Elide, Græciæ tractu, in Peloponneſo, per occultos ſubter humum calles, proveniunt: & inde originem ducunt.

Violenta. Immitis.

Terræ. Siciliæ. Fidam Cereri vocat, quia commiſſam ſegetem reddit cum fide, imo cum fœnore.

Patuit &c. Sicilia invita ſe aperuit, ut Plutoni raptori daret iter.

Nec ſum, *&c.* Neque hoc idcirco loquor, quod excuſare Siciliam velim, amore patriæ ducta: nam, licet in Sicilia ſim, hæc patria mea non eſt; hoſpes & peregrina ſum.

Piſa. Civitas Græciæ, Olympia quoque dicta, nune *Langaviro*, quam Alpheus alluit, Elis, vicina regio.

Hanc habeo ſedem, quam tu, mitiſſima, ſerva.
Mota loco cur ſim, tantique per æquoris undas
Advehar Ortygiam, veniet narrantibus hora
Tempeſtiva meis, cum tu curaque levata,
Et vultus melioris eris. Mihi pervia tellus
Præbet iter, ſubterque imas ablata cavernas
Hic caput attollo, deſuetaque ſidera cerno.
Ergo, dum Stygio ſub terris gurgite labor,
Viſa tua eſt oculis illic Proſerpina noſtris:
Illa quidem triſtis, neque adhuc interrita vultu,
Sed regina tamen, ſed opaci maxima mundi,
Sed tamen inferni pollens matrona tyranni.

Hic olim celebrabantur ludi Olympici. Lib. I. n. 13.

Hanc ſedem. Siciliam. De Penatibus dictum Lib. I. n. 7.

Mota &c. Alias commodius tibi narrabo, cur e Græcia huc venerim, & ſedem mutaverim; quando tu quærendi ſollicitudine fueris liberata, & lætiorem vultum indueris: nunc id unum tibi, quod pertinet ad rem, dicam, me ſub terras fluere, & cavernas Stygi, atque inferis, vicinas ſubire; a me viſam ibi Proſerpinam, &c.

Ortygiam. Eſt exigua inſula, juxta Syracuſas, in Sicilia. Delos quoque inſula maris Ægæi, nomen idem habuit. Virgil. Lib. III. Æneid.

Hic. In Ortygia: in Sicilia.

Caput attollo. Exorior.

Deſueta. Quibus diu carui, ſubter humum depreſſa, & abdita.

Stygio gurgite. In antris Stygi proximis.

Opaci mundi. Inferorum.

Pollens matrona. Uxor præpotens.

X I V.

Ceres apud Jovem de Plutone queritur: Aſcabaphus in bubonem mutatus.

Mater ad auditas ſtupuit, ceu ſaxea, voces
Attonitæque diu ſimilis fuit; utque dolore
Pulſa gravi gravis eſt amentia, curribus auras
Exit in æthereas. Ibi toto nubila vultu,

Saxea. Inſtar ſaxi, præ dolore, torpens, ac rigens.

Utque &c. Poſtquam dolor perturbationem animi expulit. Ut ceſſit dolori conſternatio.

Nubila. Mœſta, lurida.

Paſ-

Ante Jovem paſſis ſtetit invidioſa capillis:
Proque meo veni ſupplex tibi, Jupiter, inquit,
Sanguine, proque tuo; ſi nulla eſt gratia matris,
Nata patrem moveat: neu ſit tibi cura precamur
Vilior illius, quod noſtro eſt edita partu.
En quæſita diu tandem mihi nata reperta eſt,
Si reperire vocas amittere certius, aut ſi
Scire ubi ſit reperire vocas. Quod rapta, feremus,
Dummodo reddat eam: neque enim prædone marito
Filia digna tua eſt, ſi jam mea filia non eſt.
Jupiter excepit: Commune eſt pignus, onuſque,
Nata mihi tecum: ſed, ſi modo nomina rebus
Addere vera placet, non hoc injuria factum,
Verum amor eſt, neque erit nobis gener ille pudori,
Tu modo, diva, velis. Ut deſint cætera; quantum eſt
Eſſe Jovis fratrem? quid, quod non cætera deſunt,
Nec cedit niſi forte mihi: ſed tanta cupido

Paſſis. Solutis; effuſis.

Invidioſa. Invidiam Jovi factura, pudorem incuſſura, exprobratura iniquitatem.

Sanguine. Prole.

Si nulla, &c. Si matrem deſpicis, at memineris te illius patrem eſſe, eoque nomine charā eſſe tibi debere, quamvis eſſet forta ſſe vilis, quia me matrem habet.

Si reperire, &c. Si dicenda tamen eſt reperta, quam puto amiſſam penitius, & magis irrevocabilem: quippe a Deo, a Plutone, raptam. Reperire non eſt, ſi ſcias dumtaxat ubi ſit, quod amiſeris; ſi præſertim ibi ſit, unde non facile poſſit educi.

Quod rapta &c. Equidem feram æquo animo, quod rapta fuerit.

Si jam, &c. Si mea filia Proſerpina digna non eſt, quæ prædoni marito datur; multo certe minus hanc injuriam eadem pate debet, cum filia quoqui tua ſit.

Pignus. Soboles, filia. Liberi dicuntur pignora, quia ſunt mutui conjugum amoris, ac fidei, monumenta, & vincula.

Onus. Filiorum cura, non leve parentibus onus eſt.

Pudori. Dedecori.

Tu modo, &c. Dummodo non renuas; nempe Plutonem habere generum.

Ut deſint cætera. Ut omittam alia, quæ hanc affinitatem optandam tibi merito faciunt. Quamvis deeſſent Plutoni ſuæ quædam ac propriæ dotes, quanta eſt vel hæc una, quod Jovis frater ſit?

Niſi forte. Mihi non cedit, niſi hoc nomine uno, quod regnum meo deterius ſortitus ſit in Orbis diviſione.

Si tibi diſſidii eſt, repetet Proſerpina cœlum
Lege tamen certa, ſi nullos contigit illic
Ore cibos: nam ſic Parcarum fœdere cautum eſt
Dixerat. At Cereri certum eſt educere natam.
Non ita fata ſinunt: quoniam jejunia virgo
Solverat; & cultis dum ſimplex errat in hortis
Puniceum curva decerpſerat arbòre pomum,
Sumptaque pallenti ſeptem de cortice grana
Preſſerat ore ſuo: ſoluſque ex omnibus illud
Aſcalaphus vidit, quem quondam dicitur Orpheu
Inter Avernales haud ignotiſſima nymphas,
Ex Acheronte ſuo furvis peperiſſe ſub antris.
Vidit, & indicio reditum crudelis ademit.
Ingemuit regina Erebi, teſtemque profanum
Fecit avem, ſparſumque caput Phlegethontide lympha
In roſtrum, & plumas, & grandia lumina, vertit.
Ille ſibi ablatus fulvis amicitur ab alis,
Inque caput creſcit, longoſque reflectitur ungues,
Vixque movet natas per inertia brachia pennas,
Fœdaque fit volucris, venturi nuntia luctus,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Diſſidii. Divortii. Repudii. Si omnino vis illud matrimonium dirimi.

Cœlum. Sumitur hic pro terræ parte quam habitant homines, ſeu potius aeris, quem vivendo ducunt.

Cautum eſt. Sancitum, conſtitutum.

Certum. Deliberatum, fixum.

Educere. Ex inferis.

Jejunia ſolverat. Cibi quidpiam attigerat.

Simplex. Imprudens, ignara fati. Sola.

Puniceum pomum. Malum granatum.

Acheronte. Fluvio inferorum. *Suo*. Conjuge.

Indicio, &c. Indicans hoc Jovi, ſeu Plutoni, fecit ne redire poſſet Proſerpina.

Profanum. Improbum, dirum.

Phlegetontide. Hauſta e fluvio inferorum Phlegethonte.

Sibi ablatus. Priori forma ſpoliatus.

Amicitur. Veſtitur.

Fulvis. Codices aliqui, *furvis*, habent.

Inque caput creſcit. Grande eſt buboni caput, pro reliqui corporis mole; grandes oculi; ungues recurvi, adunci, & introrſum flexi: quos idcirco reflexos vocat Ovidius.

Omen. Sic proprie vocatur augurium, quod ore editur, quaſi oremens.

Sire-

XV.

Sirenes volucrum pennas ſumunt.

Hic tamen indicio pœnam, linguaque videri
Commeruiſſe poteſt; vobis, Acheloides, unde
Pluma, pedeſque avium, cum virginis ora geratis?
An quia, cum legeret vernos Proſerpina flores,
In comitum numero, doctæ Sirenes, eratis?
Quam poſtquam toto fruſtra quæſiſtis in orbe,
Protinus ut veſtram ſentirent æquora curam,
Poſſe ſuper fluctus alarum inſiſtere remis
Optaſtis, facileſque Deos habuiſtis, & artus
Vidiſtis veſtros ſubitis flaveſcere pennis.
Ne tamen ille canor mulcendas natus ad aures,
Tantaque dos oris, linguæ deperderet uſum,
Virginei vultus, & vox humana remanſit.
At medius fratriſque ſui, mœſtæque ſororis,
Jupiter, ex æquo volventem dividit annum.

Hic. Aſcalaphus.

Pœnam. Quod in bubonem ſit mutatus.

Achelo des. Sirenes, Acheloi fluvii, & Calliopes, filiæ: Parthenope, Leucoſia, Ligia.

Unde &c. Cur plumas avium: ora virginum, geritis?

Doctæ. Canendi peritæ.

Ut veſtram &c. Ut eam in ipſo mari quæreretis.

Alarum remis. Dicuntur aves remigare, & viciſſim naves volare.

Faciles. Annuentes veſtris votis.

Canor. Vox canora, & arguta.

Dos oris. Canendi facultas. Ne periret illa, & muta remaneret, amiſſa lingua, vobis relictus fuit vocis humanæ, ac linguæ uſus. Hinç falli eos intelliges, qui Sirenes pingunt partim virgines, partim piſces, quorum errorem ego ſecutus olim ſum, in meis ad Horatium, editione prima, notis.

At medius &c. Jupiter, inter Plutonem ſuum fratrem, & Cererem ſororem, medius, id eſt, utrique ſatisfacere, neutri diſplicere volens; ſequeſter, & arbiter coortæ litis, diviſit annum ex æquo inter ambos, edixitque, ut Proſerpina ſex menſibus apud inferos maneret cum Plutone, ſex aliis, apud Superos, cum matre Ceres, terra eſt. Proſerpina, ſemen, ſeu granum, quod terræ mandatum, ſub illa ſex hibernis menſibus deliteſcit: æſtivis emergit, & proſerpit.

Volventem. Subaudi, ſe, qui

Nunc Dea, regnorum numen commune duorum,
Cum matre eſt totidem, totidem cum conjuge
menſes.
Vertitur extemplo facies & mentis, & oris:
Nam modo quæ poterat Diti quoque mæſta videri,
Læta Deæ frons eſt: ut ſol, qui tectus aquoſis
Nubibus ante fuit, victis e nubibus exit.

qui ſe volvit, qui in ſe convertitur: ſic Virgilius: *Volventibus annis*, dixit.

Regnorum duorum. Superi, & inferi.

Dea. Proſerpina.

Facies. Proſerpinæ.

Facies mentis. Animi ſtatus, affectus. A mœrore traducitur ad lætitiam.

Diti quoque. Apud quem omnia triſtia: qui proinde mœſtos videre ſolet, nec iis valde commovetur.

X V I.

Arethuſa in fontem liqueſcit.

Exigit alma Ceres, nata ſecura recepta,
Quæ tibi cauſa fugæ? cur ſis, Arethuſa, ſacer fons?
Conticuere undæ, quarum Dea ſuſtulit alto
Fonte caput, virideſque manu ſiccata capillos,
Pars ego nympharum, quæ ſunt in Achaide, dixit,
Una fui, nec me ſtudioſius altera ſaltus
Legit, nec poſuit ſtudioſius altera caſſes.
Laſſa revertebar (memini) Stymphalide ſilva;

Exigit, &c. Promiſerat Arethuſa, in ſuperiori fabula, ſe narraturam Cereri, quo mutata pacto fuiſſet in fontem, quando illam cerneret quærendæ filiæ cura ſolutam: id nunc ut narret, rogatur a Cerere.

Cur ſis, &c. Ceres ſecura ob receptam filiam, poſtulat a te, o Arethuſa cur ſis fons, & a te, quod promiſiſti te narraturam, exigit.

Fugæ. Ex Græcia: ex Elide. Vide ſupra, num. 13.

Undæ. Fontis, cujus Arethuſa numen.

In Achaide. In Achaja, parte Græciæ.

Saltus. Nemora.

Legit. Elegit: idoneos ſcilicet venationi. Luſtravit.

Poſuit caſſes. Retia tetendit.

Stymphalide. Stymphalus, oppidum Arcadiæ: vicina ſilva, Stymphalis eſt appellata.

Æſtus erat, magnuſque labor geminaverat æſtum:
Invenio ſine vortice aquas, ſine murmure euntes,
Perſpicuas ad humum, per quas numerabilis alte
Calculus omnis erat, quas tu vix ire putares.
Cana ſalicta dabant, nutritaque populus unda,
Sponte ſua natas ripis declivibus umbras.
Acceſſi, primumque pedis veſtigia tinxi.
Neſcio quod medio ſenſi ſub gurgite murmur:
Territaque inſiſto propioris margine fontis.
Quo properas, Arethuſa? ſuis Alpheus ab undis,
Quo properas? iterum rauco mihi dixerat ore.
Sicut eram fugio: tanto magis ille premebat,
Ut fugere accipitrem penna trepidante columbæ,
Ut ſolet accipiter trepidas urgere columbas.
Uſque ſub Orchomenon, Pſophidaq; Cyllenenque,
Menalioſq; ſinus, gelidumq; Erymanthon, & Elim,
Currere ſuſtinui; nec me velocior ille:
Sed tolerare diu curſus ego viribus impar
Non poteram; longi patiens erat ille laboris.
Per tamen & campos, per opertos arbore montes,
Saxa quoque, & rupes, &, qua via nulla, cucurri.
Sol erat a tergo: vidi præcedere longam
Ante pedes umbram, niſi ſi timor illa videbat.

Labor. Venationis. Æſtum graviorem ſentiebam, quia labore venandi defatigata.

Vortice. Vortex, aquarum eſt vertigo, in gyrum ſe volventium.

Perſpicuas ad humum. Ita claras ac limpidas, ut fundum & arenam cerneres.

Per quas, &c. Adeo, ut trans aquam numerari poſſent lapilli omnes, quibus alveus erat conſtratus: licet altus, ideſt, profundus.

Vix ire . . . Adeo placidas, ut fluere non ſentires; ſtare crederes.

Salicta. Loca ſalicibus conſita.

Inſiſto. Premo gradum, & in margine conſiſto.

Alpheus. Supra, n. 13.

Orchomenon, *Pſophida*, *Elim*. Urbes Arcadiæ Cyllene, Mænalus, & Erimanthus, ejuſdem Arcadiæ montes.

Nec me, &c. Nec Alpheus erat me celerior: ſed labori diutius ferendo par erat: ego debilior, currendi, ac fugiendi defatigationem ulterius nequibam ſuſtinere.

Sol erat &c. Solem habebam a tergo lucentem, cum ante me umbram aſpexi, aut vidiſſe, propter timorem, putavi.

Illa. Res illas; umbram, ſimulacrum.

Sed certe ſonituque pedum terrebat, & ingens
Crinales vittas afflabat anhelitus oris.
Feſſa labore fugæ, Fer opem, deprendimur, inquam
Armigeræ, Diana, tuæ, cui ſæpe dediſti
Ferre tuos arcus, incluſaque tela pharetra.
Mota Dea eſt, ſpiſſiſque ferens e nubibus unam
Me ſuper injecit. Luſtrat caligine tectam
Amnis, & ignarus circum cava nubila quærit.
Biſque locum, quo me Dea texerat, inſciusambit,
Et bis, Io Arethuſa, Io Arethuſa, vocavit.
Quid mihi tunc animi miſeræ fuit? anne quod agnæ,
Si qua lupos audit circum ſtabula alta frementes?
Aut lepori? qui vepre latens hoſtilia cernit
Ora canum, nulloſque audet dare corpore motus.
Non tamen abſcedit: neque enim veſtigia cernit
Longius ulla pedum; ſervat nubemque, locumque.
Occupat obſeſſos ſudor mihi frigidus artus,
Cæruleæque cadunt toto de corpore guttæ,
Quaque pedem movi, manat locus, æque capillis
Ros cadit, & citius, quam nunc tibi facta renarro,
In latices mutor. Sed enim cognoſcit amatas
Amnis aquas, poſitoque viri, quod ſumpſerat, ore,

Deprehendimur. Parum abeſt quin comprehendar ab Alpheo.

Inquam. Inquio, exclamo.

Armigeræ. Sic venatricem ſe vocat, quæ venabula, retia, ſagittas, & alia venationis arma, Dianæ ſubminiſtrabat.

Tuæ. Mihi, quæ tua velut armigera ſum: quæ eadem, ac tu, arma gero.

Mota. Commiſeratione. Tacta precibus.

Ferens, &c. Et adducta nube denſa me involvit: hanc mihi, tamquam velum, injecit.

Quærit. Me, incluſam nube, & tectam.

Anne quod, &c. Annon idem invaſit me pavor, qui agnam, aut leporem, &c.

Abſcedit. Alpheus non abit a nube longius; ab eodem loco non diſcedit.

Neque enim, &c. Non videt veſtigia pedum ultra nubem exſtantia: hinc intelligit in eodem loco me reſtare.

Servat. Quaſi poſitus in excubiis.

Obſeſſos. Ab Alpheo ambiente, & excubante.

Manat. Madet, ſcatet aqua.

De-

Vertitur in proprias, ut ſe mihi miſceat, undas.
Delia rupit humum, cæciſque ego merſa cavernis
Advehor Ortygiam, quæ me, cognomine divæ
Grata meæ, ſuperas eduxit prima ſub auras.

Delia. Diana. Sic appellatur ab inſula natali Delo, *Rupit*. Juſſit in voraginem ſubſidere. *Ortygiam*. Inſulam Siciliæ. Supra, n. 13. *Cognomine Divæ grata*. Ob eam rem mihi grata quia gaudet eodem cognomine, quo Diana. Ortygia vocatur Diana, ob eamdem cauſam, ob quam nuncupatur Delia, nimirum quia nata in Delo inſula, quæ Ortygia quoque eſt appellata. *Eduxit &c.* Qua in inſula primum e terra erupi.

XVII.

Triptolemus docet artem arandi, & ſerendi: Lyncus in lyncem: Pieri filiæ in picas mutantur.

Hac Arethuſa tenus Geminos Dea fertilis angues
Curribus admovit, frænisque coercuit ora,
Et medium cœli terræque per aera vecta eſt,
Atque levem currum Tritonida miſit in urbem
Triptolemo, partimque rudi data ſemina juſſit
Spargere humo, partim poſt tempora longa recultæ.
Jam ſuper Europen ſublimis, & Aſida terram,
Vectus erat juvenis, Scythicas advertitur oras:
Rex ibi Lyncus erat, regis ſubit ille penates.

Hac Arethuſa tenus. Hactenus locuta eſt Arethuſa: finem hic dicendi fecit. *Dea fertilis*. Ceres, frugum inventrix. *Angues*. Currus Cereris ab alatis draconibus trahitur. *Tritonida urbem*. Athenas, Tritoniæ, ideſt, Palladi, ſacras. Lib. II. n. 17. *Triptolemo*. Is primus omnium in Attica ſerendi frumenti rationem monſtravit. Eam ob cauſam fingitur Ceres, ab ejus patre, benigne accepta, cum Proſerpinam quæreret, illi ſuum dediſſe currum, quo vectus, terras obiret, ac mortales ubique artem hanc doceret. *Rudi humo*. Nondum cultæ. *Recultæ*. Quæ olim culta, rurſum aratur & colitur. Renovatæ. *Aſida terram*. Aſiam. *Advertitur*. Appellit: cur-

Qua veniat, cauſamque viæ nomenque rogatus,
Et patriam; Patria eſt claræ mihi, dixit, Athenæ:
Triptolemus nomen; veni, nec puppe per undas,
Nec pede per terras, patuit mihi pervius æther.
Dona fero Cereris, latos quæ ſparſa per agros
Frugiferas meſſes, alimentaque mitia, reddant.
Barbarus invidit, tantique ut muneris auctor
Ipſe ſit, hoſpitio recipit, ſomnoque gravatum
Aggreditur ferro. Conantem figere pectus
Lynca Ceres fecit, rurſuſque per aera juſſit
Mopſopium juvenem ſacros agitare jugales.
Finierat doctos e nobis maxima cantus.
At nymphæ viciſſe Deas Helicona colentes
Concordi dixere ſono. Convicia victæ
Cum facerent: Quoniam, dixi, certamine vobis
Supplicium meruiſſe parum eſt, maledictaque culpæ
Additis, & non eſt patientia libera nobis,
Ibimus in pœnas, &, qua vocat ira, ſequemur.
Rident Pœonides, ſpernuntque minacia verba,
Conatæque loqui, & magno clamore protervas

rum vertit, ad Scythiam: Eſt regio partim in Europa, partim in Aſia, ad Septemtrionem vergens.

Qua veniat. Qua de cauſa: qua de parte.

Dona. . Frumenta.

Pectus. Triptolemi.

Lynca. Lynx, animal cervo non abſimile: oculorum acie perſpicaciſſima, maculoſo tergo.

Mopſopium. Athenienſem. Atticæ pars olim, a Mopſo rege, dicta fuit Mopſopia.

Juvenem. Triptolemum.

Jugales. Dracones jugo junctos, equorum inſtar.

Finierat &c. Hæc omnia, quæ ab numero V. ad hunc uſque, referuntur, canebat Calliope.

Deas. . Muſas.

Nymphæ. Litis inter Muſas & Pieri filias, arbitræ. Supra, num. 9.

Concordi ſono. Una voce: concordi ſententia.

Victæ. Pieri filiæ.

Dixi. . Loquitur Uranie Muſa, quæ hoc certamen Palladi narrare aggreſſa erat.

Certamine. Quia ſuperatæ diſceditis e pugna, merito eſtis plectendæ.

Culpæ. Inſcitiæ.

Non eſt, &c. Non poſſumus æquo animo proterviam veſtram ferre.

Pæonides. Filiæ Pieri. Supra, n. 9. Legitur etiam *Emathides*: hoc eſt, oriundæ ex Emathia, ſeu Macedonia.

In-

Intentare manus, pennas exire per ungues
Aſpexere ſuos, operiri brachia plumis,
Alteraque alterius rigido concreſcere roſtro
Ora videt, volucreſque novas accedere ſilvis.
Plangere dumque volunt, per brachia mota levatæ
Aere pendebant, nemorum convicia, picæ.
Nunc quoque in alitibus facundia priſca remanſit,
Raucaque garrulitas, ſtudiumque immane loquendi.

Intentare. Intendere, jactare.

Concreſcere. Dureſcere, denſari.

Plangere. Pectus percutere, ſuam calamitatem deplorando.

Nemorum convicia. Quæ picæ in nemoribus priſtina convicia jactare pergunt. Convicium proprie eſt murmur e confuſis multorum vocibus coortum: quaſi convocium.

Immane. Ingens. Ab illa de Pieri filiabus victoria, Muſæ Pieridum nomen adeptæ ſunt: Alii malunt a Piero, fonte quodam, illis ſacro, ſic dictas.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER SEXTUS.

SYNOPSIS.

Arachne mutata in araneam : Hæmus & Rhodope in montes : Pygmæa in gruem : Antigone in ciconiam : Cynaræ filiæ in ſaxa : Dii varias in formas : Niobe in ſcopulum : Ruſtici in ranas : Tereus in upupam : Procne in hirundinem : Philomela in luſciniam : Marſyas in flumen : Humerus Pelopis eburneus . Orithyia raptus : Zetes & Calais , alati.

I.

Arachne , lanificii peritiſſima , Minervam provocat ad certamen.

PRæbuerat dictis Tritonia talibus aures ,
Carminaque Aonidum , juſtamque probaverat iram.
Tum ſecum : Laudare parum eſt, laudemur & ipſæ ,
Numina nec ſperni ſine pœna noſtra ſinamus:
Mæoniæque animum fatis intendit Arachnes ,
Quaſi ſibi lanificæ non cedere laudibus artis
Audierat. Non illa loco , nec origine gentis

Dictis talibus. Narrationi dimicationis , contra Pieri filias, a Muſis ſuſceptæ.

Tum ſecum. Subaudi , ait.

Laudare . Alios . Muſas laudare mihi non ſufficit : ipſa quoque laudari volo , ac Muſas imitari , expetendo pœnas a Numinis mei contemptoribus.

Mæoniæ. Oriundæ ex Lydia , cui Mæon , rex , aut fluvius , id nominis dedit.

Fatis animum intendit . Serio cogitare cœpit , de Arachne puella , morte mulctanda.

Non cedere. Nolle cedere.

Loco . Patria, genere, ſtirpe.

Gentis. Familiæ.

Arte.

Clara, ſed arte fuit: pater huic Colophonius Idmon
Phocaico bibulas tingebat murice lanas:
Occiderat mater: ſed & hæc de plebe, ſuoque
Æqua viro fuerat. Lydas tamen illa per urbes
Quæſierat ſtudio nomen memorabile, quamvis
Orta domo parva, parvis habitabat Hypæpis,
Hujus ut aſpicerent opus admirabile, ſæpe
Deſeruere ſui nymphæ vineta Timoli,
Deſuere ſuas nymphæ Pactolides undas.
Nec factas ſolum veſtes ſpectare juvabat:
Tum quoque cum fierent; tantus decor adſuit arti.
Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes,
Seu digitis ſubigebat opus, repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas æquantia tractu:
Sive levi teretem verſabat pollice fuſum,
Seu pingebat acu; ſcires a Pallade doctam.

Arte. Lanificio.

Colophonius. Colophon, urbs minoris Aſiæ, Apollinis oraculo clara, nunc tenuc caſtrum, *Altoboſco* dictum.

Phocaico. Phocæa, urbs Cariæ, in Aſia minori. Eſt ejuſdem nominis altera in Æolide.

Murice. Purpura. Murex, piſciculus, e cujus cruore, aut ſanie, fit color purpureus.

Æqua. Ejuſdem conditionis; æque obſcura.

Illa. Arachne.

Studio ... Comparaverat ſibi plurimum gloriæ, lanificio ſtudioſe tractando.

Hypæpis. Hypæpæ, Hypæſarum, (*Ipopa*) civitas Lydiæ, prope Tmolum montem.

Timoli. Timolus, ſive Tmolus, mons Lydiæ, nunc *Tomalitze*. Pactolus ejuſdem fluvius, hodie *Sarabat*, arenas, ut ajunt, aureas volvens.

Pactolides. Pactoli incolæ.

Nec tantum, &c. Nec tantum capiebatur voluptas magna e veſtibus jam ab illa contextis; ſed etiam cum texebantur: adeo eleganter, decenterque texebat.

Rudem. Recens ab ovibus dereptam.

In orbes. In glomos.

Subigebat opus. Præparabat lanam, trahendo, comminuendo, &c.

Repetita longo tractu. Sæpe illa deducendo, & tractando. Sequaces ſunt lanæ, ac proprie trahi dicuntur, cum in fila ducuntur, ac torquentur.

Nebulas æquantia. Lanas nebulis ſimiles levitate, ſubtilitate, candore.

Pingebat acu. Varias figuras telæ intexebat. *Ricamare* vocant Itali: Galli, *broder*.

Scires, &c. Hæc omnia tam

ſcite

Quod tamen ipſa negat, tantaque offenſa magiſtra
Certet, ait, mecum, nihil eſt quod victa recuſem.
Pallas anum ſimulat, falſoſque in tempora canos
Addit, & infirmos baculo quoque ſuſtinet artus.
Tum ſic orſa loqui: Non omnia grandior ætas,
Quæ fugiamus, habet; ſeris venit uſus ab annis:
Conſilium ne ſperne meum: tibi fama petatur
Inter mortales faciendæ maxima lanæ,
Cede Deæ, veniamque tuis temeraria dictis
Supplice voce roga, veniam dabit illa roganti.

ſcite præſtabat, ut facile appareret illam Pallade magiſtra uſam eſſe.

Quod tamen negat. Nempe, ſe doctam a Pallade, & inſtitutam fuiſſe.

Offenſa. Quaſi probro ſibi, & contumeliæ duceret, Palladem magiſtram habuiſſe: illi cedere.

Nihil eſt, &c. Quaſcumque pœnas parata ſum dependere, ſi ab ea vincor. Quidvis patiar, ſi victa diſceſſero.

In tempora. In caput.

Non omnia, &c. Senectus non uſquequaque eſt aſpernanda: ſi cæteris dotibus caret, experientia certe abundat. Itaque morem conſulenti mihi gere: contenta eſto vincere hominis; at inferiorem te, ac minorem Pallade, confitere.

I I.

Pallas provocationem accipit: amba ad opus ſe accingunt.

Aſpicit hanc torvis, incœptaque fila relinquit,
Vixque manus retinens, confeſſaque vultibus iram,
Talibus obſcuram reſecuta eſt Pallada dictis:
Mentis inops, longaque venis confecta ſenecta
Et nimium, vixiſſe diu, nocet; audiat iſtas,
Si qua tibi nurus eſt, ſi qua eſt tibi filia, voces.

Torvis. Subaudi, oculis.

Vix manus retinens. Vix temperans ſibi, quin eam verberibus male acciperet.

Obſcuram. Incognitam, latentem ſub vetulæ vultu.

Reſecuta. Viciſſim ſecuta: allocuta.

Et nimium, &c. Nocet ſenibus vita nimis longa: delirant. Sententiam ſimilem vide in Virgil. Lib. VII. Æneid. verſu 440.

Si qua tibi nurus. Audiat hæc

Conſilii ſatis eſt in me mihi; neve monendo
Profeciſſe putes, eadem eſt ſententia nobis.
Cur non ipſa venit? cur hæc certamina vitat?
Tum Dea, Venit, ait, formamque removit anilem,
Palladaque exhibuit. Venerantur numina nymphæ,
Mygdoniſque nurus: ſola eſt interrita virgo,
Sed tamen erubuit, ſubituſque invita notavit
Ora rubor, rurſuſque evanuit; ut ſolet aer
Purpureus fieri, cum primum aurora movetur,
Et breve poſt tempus candeſcere ſolis ab ortu.
Perſtat in incœpto, ſtolidæque cupidine palmæ
In ſua fata ruit, neque enim Jove nata recuſat,
Nec monet ulterius, nec jam certamina differt.
Haud mora, conſiſtunt diverſis partibus ambæ,
Et gracili geminas intendunt ſtamine telas.
Tela jugo juncta eſt, ſtamen ſecernit arundo,
Inſeritur medium radiis ſub tegmen acutis,

hæc tua præclara monita, filia tua, ſi quam habes: aut filii tui uxor, cui poſſis imperitare, quæ tibi morem gerat. Ego conſulere mihi per me poſſum, nec ſententiam muto, nec Palladi concedo; veniat, mecum certet: huc adſit. Adeſt illa vero, inquit Dea, & figuram anilem depoſuit.

Exhibuit. Oſtendit: ſe Palladem eſſe confeſſa eſt.

Numina. Palladem.

Mygdonides nurus. Matronæ Phrygiæ. Non longe abeſt Phrygia (olim Mygdonia nuncupata) a Lydia. Convenerant iſtæ matronæ, ut Arachnes opera ſpectarent. Horat. *Pinguis Phrygia Mygdonias opes*. Lib. II.

Interrita. Nullo numinis timore, ac veneratione, movetur.

Erubuit. Præ pudore audaciæ; brevi tamen pudor ille evanuit.

Movetur. Oritur.

Candeſcere. Candidus evadere, ſole orto.

Stolidæque.. Et inani ſpe victoriæ decepta, in ſuum exitium ipſa præceps ruit.

Recuſat. Certamen.

Monet. Conſiliis, & cohortatione, deterret æmulam.

Et gracili, &c. Et longiora fila, quæ prima telæ quaſi fundamenta ſunt, utrimque explicant, ac diducunt: ea duplici tigillo alligata, ſeparantur ac digeruntur ope arundinis: illis deinde implicantur fila breviora, radio, & pectine comprimuntur.

Stamine. Stamen vocantur longiora fila telæ: jugum eſt tignum duplex, alterum alteri oppoſitum, cui fila hæc religantur; arundo,

bacil-

Quod digiti expediunt, atque inter ſtamina ductum
Percuſſo feriunt inſerti pectine dentes.
Utraque feſtinat, cinctæque ad pectora veſtes,
Brachia docta movent, ſtudio fallente laborem.
Illic & Tyrium quæ purpura ſenſit ahenum
Texitur, & tenues parvi diſcriminis umbræ.
Qualis ab imbre ſolet percuſſus ſolibus arcus

Bacillum eſt, quo fila alia ab aliis divelluntur, ſeparantur, ordinantur. Subtemen (quam vocant etiam tramam) ſunt fila breviora, quæ longioribus inſeruntur ex tranſverſo: pars enim longiorum filorum deprimitur, pars attollitur, hoc ordine, ut primum, tertium, quintum, exempli cauſa, filum erigatur; ſecundum vero, quartum, ſextum &c. demittatur. Inter utramque filorum partem, alteram depreſſam, alteram arctam, ſubtemen inſeritur quodam inſtrumento, quem radium vocant. Mox pars illa filorum quæ erat depreſſa attollitur, pars viciſſim ſublata deprimitur Sic fila breviora longioribus implicantur, cancellorum ritu; & ut arctius inter ſe ſtringantur, & cohæreant, comprimuntur identidem urgenturque inſtrumento textorio dentato, quem idcirco pectinem appellant.

Expediunt. Aptant, inferunt, accomodant.

Percuſſo, *&c.* Subtemen, ope radii, implicatum ſtaminibus, percutitur pectine dentato.

Cinctæ. . . Succinctæ.

Studio. Cupiditate vincendi; texendi diligentia.

Fallente laborem. Laboris contentionem & modeſtiam levante, ita ut non ſentiretur, non animadverteretur.

Illic &c. In tela intexuntur fila purpurea varii coloris; ac fila obſcura, & fuſca, miſcentur clarioribus, & micantibus, adeo ſubtiliter, ut diſcrimen inter utraque vix appareat, colorumque limites ægre diſcernantur.

Tyrium. Tyrii fuerunt egregii purpuræ tingendæ artifices. Tyrus, hodie *Sur*, Phænices caput erat.

Ahenum. Cortinam, vas æreum, igni ſubjecto impoſitum, in quo panni inficiuntur.

Qualis &c. Quemadmodum in iridem colores varii ſic temperati ſunt, ut tranſitus ab uno colore ad alium, oculos decipiat, quia color, alteri junctus, qua parte illum tangit, idem cum vicino iſto colore videtur eſſe, licet pars ejus ultima diverſa penitus ſit. Hoc autem ſit umbræ beneficio: nam, v. gr. color viridis, ſi minimum habeat umbræ, proxime ad colorem album accedit; ſi pluſculum umbræ, magis ab albo diſtat: ſi valde ſit fuſcus, & ſatur, non multum a nigro differt. Artis autem ſpecimen eſt, illam umbræ luciſque varie-

Inficere ingenti longum curvamine cœlum;
In quo diverſi niteant cum mille colores,
Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit.
Uſque adeo quod tangit idem eſt; tamen ultima
diſtant
Illic & lentum filis immittitur aurum,
Et vetus in tela deducitur argumentum.

rietatem probe ſcienterque t mperare. Mirus eſt Ovidius in iſtis deſcribendis, luce tamen eget.

Ab imbre. Ob imbrem roſcidum: tunc enim fit iris: ut philoſophi docent.

Inficere. Pingere.

Tranſitus. Unius coloris ab alio diſcrimine; intervallum inter utrumque; nexus.

Lentum aurum. Aurum ductile fila aurea.

Vetus argumentum. Veteres hiſtoriæ effinguntur.

III.

Arachne & Pallas tela ſua metamorphoſes varias intexunt.

Cecropia Pallas ſcopulum Mavortis in arce
Pingit, & antiquam de terræ nomine litem;

Cecropia in arte. Athenienſi. Lib. II. n. 17. 18.

Scopulum Mavortis. Areopagum. Sic vocabatur Athenienſium curia, Marti ſacra, & in ſcopulo, ſeu colle, ſita, quod Græca vox Ἄρειος πάγος, ſignificat. Tradunt Martem olim in eo loco accuſatum de cœde, quod Halirothium, Neptuni filium, peremiſſet, cauſam dixiſſe coram Diis duodecim: & ſententiis ſex abſolutum, loco nomen feciſſe. Ibi ab Athenienſibus exercebantur judicia rerum capitalium, aut ad religionem ſpectantium; judices Areopagitæ vocabantur: quibus ne fucum facerent oratores jubebantur omnia eloquentiæ pigmenta, & lenocinia, omittere: ac ne reorum aſpectus miſerabilis oculos judicum perſtringeret, aureſve gemitus permoveret, cauſæ in tenebris, ac ſummo ſilentio, agebantur. Hoc in loco diſceptata inter Neptunum & Minervam lis eſt quam narrat hic Ovidius.

Antiquam. Exortam olim altercationem inter Palladem & Neptunum, uter civitati Athenienſi nomen imponeret. Conſedere in Areopago Dii, controverſiæ judices: ſancitum, ut is viciſſe cenſeretur, qui rem umano generi utiliorem produxiſſet. Neptunus e percuſſa tridente terra equum eduxit; Pallas vero, haſtæ cuſpide humum feriens, protulit olivam, & lis ſe-

Bis ſex cœleſtes, medio Jove, ſedibus altis
Auguſta gravitate ſedent, ſua quemque Deorum
Inſcribit facies. Jovis eſt regalis imago:
Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente
Aſpera ſaxa facit, medioque e vulnere ſaxi
Exſiluiſſe ferum, quo pignore vindicet urbem.
At ſibi dat clypeum, dat acutæ cuſpidis haſtam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus:
Percuſſamque ſua ſimulat de cuſpide terram
Edere cum baccis fetum canentis olivæ,
Mirarique Deos, operis victoria finis.
Ut tamen exemplis intelligat æmula laudis,
Quod pretium ſperet pro tam furialibus auſis:
Quattuor in partes certamina quattuor addit,
Clara colore ſuo, brevibus diſtincta ſigillis.
Threjciam Rhodopen habet angulus unus, & Hæmum,
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,

ſecundum illam data.

Terræ. Athenarum.

Cœleſtes. Dii.

Sua &c. Non eſt opus titulo & inſcriptione, ut unuſquiſque Superum agnoſcatur: illum facies ſua, habitus, cultus, ſatis indicat.

Facit ſtare. Pallas in tela depingit ſtantem Neptunum.

Ferum. Poetæ vulgo iſta voce notant equum. Hunc a Neptuno fuiſſe productum diſerte aſſerit Virg. I. Georg. Alii volunt ſtagnum, ſeu fontem procreatum, leguntque hoc in verſu, *fretum*.

Vindicet. Hoc opere edito victoriam ſibi vindicans, & urbem ſuam eſſe, a ſe nominandam, contendens.

Sibi dat. Pallas, telam deſcribens, pingit ſeipſam armatam clypeo.

Ægide. Lib. V. n. 2.

Simulat. Pingit. Sic Horat. in arte: *Cupreſſum ſcis ſimulare*.

Baccis. Arborum minores fructus vocantur baccæ.

Fetum. Arborem.

Canentis. Albicantis.

Operis. Telæ abſolutæ. Victoria Palladis de Neptuno, in ultima parte operis, ſeu telæ, depicta cernitur.

Æmula laudis. Arachne.

Quod pretium. Quam expectare pœnam, ac mercedem, ſuæ furioſæ temeritatis debeat.

Quattuor... Deſcribit in quatuor telæ angulis, infauſta quatuor certamina mortalium cum Diis.

Clara, &c. Filis lucentibus expreſſa, & conſtantia e figuris brevioribus, ob angulorum breve ſpatium.

Threjciam, &c. Hæmus Thraciæ rex, elatus ſuperbia, Jovem ſe dicebat eſſe;

Rho-

Nomina ſummorum ſibi qui tribuere Deorum.
Altera Pygmææ fatum miſerabile matris
Pars habet: hanc Juno victam certamine juſſit
Eſſe gruem, populiſque ſuis indicere bellum.
Pinxit & Antigonen auſam contendere quondam
Cum magni conſorte Jovis, quam regia Juno
In volucrem vertit, nec profuit Ilion illi,
Laomedonve pater, ſumptis quin candida pennis,
Ipſa ſibi plaudat crepitante ciconia roſtro.
Qui ſupereſt ſolus Cinyram habet angulus orbum:
Iſque gradus templi, natarum membra ſuarum,
Amplectens, ſaxoque jacens, lacrymare videtur.
Circuit extremas oleis pacalibus oras.
Is modus eſt, operique ſua facit arbore finem:

Rhodope, ejus uxor, Junonem. Irati Superi utrumque in montes mutaverunt.

Altera &c. In altero telæ angulo pingitur ſors matronæ Pygmææ (Geranam vocant) quæ cum Junone de forma contendens, in gruem eſt converſa.

Pygmææ matris. Matronæ cujuſdam, ſeu reginæ, Pygmæorum. Pygmæi, populi Indiæ, vel Thraciæ, fuiſſe narrantur: nomen habuere a voce Græca πῆχυς, *ulna*, *cubitus*, quaſi πηχυαῖοι, eo quod eorum ſtatura major cubitali non videretur.

Victam. A Diis judicibus condemnatam.

Suis. Grues vexant Pygmæos, cumque illis bella gerere dicuntur. Juvenal. Sat. 13. Plin. Lib. VII. c. 2. IV. c. 11. Gell. Lib. IX. c. 4.

Antigonen. Laomedontis Trojæ regis, filiam.

Contendere. De pulchritudine.

Conſorte. Uxore.

Volucrem. Ciconiam.

Ilion. Troja. Non illi profuit, quod eſſet a regibus Trojanis orionda.

Sibi plaudat. Quaſi Junone pulchrior.

Cinyran. Cinyras, Cypri rex fuit. Ejus filiæ cum Junoni ſe præferrent, ab ea ſunt in gradus templi ſui mutatæ.

Orbum. Liberis orbatum.

Membra. Corpora. Templi gradus, qui modo erant ſuarum filiarum membra.

Jacens. Inhærens.

Circuit, &c. Pallas limbum telæ ambit oleæ ramis. Olea pacis pignus, & ſymbolum.

Modus. Finis telæ.

Sua arbore. Oliva, a ſe inventa. Ejus ramis intextis opus totum ambit, finitque.

I V.

Deſcribitur Arachnes tela. Pallas victam ſe dolens, eam ferit, & convertit in araneam.

Mæonis eluſam deſignat imagine tauri
Europam; verum taurum, freta vera, putares:
Ipſa videbatur terras ſpectare relictas,
Et comites clamare ſuas, tactumque vereri
Aſſilientis aquæ, timidaſque recondere plantas
Fecit & Aſterien aquila luctante teneri;
Addidit, ut Satyri celatus imagine, pulchram
Jupiter implerit gemino Nycteida fetu:
Amphytryon fuerit, cum te, Tirinthia, cepit.
Aureus ut Danaen, Aſopida luſerit ignis,
Mnemoſynen paſtor, varius Deoida ſerpens.
Te quoque mutatum torvo, Neptune, juvenco
Virgine in Æolia poſuit; tu viſus Enipeus

Mæonis. Arachne, ſupra num. 1.

Europam. Lib. II. nu. 19.

Aſterien. Latonæ ſororem. Eam dicitur Jupiter, converſus in aquilam, rapuiſſe.

Satyri. Lib. 1. num. 8.

Celatus. Tectus, latens.

Implerit. Duos ſuſceperit e Nycteide liberos. Quænam illa fuerit, nec tanti eſt ſcire, nec inveſtigare ſomnia poetarum vacat.

Amphitryon fuerit. Quo pacto faciem Amphitryonis idem Jupiter acceperit, cum te decepit, o Alchmena. Amphitryon, Thebanus, Alcæi filius, & Alcmenæ maritus fuit, quæ Tirynthia vocatur a Tirynthe, Peloponneſi oppido. Ex ea Jupiter Herculem genuit. Amphitryonis vultum aſſimulans.

Aureus, &c. Ut Danaen deluſerit, in aurum mutatus; Lib. IV. num. 9. Aſopidem, in flammam converſus: Mnemoſynen, ſub figura paſtoris latens: Deo idem, ideſt, Proſerpinam, Cereris quæ Δηὼ Græcis dicitur filiam, ſub anguis forma.

Aſopida. Æginam, Aſopi, Bœotiæ regis, filiam, Æaci matrem.

Mnemoſynem. Muſarum matrem.

Varius. Pictam, maculoſam, pellem habens.

Virgine in Æolia. Ut Æoli filiam deciperes.

Viſus Enipeus. Transformatus in Enipeum: fluvius eſt Theſſaliæ, in quem mutatus Neptunus genuit ex Aloi conjuge, Aloidas, Orhum & Ephialten: Virg. VI.

Gignis Aloidas; aries Biſaltida fallis.
Et te, flava comas frugum mitiſſima mater,
Senſit equum; te ſenſit equum crinita colubris
Mater equi volucris, ſenſit delphina Melantho.
Omnibus his faciemque ſuam, faciemque locorum
Reddidit. Eſt illic agreſtis imagine Phœbus:
Utque modo accipitris pennas, modo terga leonis,
Geſſerit, ut paſtor Macareida luſerit Iſſen.
Liber ut Erigonen falſa deceperit uva:
Ut Saturnus equo geminum Chirona crearit.
Ultima pars telæ, tenui circumdata limbo,
Nexilibus flores hederis habet intertextos.
Non illud Pallas, non illud carpere livor
Poſſit opus. Doluit ſucceſſu flava virago,
Et rupit pictas, cœleſtia crimina, veſtes:
Utque Cytoriaco radium de monte tenebat;
Ter, quater, Idmoniæ frontem percuſſit Arachnes.
Non tulit infęlix, laqueoque animoſa ligavit

VI. Æneid. verſu 582.

Aries. Species arictis.

Frugum mater. Ceres.

Senſit equum. Mutatum vidit in equum.

Mater equi. Meduſa, c cujus capitis reſecti ſanguine natus Pegaſus. Lib. IV. num.12.

Omnibus his &c. Has omnes metamorphoſes Arachne, perſonis, lociſque, aptiſſime diſtinxit.

Eſt illic. Videre erat Phębum paſtoris cultu, nempe armenta regis Admeti paſcentem. Lib.II. n.15. Virg. III. Georg. verſu 2. Conſule appendicem, de Diis poeticis, num.5.

Macareida. Macarei filiam.

Liber. Bacchus.

Falſa uva. Uvæ ſpeciæ tectus.

Equo. Equum aſſimulans.

Geminum. Semiferum: partim hominem, partim equum.

Chirona. Lib. II. num.2. 13. & 14.

Tenui: Subtili: delicato.

Limbo. Ora: extrema parte.

Nexilibus. Inter ſe nexis.

Doluit &c. Ægre tulit Pallas opus ab Arachne tam fæliciter abſolutum eſſe.

Et rupit veſtes pictas. Et Arachnes telam, ſeu pannum, in quo cœlitum tot flagitia picta, & texta erant, fregit, diſcidit; quaſi argumento ipſi, rebuſque in tela pictis, ſuccenſeret.

Cytoriaco de monte. Buxeum. Cytorus mons Aſiæ minoris, buxo abundans.

Radium. Inſtrumentum textorum. Supra 2.

Idmoniæ. Idmonis filiæ.

Pen-

Sed certe ſonituque pedum terrebat, & ingens
Crinales vittas afflabat anhelitus oris.
Feſſa labore fugæ, Fer opem, deprendimur, inquam
Armigeræ, Diana, tuæ, cui ſæpe dediſti
Ferre tuos arcus, incluſaque tela pharetra.
Mota Dea eſt, ſpiſſiſque ferens e nubibus unam
Me ſuper injecit. Luſtrat caligine tectam
Amnis, & ignarus circum cava nubila quærit.
Biſque locum, quo me Dea texerat, inſciusambit,
Et bis, Io Arethuſa, Io Arethuſa, vocavit.
Quid mihi tunc animi miſeræ fuit? anne quod agnæ,
Si qua lupos audit circum ſtabula alta frementes?
Aut lepori? qui vepre latens hoſtilía cernit
Ora canum, nulloſque audet dare corpore motus.
Non tamen abſcedit: neque enim veſtigia cernit
Longius ulla pedum; ſervat nubemque, locumque.
Occupat obſeſſos ſudor mihi frigidus artus,
Cæruleæque cadunt toto de corpore guttæ,
Quaque pedem movi, manat locus, æque capillis
Ros cadit, & citius, quam nunc tibi facta renarro,
In latices mutor. Sed enim cognoſcit amatas
Amnis aquas, poſitoque viri, quod ſumpſerat, ore,

Deprehendimur. Parum abeſt quin comprehendar ab Alpheo.

Inquam. Inquio, exclamo.

Armigeræ. Sic venatricem ſe vocat, quæ venabula, retia, ſagittas, & alia venationis arma, Dianæ ſubminiſtrabat.

Tuæ. Mihi, quæ tua velut armigera ſum: quæ eadem, ac tu, arma gero.

Mota. Commiſeratione. Tacta precibus.

Ferens, &c. Et adducta nube denſa me involvit: hanc mihi, tamquam velum, injecit.

Quærit. Me, incluſam nube, & tectam.

Anne quod, &c. Annon idem invaſit me pavor, qui agnam, aut leporem, &c.

Abſcedit. Alpheus non abit a nube longius; ab eodem loco non diſcedit.

Neque enim, &c. Non videt veſtigia pedum ultra nubem exſtantia: hinc intelligit in eodem loco me reſtare.

Servat. Quaſi poſitus in excubiis.

Obſeſſos. Ab Alpheo ambiente, & excubante.

Manat. Madet, ſcatet aqua.

De-

Vertitur in proprias, ut ſe mihi miſceat, undas.
Delia rupit humum, cæciſque ego merſa cavernis
Advehor Ortygiam, quæ me, cognomine divæ
Grata meæ, ſuperas eduxit prima ſub auras.

Delia. Diana. Sic appellatur ab inſula natali Delo,

Rupit. Juſſit in voraginem ſubſidere.

Ortygiam. Inſulam Siciliæ. Supra, n. 13.

Cognomine Divæ grata. Ob eam rem mihi grata quia gaudet eodem cognomine, quo Diana. Ortygia vocatur Diana, ob eamdem cauſam, ob quam nuncupatur Delia, nimirum quia nata in Delo inſula, quæ Ortygia quoque eſt appellata.

Eduxit &c. Qua in inſula primum e terra erupi.

X V I I.

Triptolemus docet artem arandi, & ſerendi: Lyncus in lyncem: Pieri filiæ in picas mutantur.

Hac Arethuſa tenus Geminos Dea fertilis angues
Curribus admovit, frænisque coercuit ora,
Et medium cœli terræque per aera vecta eſt,
Atque levem currum Tritonida miſit in urbem
Triptolemo, partimque rudi data ſemina juſſit
Spargere humo, partim poſt tempora longa recultæ.
Jam ſuper Europen ſublimis, & Aſida terram,
Vectus erat juvenis, Scythicas advertitur oras:
Rex ibi Lyncus erat, regis ſubit ille penates.

Hac Arethuſa tenus. Hactenus locuta eſt Arethuſa: finem hic dicendi fecit.

Dea fertilis. Ceres, frugum inventrix.

Angues. Currus Cereris ab alatis draconibus trahitur.

Tritonida urbem. Athenas, Tritoniæ, ideſt, Palladi, ſacras. Lib. II. n. 17.

Triptolemo. Is primus omnium in Attica ſerendi frumenti rationem monſtravit. Eam ob cauſam fingitur Ceres, ab ejus patre benigne accepta, cum Proſerpinam quæreret, illi ſuum dediſſe currum, quo vectus, terras obiret, ac mortales ubique artem hanc doceret.

Rudi humo. Nondum cultæ.

Recultæ. Quæ olim culta, rurſum aratur & colitur. Renovatæ.

Aſida terram. Aſiam.

Advertitur. Appellit currum

Qua veniat, cauſamque viæ nomenque rogatus,
Et patriam; Patria eſt claræ mihi, dixit, Athenæ:
Triptolemus nomen; veni, nec puppe per undas,
Nec pede per terras, patuit mihi pervius æther.
Dona fero Cereris, latos quæ ſparſa per agros
Frugiferas meſſes, alimentaque mitia, reddant.
Barbarus invidit, tantique ut muneris auctor
Ipſe ſit, hoſpitio recipit, ſomnoque gravatum
Aggreditur ferro. Conantem figere pectus
Lynca Ceres fecit, rurſuſque per aera juſſit
Mopſopium juvenem ſacros agitare jugales.
Finierat doctos e nobis maxima cantus.
At nymphæ viciſſe Deas Helicona colentes
Concordi dixere ſono. Convicia victæ
Cum facerent: Quoniam, dixi, certamine vobis
Supplicium meruiſſe parum eſt, maledictaque culpæ
Additis, & non eſt patientia libera nobis,
Ibimus in pœnas, &, qua vocat ira, ſequemur.
Rident Pœonides, ſpernuntque minacia verba,
Conatæque loqui, & magno clamore protervas

rum vertit, ad Scythiam: Eſt regio partim in Europa, partim in Aſia, ad Septemtrionem vergens.

Qua veniat. Qua de cauſa: qua de parte.

Dona . . Frumenta.

Pectus. Triptolemi.

Lynca. Lynx, animal cervo non abſimile: oculorum acie perſpicaciſſima, maculoſo tergo.

Mopſopium . Athenienſem. Atticæ pars olim, a Mopſo rege, dicta fuit Mopſopia.

Juvenem. Triptolemum.

Jugales. Dracones jugo junctos, equorum inſtar.

Finierat &c. Hæc omnia, quæ ab numero V. ad hunc uſque, referuntur, canebat Calliope.

Deas . . Muſas.

Nymphæ. Litis inter Muſas & Pieri filias, arbitræ. Supra, num. 9.

Concordi ſono. Una voce: concordi ſententia.

Victæ. Pieri filiæ.

Dixi . . Loquitur Uranie Muſa, quæ hoc certamen Palladi narrare aggreſſa erat.

Certamine. Quia ſuperatæ diſceditis e pugna, merito eſtis plectendæ.

Culpæ. Inſcitiæ.

Non eſt, &c. Non poſſumus æquo animo proterviam veſtram ferre.

Pæonides. Filiæ Pieri. Supra, n. 9. Legitur etiam *Emathides*: hoc eſt, oriundæ ex Emathia, ſeu Macedonia.

Intentare manus, pennas exire per ungues
Aſpexere ſuos, operiri brachia plumis,
Alteraque alterius rigido concreſcere roſtro
Ora videt, volucreſque novas accedere ſilvis.
Plangere dumque volunt, per brachia mota levatæ
Aere pendebant, nemorum convicia, picæ.
Nunc quoque in alitibus facundia priſca remanſit,
Raucaque garrulitas, ſtudiumque immane loquendi.

Intentare. Intendere, jactare.

Concreſcere. Dureſcere, denſari.

Plangere. Pectus percutere, ſuam calamitatem deplorando.

Nemorum convicia. Quæ picæ in nemoribus priſtina convicia jactare pergunt. Convicium proprie eſt murmur e confuſis multorum vocibus coortum: quaſi convocium.

Immane. Ingens. Ab illa de Pieri filiabus victoria, Muſæ Pieridum nomen adeptæ ſunt: Alii malunt a Piero, fonte quodam, illis ſacro, ſic dictas.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER SEXTUS.

SYNOPSIS.

Arachne mutata in araneam : Hæmus & Rhodope in montes : Pygmæa in gruem : Antigone in ciconiam : Cynaræ filiæ in ſaxa : Dii varias in formas : Niobe in ſcopulum : Ruſtici in ranas : Tereus in upupam : Procne in hirundinem : Philomela in luſciniam : Marſyas in flumen : Humerus Pelopis eburneus . Orithyia raptus : Zetes & Calais , alati.

I.

Arachne , lanificii periti ſſima , Minervam provocat ad certamen.

PRæbuerat dictis Tritonia talibus aures ,
Carminaque Aonidum , juſtamque probaverat iram.
Tum ſecum : Laudare parum eſt, laudemur & ipſæ ,
Numina nec ſperni ſine pœna noſtra ſinamus:
Mæoniæque animum fatis intendit Arachnes ,
Quaſi ſibi lanificæ non cedere laudibus artis
Audierat. Non illa loco, nec origine gentis

Dictis talibus. Narrationi dimicationis , contra Pieri filias, a Muſis ſuſceptæ.

Tum ſecum. Subaudi , ait.

Laudare . Alios . Muſas laudare mihi non ſufficit : ipſa quoque laudari volo , ac Muſas imitari , expetendo pœnas a Numinis mei contemptoribus.

Mæoniæ. Oriundæ ex Lydia , cui Mæon , rex , aut fluvius, id nominis dedit.

Fatis animum intendit . Serio cogitare cœpit , de Arachne puella, morte mulctanda.

Non cedere. Nolle cedere.

Loco. Patria,genere,ſtirpe.

Gentis. Familiæ.

Arte.

Clara, ſed arte fuit: pater huic Colophonius Idmon
Phocaico bibulas tingebat murice lanas:
Occiderat mater: ſed & hæc de plebe, ſuoque
Æqua viro fuerat. Lydas tamen illa per urbes
Quæſierat ſtudio nomen memorabile, quamvis
Orta domo parva, parvis habitabat Hypæpis,
Hujus ut aſpicerent opus admirabile, ſæpe
Deſeruere ſui nymphæ vineta Timoli,
Deſuere ſuas nymphæ Pactolides undas.
Nec factas ſolum veſtes ſpectare juvabat:
Tum quoque cum fierent; tantus decor adfuit arti.
Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes,
Seu digitis ſubigebat opus, repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas æquantia tractu:
Sive levi teretem verſabat pollice fuſum,
Seu pingebat acu; ſcires a Pallade doctam.

Arte. Lanificio.

Colophonius. Colophon, urbs minoris Aſiæ, Apollinis oraculo clara, nunc tenue caſtrum, *Altoboſco* dictum.

Phocaico. Phocæa, urbs Cariæ, in Aſia minori. Eſt ejuſdem nominis altera in Æolide.

Murice. Purpura. Murex, piſciculus, e cujus cruore, aut ſanie, fit color purpureus.

Æqua. Ejuſdem conditionis: æque obſcura.

Illa. Arachne.

Studio ... Comparaverat ſibi plurimum gloriæ, lanificio ſtudioſe tractando.

Hypæpis. Hypæpæ, Hypæfarum, (*Ipopa*) civitas Lydiæ, prope Tmolum montem.

Timoli. Timolus, ſive Tmolus, mons Lydiæ, nunc *Tomalitze*. Pactolus ejuſdem fluvius, hodie *Sarabat*, arenas, ut ajunt, aureas volvens.

Pactolides. Pactoli incolæ.

Nec tantum, &c. Nec tantum capiebatur voluptas magna e veſtibus jam ab illa contextis: ſed etiam cum texebantur: adeo eleganter, decenterque texebat.

Rudem. Recens ab ovibus dereptam.

In orbes. In glomos.

Subigebat opus. Præparabat lanam, trahendo, comminuendo, &c.

Repetita longo tractu. Sæpe illa deducendo, & tractando. Sequaces ſunt lanæ, ac proprie trahi dicuntur, cum in fila ducuntur, ac torquentur.

Nebulas æquantia. Lanas nebulis ſimiles levitate, ſubtilitate, candore.

Pingebat acu. Varias figuras telæ intexebat. *Ricamare* vocant Itali: Galli, *broder*.

Scires, &c. Hæc omnia tam

ſcite

Quod tamen ipſa negat, tantaque offenſa magiſtra
Certet, ait, mecum, nihil eſt quod victa recuſem.
Pallas anum ſimulat, falſoſque in tempora canos
Addit, & infirmos baculo quoque ſuſtinet artus.
Tum ſic orſa loqui: Non omnia grandior ætas,
Quæ fugiamus, habet; ſeris venit uſus ab annis:
Conſilium ne ſperne meum: tibi fama petatur
Inter mortales faciendæ maxima lanæ,
Cede Deæ, veniamque tuis temeraria dictis
Supplice voce roga, veniam dabit illa roganti.

ſcite præſtabat, ut facile appareret illam Pallade magiſtra uſam eſſe.

Quod tamen negat. Nempe, ſe doctam a Pallade, & inſtitutam fuiſſe.

Offenſa. Quaſi probro ſibi, & contumeliæ duceret, Palladem magiſtram habuiſſe: illi cedere.

Nihil eſt, &c. Quaſcumque pœnas parata ſum dependere, ſi ab ea vincor. Quidvis patiar, ſi victa diſceſſero.

In tempora. In caput.

Non omnia, &c. Senectus non uſquequaque eſt aſpernanda: ſi cæteris dotibus caret, experientia certe abundat. Itaque morem conſulenti mihi gere: contenta eſto vincere hominis; at inferiorem te, ac minorem Pallade, confitere.

I I.

Pallas provocationem accipit: amba ad opus ſe accingunt.

Aſpicit hanc torvis, incœptaque fila relinquit,
Vixque manus retinens, confeſſaque vultibus iram,
Talibus obſcuram reſecuta eſt Pallada dictis:
Mentis inops, longaque venis confecta ſenecta
Et nimium, vixiſſe diu, nocet; audiat iſtas,
Si qua tibi nurus eſt, ſi qua eſt tibi filia, voces.

Torvis. Subaudi, oculis.

Vix manus retinens. Vix temperans ſibi, quin eam verberibus male acciperet.

Obſcuram. Incognitam, latentem ſub vetulæ vultu.

Reſecuta. Viciſſim ſecuta: allocuta.

Et nimium, &c. Nocet ſenibus vita nimis longa: delirant. Sententiam ſimilem vide in Virgil. Lib. VII. Æneid. verſu 440.

Si qua tibi nurus. Audiat hæc

Conſilii ſatis eſt in me mihi; neve monendo
Profeciſſe putes, eadem eſt ſententia nobis.
Cur non ipſa venit? cur hæc certamina vitat?
Tum Dea, Venit, ait, formamque removit anilem,
Palladaque exhibuit. Venerantur numina nymphæ,
Mygdoniſque nurus: ſola eſt interrita virgo,
Sed tamen erubuit, ſubituſque invita notavit
Ora rubor, rurſuſque evanuit; ut ſolet aer
Purpureus fieri, cum primum aurora movetur,
Et breve poſt tempus candeſcere ſolis ab ortu.
Perſtat in incœpto, ſtolidæque cupidine palmæ
In ſua fata ruit, neque enim Jove nata recuſat,
Nec monet ulterius, nec jam certamina differt.
Haud mora, conſiſtunt diverſis partibus ambæ,
Et gracili geminas intendunt ſtamine telas.
Tela jugo juncta eſt, ſtamen ſecernit arundo,
Inſeritur medium radiis ſub tegmen acutis,

hæc tua præclara monita, filia tua, ſi quam habes: aut filii tui uxor, cui poſſis imperitare, quæ tibi morem gerat. Ego conſulere mihi per me poſſum, nec ſententiam muto, nec Palladi concedo; veniat, mecum certet: huc adſit. Adeſt illa vero, inquit Dea, & figuram anilem depoſuit.

Exhibuit. Oſtendit: ſe Palladem eſſe confeſſa eſt.

Numina. Palladem.

Mygdonides nurus. Matronæ Phrygiæ. Non longe abeſt Phrygia (olim Mygdonia nuncupata) a Lydia. Convenerant iſtæ matronæ, ut Arachnes opera ſpectarent. Horat. *Pinguis Phrygiæ Mygdonias opes*. Lib. II.

Interrita. Nullo numinis timore, ac veneratione, movetur.

Erubuit. Præ pudore audaciæ; brevi tamen pudor ille evanuit.

Movetur. Oritur.

Candeſcere. Candidus evadere, ſole orto.

Stolidæque.. Et inani ſpe victoriæ decepta, in ſuum exitium ipſa præceps ruit.

Recuſat. Certamen.

Monet. Conſiliis, & cohortatione, deterret æmulam.

Et gracili, &c. Et longiora fila, quæ prima telæ quaſi fundamenta ſunt, utrimque explicant, ac diducunt: ea duplici tigillo alligata, ſeparantur ac digeruntur ope arundinis: illis deinde implicantur fila breviora, radio, & pectine comprimuntur.

Stamine. Stamen vocantur longiora fila telæ: jugum eſt tignum duplex, alterum alteri oppoſitum, cui fila hæc religantur: arundo, bacil-

Quod digiti expediunt, atque inter ſtamina ductum
Percuſſo feriunt inſerti pectine dentes.
Utraque feſtinat, cinctæque ad pectora veſtes,
Brachia docta movent, ſtudio fallente laborem.
Illic & Tyrium quæ purpura ſenſit ahenum
Texitur, & tenues parvi diſcriminis umbræ.
Qualis ab imbre ſolet percuſſus ſolibus arcus

Bacillum eſt, quo fila alia ab aliis divelluntur, ſeparantur, ordinantur. Subtemen (quam vocant etiam tramam) ſunt fila breviora, quæ longioribus inſeruntur ex tranſverſo: pars enim longiorum filorum deprimitur, pars attollitur, hoc ordine, ut primum, tertium, quintum, exempli cauſa, filum erigatur; ſecundum vero, quartum, ſextum &c. demittatur. Inter utramque filorum partem, alteram depreſſam, alteram arctam, ſubtemen inſeritur quodam inſtrumento, quem radium vocant. Mox pars illa filorum quæ erat depreſſa attollitur, pars viciſſim ſublata deprimitur. Sic fila breviora longioribus implicantur, cancellorum ritu; & ut arctius inter ſe ſtringantur, & cohæreant, comprimuntur identidem urgenturque inſtrumento textorio dentato, quem idcirco pectinem appellant.

Expediunt. Aptant, inferunt, accomodant.

Percuſſo, &c. Subtemen, ope radii, implicatum ſtaminibus, percutitur pectine dentato.

Cinctæ.. Succinctæ..

Studio. Cupiditate vincendi; texendi diligentia.

Fallente laborem. Laboris contentionem & modeſtiam levante, ita ut non ſentiretur, non animadverteretur.

Illic &c. In tela intexuntur fila purpurea varii coloris; ac fila obſcura, & fuſca, miſcentur clarioribus, & micantibus, adeo ſubtiliter, ut diſcrimen inter utraque vix appareat, colorumque limites ægre diſcernantur.

Tyrium. Tyrii fuerunt egregii purpuræ tingendæ artifices. Tyrus, hodie *Sur*, Phænices caput erat.

Ahenum. Cortinam, vas æreum, igni ſubjecto impoſitum, in quo panni inficiuntur.

Qualis &c. Quemadmodum in iridem colores varii ſic temperati ſunt, ut tranſitus ab uno colore ad alium, oculos decipiat, quia color, alteri junctus, qua parte illum tangit, idem cum vicino iſto colore videtur eſſe, licet pars ejus ultima diverſa penitus ſit. Hoc autem fit umbræ beneficio: nam, v. gr. color viridis, ſi minimum habeat umbræ, proxime ad colorem album accedit; ſi pluſculum umbræ, magis ab albo diſtat: ſi valde ſit fuſcus, & ſatur, non multum a nigro differt. Artis autem ſpecimen eſt, illam umbræ luciſque varie-

Inficere ingenti longum curvamine cœlum;
In quo diverſi niteant cum mille colores,
Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit.
Uſque adeo quod tangit idem eſt; tamen ultima diſtant
Illic & lentum filis immittitur aurum,
Et vetus in tela deducitur argumentum.

rietatem probe ſcienterque t mperare. Mirus eſt Ovidius in iſtis deſcribendis, luce tamen eget.

Ab imbre. Ob imbrem roſcidum: tunc enim fit iris: ut philoſophi docent.

Inficere. Pingere.

Tranſitus. Unius coloris ab alio diſcrimine; intervallum inter utrumque; nexus.

Lentum aurum. Aurum ductile fila aurea.

Vetus argumentum. Veteres hiſtoriæ effinguntur.

III.

Arachne & Pallas tela ſua metamorphoſes varias intexunt.

Cecropia Pallas ſcopulum Mavortis in arce
Pingit, & antiquam de terræ nomine litem;

Cecropia in arte. Athenienſi. Lib. II. n. 17. 18.

Scopulum Mavortis. Areopagum. Sic vocabatur Athenienſium curia, Marti ſacra, & in ſcopulo, ſeu colle, ſita, quod Græca vox Ἄρειος πάγος, ſignificat. Tradunt Martem olim in eo loco accuſatum de cœde, quod Halirothium, Neptuni filium, peremiſſet, cauſam dixiſſe coram Diis duodecim: & ſententiis ſex abſolutum, loco nomen feciſſe. Ibi ab Athenienſibus exercebantur judicia rerum capitalium, aut ad religionem ſpectantium; judices Areopagitæ vocabantur: quibus ne fucum facerent oratores jubebantur omnia eloquentiæ pigmenta, & lenocinia, omittere: ac ne reorum aſpectus miſerabilis oculos judicum perſtringeret, aureſve gemitus permoveret, cauſæ in tenebris, ac ſummo ſilentio, agebantur. Hoc in loco diſceptata inter Neptunum & Minervam lis eſt quam narrat hic Ovidius.

Antiquam. Exortam olim altercationem inter Palladem & Neptunum, uter civitati Athenienſi nomen imponeret. Conſedere in Areopago Dii, controverſiæ judices: ſancitum, ut is viciſſe cenſeretur, qui rem umano generi utiliorem produxiſſet. Neptunus e percuſſa tridente terra equum eduxit; Pallas vero, haſtæ cuſpide humum feriens, protulit olivam, & lis ſc-

Bis ſex cœleſtes, medio Jove, ſedibus altis
Auguſta gravitate ſedent, ſua quemque Deorum
Inſcribit facies. Jovis eſt regalis imago:
Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente
Aſpera ſaxa facit, medioque e vulnere ſaxi
Exſiluiſſe ferum, quo pignore vindicet urbem.
At ſibi dat clypeum, dat acutæ cuſpidis haſtam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus:
Percuſſamque ſua ſimulat de cuſpide terram
Edere cum baccis fetum canentis olivæ,
Mirarique Deos, operis victoria finis.
Ut tamen exemplis intelligat æmula laudis,
Quod pretium ſperet pro tam furialibus auſis:
Quattuor in partes certamina quattuor addit,
Clara colore ſuo, brevibus diſtincta ſigillis.
Threjciam Rhodopen habet angulus unus, & Hæmum,
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,

ſecundum illam data.

Terræ. Athenarum.

Cœleſtes. Dii.

Sua &c. Non eſt opus titulo & inſcriptione, ut unuſquiſque Superum agnoſcatur: illum facies ſua, habitus, cultus, ſatis indicat.

Facit ſtare. Pallas in tela depingit ſtantem Neptunum.

Ferum. Poetæ vulgo iſta voce notant equum. Hunc a Neptuno fuiſſe productum diſerte aſſerit Virg. I. Georg. Alii volunt ſtagnum, ſeu fontem procreatum, leguntque hoc in verſu, *fretum*.

Vindicet. Hoc opere edito victoriam ſibi vindicans, & urbem ſuam eſſe, a ſe nominandam, contendens.

Sibi dat. Pallas, telam deſcribens, pingit ſeipſam armatam clypeo.

Ægide. Lib. V. n. 2.

Simulat. Pingit. Sic Horat. in arte: *Cupreſſum ſcis ſimulare*.

Baccis. Arborum minores fructus vocantur baccæ.

Fetum. Arborem.

Canentis. Albicântis.

Operis. Telæ abſolutæ. Victoria Palladis de Neptuno, in ultima parte operis, ſeu telæ, depicta cernirur.

Æmula laudis. Arachne.

Quod pretium. Quam expectare pœnam, ac mercedem, ſuæ furioſæ temeritatis debeat.

Quattuor. .. Deſcribit in quatuor telæ angulis, infauſta quatuor certamina mortalium cum Diis.

Clara, &c. Filis lucentibus expreſſa, & conſtantia e figuris brevioribus, ob angulorum breve ſpatium.

Threjciam, &c. Hæmus Thraciæ rex, elatus ſuperbia, Jovem ſe dicebat eſſe;

Rho-

Nomina ſummorum ſibi qui tribuere Deorum.
Altera Pygmææ fatum miſerabile matris
Pars habet: hanc Juno victam certamine juſſit
Eſſe gruem, populiſque ſuis indicere bellum.
Pinxit & Antigonen auſam contendere quondam
Cum magni conſorte Jovis, quam regia Juno
In volucrem vertit, nec profuit Ilion illi,
Laomedonve pater, ſumptis quin candida pennis,
Ipſa ſibi plaudat crepitante ciconia roſtro.
Qui ſupereſt ſolus Cinyram habet angulus orbum:
Iſque gradus templi, natarum membra ſuarum,
Amplectens, ſaxoque jacens, lacrymare videtur.
Circuit extremas oleis pacalibus oras.
Is modus eſt, operique ſua facit arbore finem:

Rhodope, ejus uxor, Junonem. Irati Superi utrumque in montes mutaverunt.

Altera &c. In altero telæ angulo pingitur ſors matronæ Pygmææ (Geranam vocant) quæ cum Junone de forma contendens, in gruem eſt converſa.

Pygmææ matris. Matronæ cujuſdam, ſeu reginæ, Pygmæorum. Pygmæi, populi Indiæ, vel Thraciæ, fuiſſe narrantur: nomen habuere a voce Græca πυγὼν, *ulna, cubitus*, quaſi πυγμαῖοι, eo quod eorum ſtatura major cubitali non videretur.

Victam. A Diis judicibus condemnatam.

Suis. Grues vexant Pygmæos, cumque illis bella gerere dicuntur. Juvenal. Sat. 13. Plin. Lib. VII. c. 2. IV. c. 11. Gell. Lib. IX. c. 4.

Antigonen. Laomedontis Trojæ regis, filiam.

Contendere. De pulchritudine.

Conſorte. Uxore.

Volucrem. Ciconiam.

Ilion. Troja. Non illi profuit, quod eſſet a regibus Trojanis oriunda.

Sibi plaudat. Quaſi Junone pulchrior.

Cinyran. Cinyras, Cypri rex fuit. Ejus filiæ cum Junoni ſe præferrent, ab ea ſunt in gradus templi ſui mutatæ.

Orbum. Liberis orbatum.

Membra. Corpora. Templi gradus, qui modo erant ſuarum filiarum membra.

Jacens. Inhærens.

Circuit, &c. Pallas limbum telæ ambit oleæ ramis. Olea pacis pignus, & ſymbolum.

Modus. Finis telæ.

Sua arbore. Oliva, a ſe inventa. Ejus ramis intextis opus totum ambit, finitque.

De-

I V.

Deſcribitur Arachnes tela. Pallas victam ſe dolens, eam ferit, & convertit in araneam.

Mæonis eluſam deſignat imagine tauri
Europam; verum taurum, freta vera, putares:
Ipſa videbatur terras ſpectare relictas,
Et comites clamare ſuas, tactumque vereri
Aſſilientis aquæ, timidaſque recondere plantas
Fecit & Aſterien aquila luctante teneri;
Addidit, ut Satyri celatus imagine, pulchram
Jupiter implerit gemino Nycteida fetu:
Amphytryon fuerit, cum te, Tirinthia, cepit.
Aureus ut Danaen, Aſopida luſerit ignis,
Mnemoſynen paſtor, varius Deoida ſerpens.
Te quoque mutatum torvo, Neptune, juvenco
Virgine in Æolia poſuit; tu viſus Enipeus

Mæonis. Arachne, ſupra num. 1.

Europam. Lib. II. nu. 19.

Aſterien. Latonæ ſororem. Eam dicitur Jupiter, converſus in aquilam, rapuiſſe.

Satyri. Lib. 1. num. 8.

Celatus. Tectus, latens.

Implerit. Duos ſuſceperit e Nycteide liberos. Quænam illa fuerit, nec tanti eſt ſcire, nec inveſtigare ſomnia poetarum vacat.

Amphitryon fuerit. Quo pacto faciem Amphitryonis idem Jupiter acceperit, cum te decepit, o Alchmena. Amphitryon, Thebanus, Alcæi filius, & Alcmenæ maritus fuit, quæ Tirynthia vocatur a Tirynthe, Peloponneſi oppido. Ex ea Jupiter Herculem genuit. Amphitryonis vultum aſſimulans.

Aureus, &c. Ut Danaen deluſerit, in aurum mutatus; Lib. IV. num. 9. Aſopidem, in flammam converſus: Mnemoſynen, ſub figura paſtoris latens: Deo idem, ideſt, Proſerpinam, Cereris quæ Δηώ Græcis dicitur filiam, ſub anguis forma.

Aſopida. Æginam, Aſopi, Bœotiæ regis, filiam, Æaci matrem.

Mnemoſynem. Muſarum matrem.

Varius. Pictam, maculoſam, pellem habens.

Virgine in Æolia. Ut Æoli filiam deciperes.

Viſus Enipeus. Transformatus in Enipeum: fluvius eſt Theſſaliæ, in quem mutatus Neptunus genuit ex Aloi conjuge, Aloidas, Orhum & Ephialten: Virg. VI.

Gignis Aloidas; aries Biſaltida fallis.
Et te, flava comas frugum mitiſſima mater,
Senſit equum; te ſenſit equum crinita colubris
Mater equi volucris, ſenſit delphina Melantho.
Omnibus his faciemque ſuam, faciemque locorum
Reddidit. Eſt illic agreſtis imagine Phœbus:
Utque modo accipitris pennas, modo terga leonis,
Geſſerit, ut paſtor Macareida luſerit Iſſen.
Liber ut Erigonen falſa deceperit uva:
Ut Saturnus equo geminum Chirona crearit.
Ultima pars telæ, tenui circumdata limbo,
Nexilibus flores hederis habet intertextos.
Non illud Pallas, non illud carpere livor
Poſſit opus. Doluit ſucceſſu flava virago,
Et rupit pictas, cœleſtia crimina, veſtes:
Utque Cytoriaco radium de monte tenebat;
Ter, quater, Idmoniæ frontem percuſſit Arachnes.
Non tulit infelix, laqueoque animoſa ligavit

VI. Æneid. verſu 582.
Aries. Species arietis.
Frugum mater. Ceres.
Senſit equum. Mutatum vidit in equum.
Mater equi. Meduſa, e cujus capitis reſecti ſanguine natus Pegaſus. Lib. IV. num.12.
Omnibus his &c. Has omnes metamorphoſes Arachne, perſonis, lociſque, aptiſſime diſtinxit.
Eſt illic. Videre erat Phœbum paſtoris cultu, nempe armenta regis Admeti paſcentem. Lib.II. n.15. Virg. III. Georg. verſu 2. Conſule appendicem, de Diis poeticis, num.5.
Macareida. Macarei filiam.
Liber. Bacchus.
Falſa uva. Uvæ ſpeciæ tectus.
Equo. Equum aſſimulans.
Geminum. Semiferum: partim hominem, partim equum.
Chirona. Lib. II. num.2. 13. & 14.
Tenui: Subtili: delicato.
Limbo. Ora: extrema parte.
Nexilibus. Inter ſe nexis.
Doluit &c. Ægre tulit Pallas opus ab Arachne tam fæliciter abſolutum eſſe.
Et rupit veſtes pictas. Et Arachnes telam, ſeu pannum, in quo cœlitum tot flagitia picta, & texta erant, fregit, diſcidit; quaſi argumento ipſi, rebuſque in tela pictis, ſucceneret.
Cytoriaco de monte. Buxeum. Cytorus mons Aſiæ minoris, buxo abundans.
Radium. Inſtrumentum textorum. Supra 2.
Idmoniæ. Idmonis filiæ.
Pen-

Guttura: pendentem Pallas miſerata levavit,
Atque ita, Vive quidem, pende tamen, improba, dixit,
Lexque eadem pœnæ, ne ſis ſecura futuri,
Dicta tuo generi, ſeriſque nepotibus eſto.
Poſtea diſcedens ſuccis Hecateidos herbæ
Sparſit, & extemplo triſti medicamine tactæ
Defluxere comæ, cumque his & naris, & auris:
Fitque caput minimum, toto quoque corpore parva eſt.
In latere exiles digiti pro cruribus hærent,
Cætera venter habet, de quo tamen illa remittit
Stamen, & antiquas exercet aranea telas.

Pendentem. Antequam omnino præfocaretur.

Lexque, &c. Ac ne ſolæ ri poſſis præſentem pœnam, ſpe melioris in poſterum conditionis, eadem pœna eſto dicta, ſtatuatur, tuis poſteris, nempe ut pendeant, ſimiliter ac tu.

Hecateidos herbæ. Aconitum his verbis indicari volunt interpretes, quod ab Hecate, matre Medeæ, inſigni venefica, inventum, aut uſurpatum, ajunt.

Medicamine. Succo peſtifero.

Defluxere. Ceciderunt.

Cumque his. Cum comis, nares aureſque dilapſę ſunt:

Remittit. Educet, depromit.

Stamen. Filum. Supra, num.1.

V.

Niobe Latonam contemnit. Ejus oratio impietatis & arrogantia plena.

Lydia tota fremit, Phrygiæque per oppida facti
Rumor it, & magnum ſermonibus occupat orbem:
Ante ſuos Niobe thalamos cognoverat illam,
Tunc, cum Mæoniam virgo, Sipylumque colebat.

Phrygia. Regio eſt Aſiæ minoris, ubi olim Troja.

Facti. Arachnes a Minerva mutatæ in araneam.

Ante ſuos thalamos. Antequam Amphioni nuberet ipſa Niobe, filia Tantali, Phrygiæ regis.

Illam. Arachnen.

Mæoniam. Lydiam.

Virgo. Niobe, nondum nupta.

Sipylum. Montem Lydiæ, ad Meandrum fluvium. Hodie *Cuſinas*.

Colebat, Habitabat.

Po-

Nec tamen admonita eſt pœna popularis Arachnes
Cedere cœlitibus, verbiſque minoribus uti.
Multa dabant animos; ſed enim nec conjugis arces,
Nec genus amborum, magnique potentia regni,
Sic placuere illi, quamvis ea cuncta placerent,
Ut ſua progenies, & fœliciſſima matrum
Dicta foret Niobe, ſi non ſibi viſa fuiſſet.
Nam ſata Tireſia, venturi præſcia Manto,
Per medias fuerat, divino concita motu,
Vaticinata vias: Iſmenides ite frequentes,
Et date Latonæ, Latonigeniſque duobus,
Cum prece thura pia, lauroque innectite crinem.
Ore meo Latona jubet. Paretur, & omnes
Thebaides juſſis ſua tempora frondibus ornant,
Thuraque dant ſanctis, & verba precantia, flammis.
Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba,
Veſtibus intexto Phrygiis ſpectabilis auro,
Et, quantum ira ſinit, formoſa: movenſque decoro

Popularis. Ex eodem orta populo & gente, ac Niobe. Lydia & Phrygia vicinæ ſunt regiones, in Aſia minori.

Admonita non eſt cedere. Non didicit. Debemus alienis periculis admoneri, & ſapere.

Minoribus. Humilioribus, modeſtioribus.

Dabant animos. Superbam Niobem reddebant.

Conjugis. Amphionis, regis Thebarum.

Arces. Regni ampliſſimi oppida: ipſæ Thebæ.

Genus. Quod a Jove ducebant. Amphion, Jovis, ex Antiopa, filius: Niobe, neptis ejuſdem Jovis, quippe Tantali filia.

Sua progenies. Sui liberi.

Si non, *&c*. Niſi ſe feliciſſimam arbitrata, Deos ſpreviſſet. *O quantum caliginis*, inquit Seneca, *mentibus humanis objicit magna fælicitas*! Lib. de Brevitate Vitæ. *Quam multi fuiſſent fælices, niſi ſe ita putaſſent*! Idem.

Tireſia. Lib. III. num. 6.

Manto. Filia Tireſiæ: vates fatidica.

Iſmenides. Thebanæ matres. Lib III. n. 12. IV. 1.

Latonigenis. Latonæ liberis, Phœbo ac Dianæ.

Lauro. Hæc enim Phœbo ſacra. Lib. I. num. 15.

Thebaides. Thebarum Matronæ.

Juſſis. Ut manto juſſerat.

Veſtibus Phrygiis. Acupictis, & auro illuſis. Singularis Phrygum ars, & induſtria fuit intexendi veſtibus varias figuras. Hinc pictæ acu veſtis artifices dicti ſunt phrygiones.

Quantum ira ſinit. Quæ vultum deformat.

[illegible]

Cum capite immiſſos humerum per utrumq; capillos,
Conſtitit; utque oculos circumtulit alta ſuperbos,
Quis furor auditos; inquit, præponere viſis
Cœleſtes? aut cur colitur Latona per aras?
Numen adhuc ſine thure meum eſt? mihi Tantalus auctor,
Cui licuit ſoli Superorum tangere menſas.
Pleiadum ſoror eſt genitrix mea; maximus Atlas
Eſt avus, æthereum qui fert cervicibus axem.
Jupiter alter avus, ſocero quoque glorior illo.
Me gentes metuunt Phrygiæ, me regia Cadmi
Sub domina eſt, fidibuſque mei commiſſa mariti
Mœnia, cum populis a meque, viroque, reguntur.
In quamcumque domus adverti lumina partem,
Immenſæ ſpectantur opes, accedit eodem
Digna Dea facies; huc natas adjice ſeptem,
Et totidem juvenes, & mox generoſque, nuruſque.
Quærite nunc, habeat quam noſtra ſuperbia cauſam.
Quoque modo audetis genitam Titanida Cæo
Latonam præferre mihi? cui maxima quondam.

Immiſſos. Fluitantes.

Auditos. Deos, quos tantum fama, & auditu, noſtis.

Viſis. Illis quos videtis, qui vobiſcum verſantur. De ſe, ac marito ſuo, loquitur.

Tantalus. Lib. IV. 5.

Tangere menſas. Menſæ accumbere cum Superis.

Plejadum ſoror. Taygeta, una e Pleiadibus (Lib. I. 18.) mater Niobes, Atlantis filia.

Atlas. Lib. II. 7. IV. 9.

Alter avus eſt. Nimirum paternus; Atlas vero, maternus, Nam Tantalus Jovis filius fuit, ex Plote nympha.

Socero.. illo. Jove. Amphion, maritus Niobes, filius erat Jovis.

Regia Cadmi. Thebæ. Lib. III. num. 1.

Sub me domina, Sub mea ditione.

Fidibus. Lyra.

Commiſſa. Extincta, compoſita. Amphion ſaxa cautu traxiſſe fertur, quæ in muros Thebanos ſua ſponte ſe compoſuerunt.

Adverti lumina. Oculos conjeci.

Accedit, &c. Præter tot opes, mihi eſt forma, quæ Deam deceat.

Generos. Viros, quibus nuptui filias meas brevi dabo.

Nurus. Virgines, quibus filios meos collocabo.

Quærite &c. An non jure vobis videor gloriari.

Titanida. Latonam filiam Cœi, unius e Gigantibus, aut Titanibus. Vide Natal. Comit. Lib. VI, cap. 21.

Cui maxima, &c. Quæ nemini

Exiguam ſedem parituræ terra negavit?
Nec cœlo, nec humo, nec aquis Dea veſtra recepta eſt;
Exul erat mundi, donec miſerata vagantem
Hoſpita tu terris erras, ego, dixit, in undis,
Inſtabilemque locum Delos dedit: illa duorum
Facta parens; uteri pars hæc eſt ſeptima noſtri.
Sum fœlix, quis enim neget hoc? fœlixque manebo.
Hoc quoque quis dubitat? tutam me copia fecit.
Major ſum, quam cui poſſit fortuna nocere,
Multaque ut eripiat, multo mihi plura relinquet;

minimum quidem in orbe terrarum ampliſſimo locum, ubi Apollinem ac Dianam pareret, invenire potuit. Juno indigne ferens Latonam e Jove eſſe gravidam, dedit operam, ne ullibi poſſet conſiſtere, ac parere. Itaque Terram coegit jurare, ſe nullum parienti Latonæ locum conceſſuram. Delos inſula maris Ægæi, quæ prius latebat ſub undis, ac fluitabat incerta, cum iſto Terræ jurejurando non teneretur, emerſit Neptuni juſſu, & ſtabilem ſitum adepta, Latonam excepit.

Dea veſtra. Latona, quam colitis.

Mundi. Non ex aliqua mundi parte, aut urbe, ut exules reliqui: ſed orbe toto pulſa.

Donec &c. Ordo verborum eſt: donec Delos Latonam miſerata, dixit illi, Tu, o Latona, exul & peregrina erras in terra; ego ſimiliter in mari quaſi peregrina verſor, & huc illuc deferor, ac proinde ſimilitudine infortunii admoneor, ut miſeræ ſuccurram.

Illa, &c. Duos edidit liberos Latona: qui numerus pars eſt ſeptima meæ prolis; nam quatuordecim liberorum mater ſum.

Sum fœlix. Atqui mortalium fœlicitas, brevis eſt, incerta, & perſonata, ut Seneca loquitur. Lege Tullium Paradoxo I. & II. Virtus ſola fœlices facit, quod ne ipſi quidem ethnici neſciverunt.

Fœlix manebo. Superbe dictum. Verius vates noſter, experientia doctus, canit Lib. IV. de Ponto Eleg. 3. *Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo, & ſubito caſu, quæ valuere, ruunt*. Lege nu. 4. Lib. III. Recte igitur Philippus Macedo, ne rebus ſecundis efferretur, appoſuit ſibi monitorem, qui has voces tacitam in aurem identidem inſtillaret: *Philippe, homo es*.

Copia. Tot liberorum, qui meam fœlicitatem tuebuntur: tot bonorum copia, quibus circumfluo.

Ut eripiat. Quamvis adimat mihi fortuna magnam bonorum, quibus abundo, partem.

Exceſſere metum mea jam bona: fingite demi
Huic aliquid populo natorum poſſe meorum,
Non tamen ad numerum redigar ſpoliata duorum.
Ite ſacris propere ſacris, laurumque capillis
Ponite. Deponunt, & ſacra infecta relinquunt,
Quodque licet, tacito venerantur murmure numen
Latonæ. Turba quantum diſtabat ab orba,
Indignata Dea eſt: ſummoque in vertice Cynthi
Talibus eſt dictis gemina cum prole locuta.

Exceſſere metum. Sunt extra metum poſita, & periculum.

Fingite &c. Eſto, dematur, adimatur aliquid ex hac turba meorum liberorum, qui integrum populum videntur ſoli conficere.

Ite ſacris &c. Abite propere a ſacris, a ſacrificiis, quæ ſacra, ideſt execranda, ſunt. Sic dicitur, Auri ſacra fames, ideſt, impia, &c. Heinſius varias lectiones alias refert: *Ite procul, procul ite ſacris*. *Ite ſacris procul a ſacris, &c.*

Laurum. Quæ Phœbo dedicata. Lib. I. n. 15.

Infecta. Imperfecta. Non peracta.

Turba &c. Latona inique tulit orationem Niobes, quia multum diſtabat ab orbis mulieribus, id eſt, omni prole carentibus: tantum doluit, quantum illis merito præſtabat, ob duos licet dumtaxat filios, Deos tamen, & pluribus pares. Hic locus interpretes miris modis exercet.

Cynthi. Mons eſt in inſula Delo.

V I.

Latona de Niobe graviter cum filiis queritur. Apollo & Diana Niobes liberos interficiunt.

En ego veſtra parens, vobis animoſa creatis,
Et, niſi Junoni, nulli ceſſura Dearum,
An Dea ſim dubitor, perque omnia ſæcula cultis
Arceor, o nati, niſi vos ſuccurritis, aris.
Nec dolor hic ſolus: diro convicia facto
Tantalis adjecit, voſque eſt poſtponere natis.

Animoſa. Merito ſuperba.

Creatis. Ex me genitis.

Cultis. Ornatis frequentatis.

Nec dolor, &c. Parum eſt quod mea ſacra prohibuerit: me aris expulerit.

Tantalis. Niobe, filia Tantali.

Et

Auſa ſuis, & me (quod in ipſam recidat) orbam
Dixit, & exhibuit linguam ſcelerata paternam.
Adjectura preces erat his Latona relatis,
Deſine, Phœbus, ait, pœnæ mora, longa querela eſt.
Dixit idem Phœbe, celerique per aera lapſu
Contigerant tecti Cadmeida nubibus arcem.
Planus erat, lateque patens prope mœnia campus.
Aſſiduis pulſatus equis, ubi turba rotarum,
Duraque mollierat ſubjectas ungula glebas.
Pars ibi de ſeptem genitis Amphione fortes
Conſcendunt in equos, Tyrioque rubentia ſucco
Terga premunt, auro gravidis moderentur habenis.
E quibus Iſmenos, qui matri ſarcina quondam
Prima ſuæ fuerat, dum certum flectit in orbem
Quadrupedis curſus, ſpumantiaque ora coercet;
Hei mihi! conclamat, medioque in pectore fixa
Tela gerit, frænisque manu moriente remiſſis,

Et me . . . orbam dixit. Me deſpexit, quaſi liberis carentem.

Quod in ipſam. Quod convicium utinam ipſius capiti ſit: ac vere orba dicatur.

Recidat. Prima hujus verbi ſyllaba reperitur in Lucretio, aliiſque producta: itidem ut in *reduco*, *reficio*, &c.

Exhibuit, &c. Imitata eſt temeritatem paternæ linguæ. Tantalus enim convivio Deorum adhibitus, audita quædam arcana temere, ut ſuperbe vulgaverat. Ejus pœnam apud inferos, deſcribit vates Lib. IV. n. 5.

Relatis. Dictis: rei ſic narratæ.

Pœnæ mora &c. Per longiorem querelam facis ut retardetur ejus pœna. Quanto diutius quereris, & accuſas Nioben; tanto longius differs ejus ſupplicium.

Tecti. Nubibus, ut hominum oculos fallerent, occultati.

Arcem Cadmeida. Thebas. Lib. III. n. 1.

Ubi turba rotarum. Aſſidua curruum, & equorum agitatio glebas complanaverat, æquaverat.

Mœnia. Thebana.

Genitis Amphione. Filiis Amphionis, & Niobes.

Tyrio, &c. Inſtrata oſtro terga equorum. Melius *fuco* legatur, quam *ſucco*. Fucus, color adſcititius.

Auro. . Flectunt habenas auro rigentes.

Qui matri, &c. Qui natu maximus erat fratrum: editus in lucem primus.

Dum flectit, &c. Dum in gyros compoſitos equum ex arte flectit, dum alternos orbes orbibus impedit.

Coercet. Adducto fræno retentat, premitque.

In latus à dextro paulatim defluit armo.
Proximus, audito ſonitu per inane pharetræ,
Fręna dabat Sipylus: veluti cum præſcius imbres
Nube fugit viſa, pendentiaque undique rector
Carbaſa deducit, ne qua levis effluat aura.
Frena tamen dantem non evitabile telum
Conſequitur, ſummaque tremens cervice ſagitta
Hæſit, & exſtabat nudum de gutture ferrum.
Ille, ut erat pronus, per crura admiſſa, jubaſque
Volvitur, & calido tellurem ſanguine fœdat.
Phædimus infelix, & aviti nominis hæres
Tantalus, ut ſolito finem impoſuere labori,
Tranſierant ad opus nitidæ juvenile palæſtræ,
Et jam contulerant arcto luctantia nexu
Pectora pectoribus, cum tento concita nervo,
Sicut erant juncti, trajecit utrumque ſagitta.
Ingemuere ſimul, ſimul incurvata dolore
Membra ſolo poſuere, ſimul ſuprema jacentes
Lumina verſarunt, animam ſimul exhalarunt.
Aſpicit Alphenor; laniataque pectora plangens
Advolat, ut gelidos complexibus allevet artus,
Inque pio cadit officio: nam Delius illi
Intima fatifero rupit præcordia ferro.

In latu, *&c.* Cadit ex humero equi, in latus.

Fræna dabat. Immiſſis & laxis habenis fugiebat.

Rector. Navita.

Deducit. Tota pandit, & explicat, in portum ſcilicet feſtinans, ut ſe ſubducat tempeſtati.

Exſtabat. Prominebat.

Pronus. Qui equum admittunt, incitantque ad curſum caput, ac pectus ſolent in partem anteriorem inclinare, & crura paulum retrahere. Talis habitus cadentis Sipyli fuit.

Per crura admiſſa. Per anteriores equi in curſum incitati, pedes, erectos ſcilicet atque ad currendum ſublatos.

Aviti nominis hæres. Qui Tantalus vocabatur, ut ſuus avus.

Labori. Equorum agitandorum.

Palæſtræ. Luctationis. In ea dejicere alter alterum tentabant. Vide initium Lib. IX.

Contulerant. Invicem applicuerant.

Tento. Contento.

Suprema lumina. Oculos motu noviſſimo diſtorſerunt, æternum claudendos.

Plangens. Percutiens.

Delius. Apollo.

Si-

Quod ſimul eductum eſt, pars eſt pulmonis in hamis
Eruta, cumque anima cruor eſt effuſus in auras;
At non intonſum ſimplex Damaſichthona vulnus
Afficit: ictus erat, qua crus eſſe incipit, & qua
Mollia nervoſus facit internodia poples:
Dumque manu tentat trahere exitiabile telum,
Altera per jugulum pennis tenus acta ſagitta eſt;
Expulit hanc ſanguis, qui ſe jaculatus in altum
Emicat, & longe terebrata proſilit aura.
Ultimus Ilioneus non profectura precando
Brachia ſuſtulerat: Diique o communiter omnes,
Dixerat (ignarus non omnes eſſe rogandos)
Parcite. Motus erat, cum jam revocabile telum
Non fuit, Arcitenens: minimo tamen occidit ille
Vulnere, non alte percuſſo corde ſagitta.

Simul. Statim atque.
In hamis. In cuſpide uncinata ſagittæ extractæ apparuit pars pulmonis cum ea educti.
Intonſum. Ornatum promiſſa coma.
Simplex. Unicum.
Afficit. Percutit, interficit.
Ictus. Vulneratus.
Qua crus. In ſummo crure, ad poplitem. Poples eſt pars poſterior genu: nodoſus appellatur, quia nervis maxime conſtat, qui, velut nodis ligant crus & femur.
Internodia. Internodium eſt ſpatium inter duos nodos: hic ſignificat ſpatium inter crus & femur, in quo nervi cruris, femoriſque committuntur, & oſſium trium capita coeunt.
Pennis tenus. Uſque ad pennas, quibus inſtruitur ſagittæ pars ultima, & longius recedens a cuſpide, ut celerius volet.
Acta. Impulſa, fixa.
Terebrata aura. Aere diviſo.
Non profectura. Inutilia.
Non omnes. Sed ſolos Apollinem & Dianam.
Motus erat Arcitenens. Apollinem Ilionei preces moverunt, verum ſerius, emiſſum erat jam telum.

VII.

Furit Niobe. Ejus filiæ ſagittis conficiuntur. Ipſa in ſaxum rigeſcit.

Fama mali, populique dolor, lacrymæque ſuorum
Tam ſubitæ matrem certam facere ruinæ,
Mirantem potuiſſe, iraſcentemque quod auſi

Potuiſſe. Superos id facere potuiſſe.

Hoc eſſent Superi, quod tantum juris haberent.
Nam pater Amphion, ferro per pectus adacto,
Finierat moriens pariter cum luce dolorem.
Heu quantum hæc Niobe Niobe diſtabat ab illa,
Quæ modo Latois populum ſubmoverat aris,
Et mediam tulerat greſſus reſupina per urbem,
Invidioſa ſuis, at nunc miſeranda vel hoſti!
Corporibus gelidis incumbit, & ordine nullo
Oſcula diſpenſat natos ſuprema per omnes.
A quibus ad cœlum liventia brachia tollens,
Paſcere crudelis noſtro Latona dolore,
Paſcere, ait, ſatiaque meo tua pectora luctu:
Corque ferum ſatia, dixit: per funera ſeptem
Efferor, exulta, victrixque inimica triumpha:
Cur autem victrix? miſeræ mihi plura ſuperſunt,
Quam tibi fœlici: poſt tot quoque funera vinco.
Dixerat, & ſonuit contento nervus ab arcu,
Qui, præter Nioben unam, conterruit omnes:
Illa malo eſt audax. Stabant cum veſtibus atris
Ante toros fratrum demiſſo crine ſorores:
E quibus una, trahens hærentia viſcere tela,
Impoſito fratri moribunda relanguit ore.
Altera ſolari miſeram conata parentem,
Conticuit ſubito, duplicataque vulnere cæco eſt:

Hæc Niobe. Orbata modo filiis.

Latois. Latonæ conſecratis.

Submoverat. Repulerat.

Reſupina. Reflexo in tergum capite, elato collo, ut ſuperbi ſolent.

Invidioſa. Odioſa: admiranda. Invidia enim rebus excellentibus adhæreſcit.

A quibus. A quorum complexu.

Liventia brachia. In planctu lacertos percutiebant: hinc lividus color.

Paſcere. Imperativus modus vocis paſſivæ.

Efferor. Interficior una, & morior ſepties in totidem filiis. Efferri ad rogum mortui proprie dicebantur.

Plura. Septem enim adhuc filias numero.

Malo. Calamitate: quæ, cum ſumma eſt, facit audaces miſeros, quia nihil habent præterea quod perdant.

Toros. Lectos ſepulcrales, feretra.

Ore impoſito fratri. Vultu in fratrem incumbente, concidit languida.

Duplicata. Incurvata.

Cæco. Occulto.

Ora-

Oraque non preſſit, niſi poſtquam ſpiritus exit.
Hæc fruſtra fugiens collabitur; illa ſorori
Immoritur: latet hæc: illam trepidare videres.
Sexque datis leto, diverſaque vulnera paſſis,
Ultima reſtabat, quam toto corpore mater,
Tota veſte, tegens, Unam, minimamque relinque;
De multis minimam poſco, clamavit, & unam:
Dumq; rogat, pro qua rogat, occidit. Orba reſedit
Exanimes inter natos, nataſque, virumque,
Diriguitque malis: nullos movet aura capillos,
In vultu color eſt ſine ſanguine, lumina mœſtis
Stant immota genis, nihil eſt in imagine vivum:
Ipſa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, & venæ deſiſtunt poſſe moveri,
Nec flecti cervix, nec brachia reddere motus,
Nec pes ire poteſt, intra quoque viſcera ſaxum eſt.
Flet tamen, & validi circumdata turbine venti
In patriam rapta eſt; ibi fixa cacumine montis,
Liquitur, & lacrymis etiamnum marmora manant.

Oraque, &c. Et os præ vulneris dolore non clauſit, niſi cum exiit ſpiritus; cum animam ipſa efflavit.

Occidit. Periit illa, pro qua una rogabat.

Flet tamen. Marmor e Sipylo monte deciſum ſudare dicitur, ac veluti flere.

Patriam. Phrygiam, ubi Sipylus eſt. (Supra, nu. 5.) Auſonius in ſtatuam Niobes mormoream belle ſic ludit. *Vivebam: ſum facta ſilex; quæ deinde polita Praxitelis manibus, vivo iterum Niobe. Reddidit artificis manus omnia; ſed ſine ſenſu: Hunc ego, cum læſi Numina, non habui.*

VIII.

Agricolæ in ranas mutati.

Tunc vero cuncti manifeſtam numinis iram
Fœmina, virque timent, cultuque impenſius omnes
Magna gemelliparæ venerantur numina divæ;
Utque fit, a facto propiore priora renarrant.

Gemelliparæ. Latonæ, quæ gemellos, Phœbum, & Dianam, peperit.

Utque fit. Ut fieri vulgo ſolet, narrant alias pœnas olim de mortalibus a Latona ſumptas, admoniti recenti Niobes calamitate.

Propiore. Recenti.

Priora. Vetuſtiora.

E quibus unus ait, Lyciæ quoque fertilis agris
Non impune Deam veteres ſprevere coloni:
Res obſcura quidem eſt ignobilitate virorum,
Mira tamen: vidi præſens ſtagnumque locumque
Prodigio notum. Nam me jam grandior ævo
Impatienſque viæ genitor, deducere lectos
Juſſerat inde boves, gentiſque illius eunti
Ipſe ducem dederat; cum quo dum paſcua luſtro,
Ecce lacu medio, ſacrorum nigra favilla,
Ara vetus ſtabat, tremulis circumdata cannis.
Reſtitit, & pavido, Faveas mihi, murmure dixit
Dux meus: & ſimili, Faveas, ego murmure dixi.
Naiadum, Faunine, foret tamen ara rogabam,
Indigenæve Dei, cum talia rettulit hoſpes:
Non hac, o juvenis, montanum numen in ara eſt:
Illa ſuam vocat hanc, cui quondam regia conjux
Orbem interdixit, quam vix erratica Delos
Orantem accepit, tunc cum levis inſula nabat.

Lyciæ. In Aſia minori.

Obſcura. Ignotior: non ita celebris.

Ignobilitate . . . Quia in vilibus perſonis facta hæc mutatio eſt.

Nam me, &c. Explicat occaſionem, per quam ſtagnum illud vidit. Pater juſſerat, ut boves eximios ex ea regione, nempe Lycia, huc, in Phrygiam, adducerem, quia ipſe iter illud ſuſcipere, ac pati, propter ſenectutem, non poterat; mihi ducem viæ unum illius gentis hominem, nempe Lycium, dederat, &c.

Paſcua. Armenta, diverſis in paſcuis, unde boves emendos legerem.

Nigra &c. Altare adhuc nigrum propter favillam, & relictos cineres, ſacrificiorũ.

Cannis. Arundinibus.

Reſtitit &c. Dux meus, Lycius ille, quem mihi pater ducem viæ dederat, hanc aram reſpiciens, ſubſtitit pauliſper, & ſubmiſſa voce pavidus ac ſupplex Deum, aræ præſidem, invocans, dixit hæc verba, Faveas mihi; Ego eamdem precatiunculam, eadem verba fudi, Mox ab eo quæſivi, utrum Fauni ara foret, an Najadum? *Fauni, Najadum*. Lib. I. n. 8.

Indigenæ. Qui non aliunde venerit, ſed ibi, ubi eſt ortus, colatur.

Hoſpes. Lycius, qui me deducebat.

Montanum numen. Qualis eſt Faunus.

Illa ſuam vocat hanc. Illa Dea ſuam vocat hanc aram, cui Juno, Jovis, omnium regis, uxor, nullum in orbe locum eſſe paſſa eſt, &c. Latonam deſcribit. Supra, n. 5.

Tunc, cum, &c. Eo tempore, quo Delus adhuc inſtabilis

Illic, incumbens cum Palladis arbore palmæ,
Edidit invita geminos Latona noverca.
Hinc quoque Junonem fugiſſe puerpera fertur,
Inque ſuo portaſſe ſinu, duo numina, natos.
Jamque Chimæriferæ, cum ſol gravis ureret arva,
Finibus in Lyciæ, longo Dea feſſa labore,
Sidereo ſiccata ſitim collegit ab æſtu,
Uberaque ebiberant avidi lactantia nati:
Forte lacum mediocris aquæ proſpexit in imis
Vallibus: agreſtes illic fruticoſa legebant
Vimina cum juncis, gratamque paludibus ulvam.
Acceſſit, poſitoque genu Titania terram
Preſſit, ut hauriret gelidos potura liquores.
Ruſtica turba vetat. Dea ſic affata vetantes:
Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt;
Nec ſolem proprium natura, nec aera fecit,
Nec tenues undas; ad publica munera veni.

bilis fluitabat in mari Ægæo. Nam poſtea fixa, & immobilis, Neptuno jubente, conſtitit.

Illic. In hac inſula Delo.

Incumbens, &c. Latona acclinis, innixa, olivæ arbor eſt ſacra Palladi (ſupra, n. 3.) & palmæ.

Noverca. Junone.

Geminos. Phœbum, & Dianam.

Hinc. E Delo.

Puerpera. Latona, quæ pueros pepererat.

Natos. Suos liberos, qui erant duo numina.

Chimæriferæ. In Lycia eſt mons, Chimæra olim dictus, nunc: *Il Monte di Gorante*: hujus in ſumma parte ſilvoſa, cubabant Leones: in media paſcebantur capræ, quæ a Græcis chimæræ, χίμαιραι, dicuntur; in ima dracones cavernas obtinebant. Hinc fabricatum a poetis monſtrum, capite leonino; caprino ventre; corpore reliquo draconis: quod Chimæram dixere. Bellerophon hunc montem antea incultum, excoluit, ac reddidit habitabilem: dictus idcirco Chimæram domuiſſe.

Gravis ſol. Æſtivus, meridianus.

Labore. Via, calore, geſtandis pueris.

Lactantia. Lac præbentia.

Fruticoſa. Inter frutices naſcentia. Frutices ſunt virgulta, grandiores herbæ, ac ſimiles arbuſculis.

Ulvam Paluſtrem herbam.

Titania. Latona; Cæi Titanis filia.

Potura. Potatura.

Proprium. Alicui addictum, & mancipatum.

Tenues. Viles, in medio poſitas.

Publica munera. Veni ut hau-

Quæ tamen ut detis, ſupplex peto: non ego noſtros
Abluere hic artus, laſſataque membra parabam,
Sed relevare ſitim: caret os humore loquentis,
Et fauces arent, vixque eſt via vocis in illis.
Hauſtus aquæ mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepiſſe; ſimul vitam dederitis in undis.
Hi quoque vos moveant, qui noſtro brachia tendunt
Parva ſinu, & caſu tendebant brachia nati.
Quem non blanda Deæ potuiſſent verba movere?
Hi tamen orantem perſtant prohibere; minaſque
Ni procul abſcedat, conviciaque inſuper addunt.
Nec ſatis eſt: ipſos etiam pedibuſque, manuque,
Turbavere lacus, imoque e gurgite mollem
Huc, illuc, limum ſaltu movere maligno.
Diſtulit ira ſitim, neque enim jam filia Cœi
Supplicat indignis, nec dicere ſuſtinet ultra
Verba minora Dea, tollenſque ad ſidera palmas,
Æternum ſtagno, dixit, vivatis in iſto.
Eveniunt optata Deæ; juvat eſſe ſub undis,
Et modo tota cava ſubmergere membra palude,
Nunc proferre caput, ſummo modo gurgite nare:
Sæpe ſuper ripam ſtagni conſiſtere, ſæpe
In gelidos reſilire lacus: ſed nunc quoque turpes
Litibus exercent linguas, pulſoque pudore,
Quamvis ſint ſub aqua, ſub aqua maledicere tentant.
Vox quoque jam rauca eſt, inflataq; colla tumeſcunt,

haurirem aquam, naturæ commune donum.
Non ego. Non veni, ut lavarem corpus.
Os loquentis. En, dum vobiſcum loquor, hæret faucibus arida lingua: vix ut voci viam præbeant.
Dederitis. Penultimam producit, non ſine exemplo.
In undis. Cum aquam dabitis mihi, cadem opera dabitis vitam, quia ſiti emorior.
Caſu. Forte.
Diſtulit. Ulciſcendi juſtam cupiditatem prius explendam Latona duxit, quam ſitim. Legitur in quibuſdam codd. MSS. *ſuſtulit*.
Filia Cœi. Latona, Cæi, unius e Titanibus, filia.
Minora Dea. Modeſtiora, quam quæ Deam decerent.
Eveniunt. Dicta Latonæ, & vota, ſequitur eventus. Ita res contigit, ut optabat Dea.
Juvat, &c. Agricolæ abdunt ſe in undas ultro.
Summo gurgite. In ſtagni ſuperficie.
Litibus. Conviciis.

Ri-

Iſſaque dilatant patulos convicia rictus,
Terga caput tangunt, colla intercepta videntur;
Spina viret; venter, pars maxima corporis, albet,
Limoſoque novæ ſaliunt in gurgite ranæ.

Rictus. Hiatum oris. Ranas pingit. *Intercepta*. Dempta videntur, & reciſa: adeo contracta ſunt. *Spina viret*. Dorſum eſt viride. *Albet*. Albidus eſt.

I X.

Marſyas victus ab Apolline; Pelopis humerus eburneus.

Sic ubi neſcio quis Lycia de gente virorum
Rettulit exitium; ſatyri reminiſcitur alter,
Quem Tritoniaca Latous arundine victum
Affecit pœna. Quid me mihi detrahis, inquit?
Ah piget: ah non eſt, clamabat, tibia tanti!
Clamanti cutis eſt ſummos direpta per artus,
Nec quicquam niſi vulnus erat; cruor undique manat,
Detectique patent nervi; trepidæque, ſine ulla
Pelle, micant venæ: ſalientia viſcera poſſes,
Et perlucentes numerare in pectore fibras.

Sic unus, &c. Poſtquam unus aliquis Lycios agricolas hoc modo mutatos, & eorum exitium, narravit; alter quiſpiam Marſyæ ſatyri calamitoſam necem refert. Ordo verborum hic eſt: Ubi neſcio quis ſic retulit exitium virorum de gente Lycia.

Reminiſcitur. Recordatur, commemorat.

Tritoniaca. Quam invenit Tritonia, ideſt, Minerva. Lib. II. n. 17.

Arundine. Fiſtula, tibia.

Latous. Apollo, filius Latonæ.

Me. Meam pellem. Eum Apollo cute ſpoliabat.

Piget. Pœnitet certaſſe tecum tibia, cantu.

Non eſt tanti. Non tanti momenti eſt, ut ego propter illam afficiendus tam crudeli pœna ſim, ac pelle ſpoliandus. Tua de me victoria levior eſt, quam ut eam adeo crudeliter exerceas.

Summos per artus. Per manuum extremas, pedumque partes.

Micant. Palpitant.

Perlucentes. Venulas, & nervos, qui trans pectoris crates lucebant, ac perſpiciebantur.

Illum ruricolæ ſilvarum numina Fauni,
Et Satyri fratres, & tunc quoque clarus Olympus,
Et Nymphæ flerunt, & quiſquis montibus illis
Lanigeroſque greges, armentaque bucera pavit.
Fertilis immaduit, madefactaque terra caducas
Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis.
Quas ubi fecit aquam, vacuas emiſit in auras.
Inde, petens rapidum ripis declivibus æquor
Marſya nomen habet, Phrygiæ liquidiſſimus amnis.
Talibus exemplis redit ad præſentia dictis.
Vulgus, & extinctum cum ſtirpe Amphiona luget.
Mater in invidia eſt. Hanc tunc quoque dicitur unus
Fleſſe Pelops, humeroque ſuas a pectore poſtquam
Deduxit veſtes, ebur oſtendiſſe ſiniſtro.
Concolor hic humerus, naſcendi tempore, dextro,
Corporeuſque fuit, manibus mons cæſa paternis

Fauni, Satyri. Lib. I. n. 8. *Et tunc &c.* Satyrum quemdam, Olympum nomine, commemorant Diodorus, Strabo, &c. quem iſtius Marſyæ diſcipulum fuiſſe volunt, vel fratrem.
Bucera. Bubula, Boum.
Caducas. Cadentes e ſatyrorum oculis.
Concepit. Accepit intimo ſinu.
Fecit aquam. In unum collegit: in fluvii materiam conflavit.
Emiſit in auras. Super terram effudit.
Inde. Ex his lacrymis:
Declivibus. Pronis.
Talibus exemplis dictis. Poſtquam vulgus exempla hæc priſca commemoravit, refert animum & orationem ad exempla præſentia, ad Amphionis calamitatem, ejuſque liberorum. Heinſius ſcribendum clamat: *Talibus extemplo . . . dictis*.
Mater in invidia eſt. Omnes accuſant Nioben: quippe, quæ ob ſuperbiam, cauſa fuerit tanti exitii. Nemo illam flevit, præter unum Pelopem, ejus fratrem, Tantali ſcilicet filium.
Humeroque, &c. Et poſtquam veſtes a pectore deduxit, ac removit, oſtendiſſe ebur in humero ſiniſtro; conſpectum fuiſſe humerum ipſius ſiniſtram eburneum. Solebant in luctu veſtes diloricare, & ſcindere.
Concolor, &c. Humerum ſiniſtrum Pelops, quando eſt natus, ejuſdem coloris, formæ, ac materiæ, habebat, cum dextro humero, & perinde carneum: poſtea eburneum ſortitus eſt. Ita fert fabula: Tantalus, ut experiretur an Dii eſſent,

quos

Membra ferunt junxiſſe Deos, aliiſque repertis,
Qui locus eſt juguli medius, ſummique lacerti,
Defuit: impoſitum eſt, non comparentis in uſum
Partis, ebur, factoque Pelops fuit integer illo.

quos exceperat hoſpitio, illis filium ſuum Pelopem interfectum, & coctum, appoſuit. Ceres avidior, & ignara, humerum comedit. Alii crudelitatem, & funeſtas dapes execrati, membra Pelopis junxere, animam ab inferis evocavit Mercurius: revixit Pelops, at humero ſiniſtro carebat; ejus in locum ſuffectus eſt eburneus.

Aliis. Partibus corporis.

Qui locus. Pars illa corporis, quæ inter jugulum, & ſummum brachium eſt, nempe humerus, reperta non eſt; abfuit.

Non comparentis partis. Quæ non exſtabat, non reperiebatur.

Facto illo. Poſt inſertum ex ebore humerum. Illo Deorum beneficio, corpus integrum, ac nulla parte mancum, habuit.

X.

Teres, Thracia rex, Procnen Pandionis Athenarum regis filiam, ducit.

Finitimi proceres coeunt, urbeſque propinquæ
Oravere ſuos ire ad ſolatia reges,
Argoſque, & Sparte, Pelopeiadeſque Mycenæ,
Et nondum torvæ Calydon inviſa Dianæ;
Orchomenoſque ferax, & nobilis ære Corinthos.

Finitimi. Thebis vicini.

Coeunt. Confluunt Thebas, ut Pelopem conſolentur, & extinctam domum Amphionis lugeant.

Urbeſque. Vicinæ civitates oraverunt ſuos reges, & principes, ut irent Thebas, conſolaturi Pelopem . . .

Argos, *Sparte*. Urbes Peloponneſi. Item Mycenæ, quas condidit Perſeus, auxere poſteri Pelopis: hinc *Pelopejades* vocantur.

Calydon. Oppidum Ætoliæ, nunc *Ayton*, cujus ager poſtea vaſtatus fuit ab immiſſo per Dianam apro, ut fuſe narrat Lib. VIII.

Orchomenos. Urbs Græciæ, in Bœotia, itemque in Arcadia: *Orcomeno*.

Corinthos. In faucibus Peloponneſi, & iſthmo, ſita, nunc *Coranto*. Celebratur æs Corinthiacum, & auro ipſi æquiparatur. Corinthum Lucius Mummius incendit anno ab Urbe condita ſexcenteſimo octavo.

Meſſeneque ferox, Patræque, humileſque Cleonæ,
Et Nelea Pylos, neque adhuc Pitteia Trœzen;
Quæque urbes aliæ bimari clauduntur ab iſthmo;
Exteriuſque ſitæ bimari ſpectantur ab iſthmo.
Credere quis poſſet? ſolæ ceſſaſtis Athenæ:
Obſtitit officio bellum, ſubvectaque ponto
Barbara Mopſopios terrebant agmina muros.
Threicius Tereus hæc auxiliaribus armis

Deflagravit hoc incendio ingens numerus ſtatuarum ex auro, ære, argento; e confuſis, & confluentibus in unum, metalis natum eſt illud æris pretioſi genus. Flor. Lib. II. Plin. Lib. XXXIV. c. 1.

Meſſene. Urbs Peloponnēſis, hodie *Moſeniga*. Ferox vocatur, quia diu & acriter pugnavere Meſſenii contra Lacedæmonios, pro imperio ac libertate.

Patræ. In Achaja, ad fauces ſinus Corinthiaci. *Patras*.

Humiles. Modicæ, ignobiles. Cleonæ, Argos inter, & Corinthum, jacent, nunc vicus *San Vaſilii* dictus, Non procul erat Nemea ſilva: ubi leonem Hercules interfecit Cleonæum, ob viciniam, a poetis vocari ſolitum.

Nelea. In urbe Pylo (*Navarrino*) regnavit Neleus, pater Neſtoris.

Trœzen. Urbs Peloponneſi, hodie *Trezina*. Nondum Pittheja dicebatur (ait Vates quia nempe nondum eam obtinebat Pittheus, Æthræ, matris Theſei, pater.

Quæque urbes, &c. Thebas venerunt reges urbium omnium Græciæ, tum illarum, quæ in Peloponneſo ipſa ſunt (eſt pars infima Græciæ, ad meridiem) & ab iſthmo veluti clauduntur: tum earum, quæ extra iſthmum poſitæ, v. gr. in Attica, Macedonia, Theſſalia, &c. cernuntur ab ipſo iſthmo. Porro iſthmus, eſt anguſtus terræ tractus, inter duo maria poſitus, & duas continens partes quaſi committens, jungenſque: qualis eſt inter Peloponneſum, & reliquam Græciam.

Bimari. Lib. V. n. 11.

Credere, &c. Soli Athenienſes non adfuerunt, quod incredibile merito videatur. Non enim decebat urbem tam piam, tam præſtantem, huic officio deeſſe. Sed quominus eo fungerentur, impedivit bellum, quo premebantur: domo abeſſe non poterant.

Subvecta ponto. Claſſe invecta.

Barbara agmina. Amazones Atticam incurſaverunt Pandione rege, Theſei avo, Ægei patre: quod bellum huic tempori & hiſtoriæ quadrat. De illis plura vide lib. IX. 6. XV. 12. Append. 15. 16.

Mopſopios. Athenienſes. Attica olim dicta eſt Mopſopia, a rege Mopſo.

Threicius. Rex Thraciæ

Eſt

Fuderat, & clarum vincendo nomen habebat.
Quem ſibi Pandion opibuſque viriſque potentem,
Et genus a magno ducentem ſorte Gradivo,
Connubio Procnes junxit. Non pronuba Juno,
Non Hymenæus adeſt, non illi Gratia lecto.
Eumenides tenuere faces de funere raptas,
Eumenides ſtravere torum, tectoque profanus
Incumbuit bubo, thalamique in culmine ſedit.
Hac ave conjuncti Procne, Tereuſque parentes
Hac ave ſunt facti. Gratata eſt ſcilicet illis
Thracia, Diſque ipſis grates egere, diemque
Quoque data eſt claro Pandione nata tyranno,
Quoque erat ortus Itys, feſtum juſſere vocari.
Uſque adeo latet utilitas. Jam tempora Titan

Eſt Europæ regio ampla, ſupra Ægæum mare: nunc *Romania* vocatur.

Hæc fuderat. Agmina barbarorum deleverat: Amazonibus fugatis, Athenas obſidione liberaverat.

Viris. Exercitu.

Forte. Illuſtre.

Gradivo. Marte. Vide Appendicis cap. 4.

Procnes. Filiæ ſuæ.

Junxit. Affinitate,fœdere.

Pronuba. Quæ nubentibus præeſt. Nuptiarum conciliatrix. *Adeſt*. Favet.

Gratia. Tres Gratiæ, quæ Charites vocantur a Græcis. Appendicem conſule cap. 9.

Lecto. Matrimonio.

Eumenides. Furiæ. Græca vox εὐμενὴς, benevolas, placidaſque ſignificat, ac per antiphraſim, malevolas, & implacabiles.

Faces. Diximus ſponſas deduci ſolitas in ſponſi ædes, præeuntibus tædis.

De funere. De buſtis. Funereas tædas, quales præferuntur funeribus, geſtavere.

Profanus. Male ominatus, funeſtus.

Hac ave. Hoc omine. Bubone augurium dante, auſpicium faciente. Solebant aves inſpici volantes, canenteſve: hinc ducebatur conjectura eventus futuri, fortunati, ſi aves bonæ faverent: infortunati, ſi ſecus. Hinc illæ locutiones; aliquid aggredi alite bona, id eſt, proſpere, ac fæliciter: alite mala, & ſiniſtra, id eſt, inauſpicate.

Conjuncti. Matrimonio juncti.

Facti ſunt parentes. Natus eſt illis filius Itys.

Quo nata &c. Diem nuptiarum.

Tyranno. Tereo.

Uſque adeo. Adeo ignorant homines, quid utile ſibi ſit. Satius fuiſſet, numquam Procnen Tereo nupſiſſe, numquam editum in lucem Itym: utraque lugendi cauſa potius, quam gratulandi fuit. Multa egregie docet in hanc ſententiam Juvenalis ſub finem

Quinque per autumnos repetitis duxerat annis:
Cum blandita viro Procne, Si gratia, dixit,
Ulla mea eſt, vel me viſendam mitte ſorori,
Vel ſoror huc veniat; redituram tempore parvo
Promittes ſocero: magni mihi muneris inſtar
Germanam vidiſſe, dabis. Jubet ille carinas
In freta deduci, veloque, & remige, portus
Cecropios intrat, Piræaque littora tangit.
Ut primum ſoceri data copia, dextera dextræ
Jungitur; infauſto committitur omine ſermo.

finem Satyræ X. *Nil ergo optabunt homines, &c.*

Jam &c. Effluxerant anni quinque.

Si gratia, &c. Si quid apud te poſſum. Si me amas.

Sorori. Philomelæ.

Socero. Pandioni, meo patri.

Ille. Tereus.

Cecropios. Athenienſes.

Piræa. Piræus, Athenarum portus: ad oſtium fluvii Cephiſi, in ora ſinus Saronici: nunc *Il Porto Lione, & Porto Draca.*

Ut primum. Statim atque Pandionem Tereus adiit, & allocutus eſt.

X I.

Philomela, Procnes ſoror, in Thraciam deducitur a Tereo.

Cœperat, adventus cauſam, mandata referre
Conjugis; & celeres miſſæ ſpondere recurſus:
Ecce venit magno dives Philomela paratu,
Divitior forma, quales audire ſolemus
Najadas, & Dryadas mediis incedere ſilvis;
Si modo des illis cultus, ſimileſque paratus.
Non ſecus exarſit conſpecta virgine Tereus,
Quam, ſi quis canis ignem ſupponat ariſtis,

Cœperat, &c. Tereus inceperat exponere Pandioni, mandata, & deſiderium, Procnes; quæ ſcilicet cauſa erat cur ipſe Athenas veniret.

Et celeres &c. Et polliceri futurum, ut celeriter rediret Philomela, ſi mitteretur ad ſororem, in Thraciam,

Divitior. Vox antiqua, & Latina.

Cultus. Veſtes, ornamenta. Najades erant nymphæ fontium præſides; Dryades, ſilvarum.

Canis. Flavis, maturis. Fe-

Aut frondem, poſitaſque cremet fenilibus herbas;
Jamque moras male fert, cupidoque revertitur ore
Mandata ad Procnes, & agit ſua vota ſub illis.
Facundum faciebat amor, quotieſque rogabat
Ulterius juſto, Procnen ita velle ferebat:
Addidit & lacrymas, tamquam mandaſſet & illas.
Proh Superi, quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent! ipſo ſceleris molimine Tereus
Creditur eſſe pius; laudemque a crimine ſumit.
Quid quod idem Philomela cupit? patrioſque lacertis
Blanda tenens humeros, ut eat viſura ſororem.
Perque ſuam, contraque ſuam, petit illa ſalutem.
Vincitur amborum Genitor prece. Gaudet, agitque
Illa patri grates, & ſucceſſiſſe duabus
Id putat infelix, quod erat lugubre duabus.
Jam labor exiguus Phœbo reſtabat, equique
Pulſabant pedibus ſpatium declivis olympi.
Regales epulæ menſis, & Bacchus in auro
Ponitur, hinc placido dantur ſua corpora ſomno.

Fenilibus. In apothecis, in horreis, ubi fenum conditur.

Cupidoque &c. Sæpe commemorat, quæ habeat ab uxore ſua Procne mandata: nempe adducendæ Philomelæ.

Et agit &c. Sub nomine ac prætextu Procnes, ejuſque mandatorum, cupiditati ſuæ votis, & libidini, ſervit ac velificatur.

Facundum. Eloquentem.

Quoties &c. Si quid peteret, quod minus æquum videretur.

Quantum noctis habent! Quam ſunt abdita! quantum ſimulationis, ac diſſimulationis, habent.

Pius. Humanus, officioſus: quaſi votis Procnes, ac benevolentiæ in ſororem, faveret; interim dum ſcelus moliebatur.

Idem. Ipſa quoque ut in Thraciam proficiſcatur cum Tereo, petit.

Per ſuam ſalutem petit. Per ſuum caput. Tamquam rem ſibi ſalutarem, & optandam, poſtulat, quæ contra ſalutem, quæ noxia ipſi, & exitialis futura erat.

Amborum prece. Terei, & Philomelæ.

Succeſſiſſe. Datam eſſe diſcedendi facultatem, quam petebant: rem e voto ceſſiſſe.

Duabus. Sibi, & ſorori.

Declivis. In occaſum proni.

In auro. Poculis aureis.

Lux erat, & generi dextram complexus euntis
Pandion, comitem lacrymis commendat obortis,
Ut voluere ambæ, voluiſti tu quoque Tereu,
Hanc ego, chare gener, quoniam pia cauſa coegit,
Do tibi, perque fidem, cognataque pectora ſupplex,
Per Superos oro, patrio ut tuearis amore,
Et mihi ſollicitæ lenimen dulce ſenectæ
Quamprimum (omnis erit nobis mora longa) remittas.
Tu quoque quamprimum (ſatis eſt vidiſſe ſororem)
Si pietas ulla eſt, ad me, Philomela, redito.
Mandabat, pariterque ſuæ dabat oſcula natæ,
Et lacrymæ mites inter mandata cadebant.
Utque, fide pignus, dextras utriuſque popoſcit,
Inter ſeque datas junxit; natamque, nepotemque,
Abſentes, pro ſe, memori rogat ore ſalutent:
Supremumque vale, pleno ſingultibus ore,
Vix dixit, timuitque ſuæ præſagia mentis.

Lux erat. Orta dies erat. Poſtquam illuxit.

Generi. Terei.

Euntis. In Thraciam redeuntis.

Comitem. Philomelam.

Ut voluere, &c. Hæc dicit Pandion. Ego, inquit, ſecundum ambarum vota, atque adeo, tua, do tibi hanc, &c.

Pia cauſa. Sororis videndæ deſiderium.

Satis eſt vidiſſe ſororem Boni, teſte Heinſio, codices habent, *Satis eſt procul eſſe ſororem*: hoc ſenſu: Satis mihi magnum mœrorem affert ſororis tuæ Procnes abſentia, ne hunc meum dolorem cumula, reditum tuum diutius differendo. Si magis arridet *vidiſſe*, ſic interpretaberis: ſufficiet ſororem obiter videre: apud illam diebus paucis morari ſatis eſt.

Si pietas ulla eſt. Si patris amore tangeris. Si me amas.

Utque fide. Poſtquam petiit a Tereo, & Philomela, ut ſuas ſibi manus darent, tamquam pignora, quibus fieret ſecurus de præſtandis fideliter iis, quæ ſibi promiſerat. *Fide* hic, pro *Fidei*, ponitur, poetice.

Nepotem. Itym. Procnes & Terei filiolum.

Salutent ore memori. Salutare ſuis verbis meminerint.

Timuit &c. Ægre dixit noviſſimum vale; nec niſi ſuſpirans, & multo cum ſingultu, quod omen, velut infelix pertimuit: ex eo aliquid mali auguratus. Inceſſit metus, ne mens aliquid mali præſagiret.

At, ſimul impoſita eſt pictæ Philomela carinæ,
Admotumque fretum remis, tellusque repulſa eſt,
Vicimus, exclamat, mecum mea vota feruntur,
Exultatque, & vix animo ſua gaudia differt
Barbarus, & nuſquam lumen detorquet ab illa.
Non aliter, quam cum pedibus prædator aduncis
Depoſuit nido leporem Jovis ales in alto;
Nulla fuga eſt capto: ſpectat ſua præmia raptor.

Admotumque . . Et remi admoti ſunt freto: immerſi æquore: tellus viſa recedere.

Jovis ales. Aquila.

Nulla &c. Fugere nequit captus lepuſculus. Sic Philomela Terei libidinem effugere non potuit.

XII.

Philomela certiorem de Terei ſcelere ſororem ſuam facit.

Illa tremit, velut agna pavens, quæ ſaucia cani
Ore excuſſa lupi, nondum ſibi tuta videtur.
Utque columba, ſuo madefactis ſanguine plumis,
Horret adhuc, avidoſque timet, quibus hæſerat,
ungues.
Mox, ubi mens rediit, paſſos laniata capillos
Lugenti ſimilis, cæſis plangore lacertis,
Intendens palmas, O diris, barbare, factis,
O crudelis, ait: nec te mandata parentis,
Cum lacrymis movere piis, nec cura ſororis.
Si tamen hoc Superi cernunt, ſi numina divum
Sunt aliquid, ſi non perierunt omnia mecum,
Quandocumque mihi pœnas dabis. Ipſa, pudore
Projecto, tua facta loquar: ſi copia detur,

Illa. Philomela, injuriam a Tereo paſſa.

Cani. Vetuſti. Senis.

Ungues. Vulturis.

Ubi mens rediit. Poſtquam ſe collegit e dolore.

Paſſos. Diſſipatos, ſolutos.

Lugenti. Lugere proprie dicuntur, qui mortuos plorant.

Parentis. Pandionis.

Sunt aliquid. Si qui vere Superi ſunt, ſi quid poſſunt.

Quandocumque. Aliquando tandem.

Projecto. Depoſito, palam & audacter.

Si copia, &c. Si licebit mihi, in luce atque oculis popu-

In populos veniam; ſi ſilvis clauſa tenebor,
Implebo ſilvas, & conſcia ſaxa movebo.
Audiet hæc æther, &, ſi Deus ullus in illo eſt.
Talibus ira feri poſtquam commota tyranni,
Nec minor hac metus, eſt; cauſa ſtimulatus utraque
Quo fuit accinctus, vagina liberat enſem,
Arreptamque coma, flexis poſt terga lacertis,
Vincla pati cogit. Jugulum Philomela parabat,
Spemque ſuæ mortis viſo conceperat enſe.
Ille indignantem, & nomen patris uſque vocantem,
Luctantemque loqui, comprehenſam forcipe linguam
Abſtulit enſe fero: radix micat ultima linguæ;
Ipſa jacet, terræque tremens immurmurat atræ.
Utque ſalire ſolet mutilatæ cauda colubræ,
Palpitat, & moriens dominæ veſtigia quærit.
Suſtinet ad Procnes, poſt talia facta, reverti.
Conjuge quæ viſo, germanam quærit: at ille
Dat gemitus fictos, commentaque funera narrat:
Et lacrymæ fecere fidem. Velamina Procne
Deripit ex humeris auro fulgentia lato.
Induiturque atras veſtes, & inane ſepulchrum
Conſtituit, falſiſque piacula Manibus infert,
Et luget, non ſic lugendæ, fata ſororis.

pulorum, prædicabo tuum ſcelus.

Implebo. Querelis.

Et, ſi &c. Et Deus hæc, nempe iſtas meas querelas, audiet, ſi quis in cœlo Deus eſt.

Talibus. Poſtquam hac oratione Philomelæ, ira Terei, & iræ par metus, exarſit.

Metus. Ne Pandion rem cognoſceret.

Cauſa utraque. Ira, & metu.

Vincla. Quibus ejus manus poſt tergum vinciebat.

Radix linguæ. Pars ima, gutturi adhærens, tremit, ſubſilit.

Ipſa jacet. Lingua: pars ejus major, humi jacet.

Commenta. Simulata. Mortuam narrat.

Lacrymæ fecere fidem. Perſuaſerunt eum vera narrare.

Inane. Vacuum corpore: cenotaphium.

Falſis manibus. Umbræ ſororis, quam falſo credit extinctam.

Manibus. Lib. II. num. 7. XIV. num. 3.

Piacula. Sacrificia piandis, hoc eſt purgandis, mortuorum animabus, inventa: quæ proprie Inferiæ dicebantur.

Non ſic lugendæ. Non ulci-

Signa Deus bis ſex acto luſtraverat anno.
Quid faciat Philomela? fugam cuſtodia claudit,
Structa rigent ſolido ſtabulorum mœnia ſaxo,
Os mutum facti caret indice. Grande doloris
Ingenium eſt, miſeriſque venit ſolertia rebus.
Stamina barbarica ſuſpendit candida tela:
Purpureaſque notas filis intexuit albis,
Indicium ſceleris, perfectaque tradidit uni,
Utque ferat dominæ geſtu rogat. Illa rogata
Pertulit ad Procnen, nec ſcit quid tradat in illis.
Evolvit veſtes ſævi matrona tyranni,
Fortunæque ſuæ carmen miſerabile legit,
Et (mirum eſt potuiſſe) ſilet: dolor ora repreſſit,
Verbaque quærenti ſatis indignantia linguæ
Defuerant; nec flere vacat, ſed faſque, nefaſque
Confuſura ruit, pœnæque in imagine tota eſt.

ciſcendæ meris lacrymis.

Signa, &c. Jam annus integer abierat. *Deus*. Sol.

Bis ſex. Aſtra duodecim Zodiaci, quorum unum ſingulis menſibus Sol percurrit. Lib. II. num. 1.

Cuſtodia. Carcer, excubiæ.

Stabulorum. Ubi abdita ſervabantur.

Os mutum. Indicare ſcelus non poteſt, quia caret lingua.

Ingenium. Induſtria.

Miſeris &c. In calamitate homines fiunt ſolertes, & acuti ad quærendum effugium, ad invenienda remedia.

Stamina &c. Telam componit, cujus directa fila erant candida: fila vero tranſverſa erant purpurea, ſic, ut albis intertexta, notas ac litteras efficerent; quæ Terei facinus explicabant. Quid ſit ſtamen, & ſubtemen, expoſui ſupra, n. 1.

Barbarica tela. Sic vocatur tela picta, & figuris diſtincta, quam artem maxime callebant Phryges, quos Græci barbaros præcipue vocitabant.

Uni. Ancillæ.

Dominæ. Procne.

Veſtes. Velum a Philomela miſſum.

Matrona. Uxor Terei.

Fortunæ. Calamitatis ſuæ indices notas, in velo pictas.

Et, mirum, &c. Et ſilet, mirum eſt eam id potuiſſe; nimirum ſilere, in tanto luctu.

Verbaque &c. Verba ſatis atrocia, ad ſceleris tanti deplorandam indignitatem, defuerunt linguæ ea quærenti.

Vacat. Libet, juvat, otium eſt.

Faſque, nefaſque &c. Fixum habet, omnia Divina, & humana jura perturbare, ut pœnas a Tereo ſumat, quas animo ſic revolvit, comminiſciturque, ut omnis in ea cogitatione ſit, nihil aliud diu, noctuque, agitet.

Proc-

XIII.

Procne Philomelam educit e carcere, Itym filium neci deſtinat.

Tempus erat, quo ſacra ſolent Trieterica Bacchi
Sithoniæ celebrare nurus: nox conſcia ſacris:
Nocte ſonant Rhodope tinnitibus æris acuti.
Nocte ſua eſt egreſſa domo regina, Deique
Ritibus inſtruitur, furialiaque accipit arma.
Vite caput tegitur, lateri cervina ſiniſtro
Vellera dependent, humero levis incubat haſta
Concita per ſilvas, turba comitante ſuarum,
Terribilis Procne, furiiſque agitata doloris,
Bacche, tuas ſimulat: venit ad ſtabula avia tandem
Exululatque, Evoeque ſonat, portaſque refringit,
Germanamque rapit, raptæque inſignia Bacchi
Induit, & vultus hederarum frondibus abdit,
Attonitamque trahens intra ſua mœnia ducit,
Ut ſenſit tetigiſſe domum Philomela nefandam,
Horruit infælix, totoque expalluit ore.
Nacta locum Procne, ſacrorum pignora demit.

Sacra Trieterica. Bacchi ſacra, tertio quoque anno ſplendidus, & majori apparatu celebrari ſolita. τρεῖς, τρία, *tres*: ἔτος *anni*. Dicuntur inſtituta in memoriam triennii, quod Bacchus in Indica expeditione conſumpſit.

Sithoniæ nurus. Thraciæ matronæ. Sithonia: Thraciæ pars.

Conſcia. Teſtis eſt, & ſacrorum arbitra. Noctu peragebantur Orgia.

Rhodope. Mons Thraciæ: *Il Monte Argentaro*.

Tinnitibus æris. Cymbalis percuſſis.

Regina. Procne.

Dei ritibus. Sumit veſtes & alia ornamenta conſtituta & præcepta ritibus ſacrorum Bacchi.

Arma. Thyrſos. Lib. III. num. 9.

Vite. Corona pampinea.

Tuas. Furias. Inſtar Mænadis furit.

Avia. Seducta, occulta.

Evoe. Vox, qua Bacchum inclamabant Mænades. Lib. IV. n. 1.

Ut ſenſit, &c. Poſtquam ingreſſa eſt domum Terei raptoris.

Locum. Abditum, in ædibus Terei.

Sacrorum pignora. Ornamenta, inſignia, nempe frondes hederæ, quibus vultum ejus occultaverat, pel-

Oraque develat miſeræ pudibunda ſororis,
Amplexumque petit. Sed non attollere contra
Suſtinet hæc oculos, lacrymiſque indulget. At iram
Non capit ipſa ſuam Procne, fletumque ſororis
Corripiens, non eſt lacrymis hoc, inquit, agendum
Sed ferro; ſed, ſi quid habes, quod vincere ferrum
Poſſit, in omne nefas ego me, germana, paravi.
Aut ego cum facibus regalia tecta cremabo,
Artificem mediis immittam Terea flammis:
Aut linguam, aut oculos, rapiam; aut per vulnera mille
Sontem animam expellam: magnum eſt quodcumque paravi:
Quid ſit adhuc dubito. Peragit dum talia Procne,
Ad matrem veniebat Itys; quid poſſit, ab illo
Admonita eſt; oculiſq; tuens immitibus, Ah? quam
Es ſimilis patri, dixit: nec plura locuta,
Triſte parat facinus, tacitaque exæſtuat ira,
Ut tamen acceſſit natus, matrique ſalutem
Attulit, & parvis adduxit colla lacertis,
Miſtaque blanditiis puerilibus oſcula junxit,
Mota quidem eſt genitrix, infractaque conſtitit ira,
Invitique oculi lacrymis maduere coactis:
Sed, ſimul ex nimia mentem pietate labare
Senſit, ab hoc iterum eſt ad vultus verſa ſororis,
Inque vicem ſpectans ambos, Cur admovet, inquit,

pellem, tyrſum, &c.

Corripiens. Caſtigans, reprehendens.

Non eſt &c. Non eſt ultio fletu peragenda. Pro, *hoc agendum*, reponit Heinſius, *hic agendum*.

Artificem. Auctorem flagitii.

Sontem. Sceleratam.

Magnum eſt, &c. Mente agito grande aliquod malum, quo Tereum afficiam; quid ſit illud nondum deſignavi.

Peragit. Loquitur, agitat.

Quid poſſit &c. Ex aſpectu filii cognovit quantum inferre mali poſſet Tereo, ſcilicet, ſi filium patri epulandum apponeret.

Adduxit. Ut oſcularetur matrem puerulus, ejus collum ad ſe inclinavit, & leniter attraxit.

Infracta. Mitigata, compreſſa.

Simul. Statim atque.

Labare. Ad commiſerationem inflecti.

Ab hoc. Ab Ityos aſpectu.

Inque vicem. Per vicos

nunc

Alter Blanditias? rapta ſilet altera lingua?
Quam vocat hic matrem, cur non vocat illa ſororem?
Cui ſis nupta vide. Pandione nata, marito:
Degeneras; ſcelus eſt pietas in conjuge Tereo.

nunc Ityn, nunc ſororem.

Non vocat. Cur lingua caret, qua me ſororem vocet?

Cui. Quam fcro & crudeli.

Pandione nata. Seipſam alloquitur: & memoria paternæ virtutis, ac nobilitatis, ad ultionem ſe ſtimulat.

Degeneras. Niſi ſcelus tantum ulciſceris, degenerem te probas, & indignam, quæ Pandione ſis nata.

Scelus eſt, &c. Uti pietate ac miſericordia erga Tereum, crimen eſt. Vel: Quicquid ſceleris admittes, ad repetendas de Tereo pœnas, pietatis obtinere nomen debet.

XIV.

Procne mactatum filium Tereo apponit: Ipſa ejuſque ſoror, ac Tereus, in aves mutantur.

Nec mora traxit Ityn, veluti Gangetica cervæ
Lactentem fœtum per ſilvas tigris opacas:
Utque domus altæ partem tenuere remotam,
Tendentemque manus, & jam ſua fata videntem,
Et mater, mater, clamantem, & colla petentem,
Enſe ferit Procne, lateri qua pectus adhæret:
Nec vultus vertit. Satis illi ad fata vel unum
Vulnus erat: jugulum ferro Philomela reſolvit,
Vivaque adhuc, animæq; aliquid retinentia membra,
Dilaniat: pars inde cavis exſultat ahenis,
Pars verubus ſtridet: manant penetralia tabo.

Veluti, &c. Inſtar tigridis, quæ lactentem cervæ catulum raptat per ſilvam. Ganges, fluvius Indiæ.

Sua fata. Necem imminentem.

Colla petentem. Matris collum amplexari geſtientem.

Nec vultum vertit. Irretorto vultu filium aſpicit morientem.

Illi. Puero.

Ad fata. Ad mortem oppetendam. *Reſolvit*. Aperit.

Pars. Membrorum.

Inde. Poſt hanc cædem peractam, vel: ex his membris.

Exſultat. Bullit: coquitur.

Verubus ſtridet. Infixa torretur.

Penetralia. Domus interior.

Tabo. Cruore mactati pueri.

His,

His adhibet conjux ignarum Terea menſis ,
Et patrii moris ſacrum mentita, quod uni
Fas ſit adire viro , comites, famuloſque removit.
Ipſe ſedens ſolio Tereus ſublimis avito
Veſcitur, inque ſuam ſua viſcera congerit alvum:
Tantaque nox animi eſt, Ityn huc accerſite, dixit,
Diſſimulare nequit crudelia graudia Procne,
Jamque ſuæ cupiens exiſtere nuntia cladis,
Intus habes, quem poſsis, ait : circumſpicit ille ,
Atque ubi ſit, quærit: quærenti, iterumq; vocanti,
Sicut erat ſparſis furiali cæde capillis ,
Proſiluit, Ityoſque caput Philomela cruentum
Miſit in ora patris, nec tempore maluit ullo
Poſſe loqui, & mentis teſtari gaudia dictis.
Thracius ingenti menſas clamore repellit,
Vipereaſque ciet Stygia de valle ſorores,
Et modo, ſi poſſet, reſerato pectore diras
Egerere inde dapes, demerſaque viſcera, geſtit :
Flet modo , ſeque vocat buſtum miſerabile nati ,
Nunc ſequitur nudo genitas Pandione ferro.

His, &c. Has illi dapes, nempe coctum , toſtumque filium, apponit.

Terea. Græcus accuſandi caſus.

Et patrii, &c. Simulans velle ſe ſacrificium peragere , Athenienſium ritu ; ſive , ſacram cærimoniam , aut epulum , cui fas eſſet ſolum maritum ſuum intereſſe, juſſit omnes miniſtros abſiſtere.

Sua viſcera. Filium , ex ſe natum.

Nox. Cæcitas , ignorantia.

Suæ cladis. Facinoris a ſe patrati : non ſine ſuo damno.

Intus. Intra tua viſcera.

Furiali cæde. Dum , inſtar furiæ , nepotem jugulaverat.

Proſiluit. In medium procurrit.

Dictis. Voce.

Ciet. Evocat.

Sorores. Furias. Eumenides.

Reſerato. Aperto, ſecto.

Egerere. Extrahere , exſpuere.

Demerſa. In alvum ingeſta. Heinſius verum putat, *Semeſa*.

Buſtum. Sepulchrum.

Genitas Pandione. Procnen & Philomelam : quas verſu ſequenti Cecropidas, id eſt, Athenienſes, vocat. Cecrops Athenienſium rex primus. Nam Actæi , qui prius Cecrope regnaſſe dicitur, obſcurius nomen eſt.

Corpora Cecropidum pennis pendere putares,
Pendebant pennis: quarum petit altera ſilvas,
Altera tecta ſubit, neque adhuc de pectore cædis
Exceſſere notæ, ſignataque ſanguine pluma eſt.
Ille dolore ſuo, pœnæque cupidine, velox
Vertitur in volucrem, cui ſtant in vertice criſtæ,
Prominet immodicum pro longa cuſpide roſtrum:
Nomen Epops volucri, facies armata videtur.

Altera. Philomela in luſciniam mutata.

Altera. Procne, in hirundinem.

Tecta ſubit. Domos & urbes frequentat.

Neque adhuc, &c. Pennæ luſciniarum, & quorumdam hirundinum, rubro, & ſanguineo colore tinctæ ſunt.

Volucrem. Upupa dicitur a Latinis: epops, a Græcis, Hirundines, ac luſcinias inſectatur. Criſtam, inſtar galeæ gerit: roſtrum, prolixum, inquit vates, imitatur enſem, quo fugientes Procnen ac Philomelam inſequebatur. Oculi feroces, quaſi cædem adhuc ſpirant.

X V.

Boreas Orithyiam rapit. Zetes, & Calaïs, alati.

Hic dolor ante diem, longæque extrema ſenectæ
Tempora, Tartareas Pandiona miſit ad umbras.
Sceptra loci, rerumque capit moderamen Erechtheus,
Juſtitia dubium validiſne potentior armis.
Quatuor ille quidem juvenes, totidemque crearat
Fœmineæ ſortis, ſed erat par forma duarum.
E quibus Æolides Cephalus, te conjuge, felix

Hic dolor. De filiarum infortunio.

Ante diem, &c. Suſtulit Pandionem, nondum ſenem, immaturo funere.

Loci. Athenarum.

Erechtheus. Hunc multi ſcriptores priorem Pandione faciunt: Ovidius poſteriorem.

Duarum. Procridis, & Orithyæ. Illæ duæ pares erant forma, & ſororibus præſtabant.

E quibus. Quarum virginum Procris Cephalo collocata in matrimonium fuit: alteram, Orithyiam, ambiebat Boreas, princeps Thraciæ, &, ut vates canunt, Deus, Ventus frigidus, a Thracia flans; ſed, quominus eam conjugem haberet, obſtabant Tereus, & Thra-

Procri, fuit: Boreæ Tereus, Thraceſque nocebant,
Dilectaque diu caruit Deus Orithyia;
Dum rogat, & precibus mavult, quam viribus uti.
Aſt ubi blanditiis agitur nihil, horridus ira,
Quæ ſolita eſt illi, nimiumque domeſtica, vento,
Et merito, dixit; quid enim, mea tela reliqui
Sævitiam, & vires, iramque, animoſque minaces?
Admovique preces, quarum me dedecet uſus?
Apta mihi vis eſt, hac triſtia nubila pello,
Hac freta concutio, nodoſaque robora verto,
Induroque nives, & terras grandine pulſo.
Idem ego, cum fratres cœlo ſum nactus aperto,
(Nam mihi campus is eſt) tanto molimine luctor,
Ut medius noſtris concurſibus intonet æther,
Exſiliantque cavis eliſi nubibus ignes:
Idem ego, cum ſubii convexa foramina terræ,
Suppoſuique ferox imis mea terga cavernis,
Sollicito manes, totumque tremoribus orbem.
Hac ope debueram thalamos petiiſſe, ſocerque

Thraces, hoc eſt, memoria ſceleris a Tereo, & Thracibus, admiſſi, contra Procnem & Philomelam, regis Athenienſis filias. Recuſabant enim Athenienſes affinitatem jungere cum populo tam crudeli, tamque perfido. Hinc dilatum tandiu matrimonium Boreæ cum Orithyia fuit, quandiu rogare, quam uti viribus, maluit.

Æolides. Genus ab Æolo ducens.

Deus. Boreas.

Agitur nihil. Nihil proficere ſe videt.

Et merito. Subaudi, negatur mihi Orithyia, merito ſpernor, ſiquidem non utor iis armis, quæ mihi propria ſunt, nempe ſævitia, ira, &c. & preces adhibeo, quæ me non decent.

Sævitiam, &c. Vim & impetum, ruinam, quæ mea ſunt tela: quibus armis pugnare meum eſt.

Apta. Conveniens: decens. *Robora*. Quercus.

Verto. Everto, extirpo.

Fratres. Alios ventos.

Campus. Arena, locus pugnæ. *Concurſibus*. Præliis.

Eliſi. Expreſſi. E nubibus colliſis exiſtunt fulmina, & tonitrua; quando ſcilicet exhalationes, & vapores calidi, cum humidis luctantur.

Convexa. Cava. Quæ ſit vis hujus vocabuli, dictum Lib. I. num. 2.

Sollicito manes. Inferos emoveo: Manibus incutio metum: terram, ad inferos uſque ſuccutio.

Hac ope. His armis: hoc pacto.

Thalamos. Nuptias Orithyiæ.

Non orandus erat mihi, ſed faciendus, Erechtheus.
Hæc Boreas, aut his non inferiora, locutus
Excuſſit pennas: quarum jactatibus omnis
Afflata eſt telus, latumque perhorruit æquor.
Pulvereamque trahens perſumma cacumina pallam,
Verrit humum, pavidamque metu caligine tectus
Orithyian amans fulvis complectitur alis.
Dum volat, arſerunt agitati fortius ignes:
Nec prius aerii curſus ſuppreſſit habenas,
Quam Ciconum tenuit populos, & mœnia raptor.
Illic, & gelidi conjux Actæa tyranni,
Et genitrix facta eſt, partus enixa gemellos,
Cætera qui matris, pennas genitoris haberent.
Non tamen has una memorant cum corpore natas,
Barbaque dum rutilis aberat ſubnixa capillis,
Implumes Calaiſque puer, Zeteſque fuerunt.
Mox pariter pennæ ritu cœpere volucrum

Faciendus. Per vim cogendus, ut ſuam filiam mihi daret uxorem.

Non inferiora. Non mitiora.

Jactatibus. Agitatione.

Pulveream. Qua ingens excitabatur pulvis.

Pallam. Veſtem oblongam.

Cacumina. Montium.

Orithyian amans. Ultimam primæ vocis ſyllabam corripuit: quod ipſum in *Iphigenian* uſurpavit, in libris de Ponto.

Ignes. Amor, ignis motu & feſtinatione augetur.

Nec prius. Volare non deſtitit prius, quam &c.

Ciconum. Cicones, Thraciæ populus.

Raptor. Narrat Hermias Orithyiam Aquilonis impetu ex alto dejectam periiſſe: hinc factum ut a Vento rapta diceretur.

Illic, &c. In Thracia.

Et gelidi, &c. Actæa, id eſt Orthyias, facta eſt & conjux Boreæ, & mater geminæ prolis.

Actæa. Sic Orithyiam, appellat. Actæa, eſt idem atque Athenienſis; rationem reddidi Lib. I. numer. XI. Erat autem Orithyia Erechthei Athenienſium regis filia.

Cætera, &c. Qui reliquas partes corporis haberent ſimiles cæteris hominibus, quales in alvo materna formantur: in eo diſſimiles, quod alati eſſent.

Genitoris. Boreæ: Dant ventis alas poetæ.

Barbaque, &c. Quandiu fuerunt imberbes, alis caruere.

Subnixa. Suppoſita, ſubjecta. Legunt aliqui *ſubmiſſa*.

Utrum-

Cingere utrumque latus, pariter flaveſcere malæ:
Ergo, ubi conceſſit tempus puerile juventæ,
Vellera cum Minyis nitido radiantia villo,
Per mare non notum, prima petiere carina.

Utrumque latus. Humeros, dextrum, & ſiniſtrum. *Flaveſcere malæ*. Cœperunt genæ flava barba veſtiri, eodem tempore quo natæ ſunt pennæ. *Conceſſit*. Quando tempus pueritiæ præteriit, & locum juventæ dedit. Quando, exacta pueritia, juventutem ingreſſi ſunt: poſtquam adolevere. *Vellera, &c.* Profecti ſunt cum Argonautis, ad rapiendum vellus aureum, in navi prima omnium fabricata. Athamas, Thebarum rex (Lib. IV. 5. 6.) uxores duas habuit, Nephelen & Ino; e Nephele ſuſcepit Phryxum & Hellen. Cum Ino ſtrueret illis necem, odio novercali, fugam arripuerunt, vecti ariete quodam inſigni, & Athamanti a Superis dato. In eo ſedentes ariete mare ingreſſi ſunt; ſed Helle, Phryxi ſoror, in æquor decidit, quod ab illa Helleſpontus dictum eſt: Phryxus ad Colchos pervenit, arietem immolavit Jovi; arietis vellus, quod auri colorem referebat, dedit Æetæ, Colchorum regi, qui ſuſpendit illud ex arbore, in luco Martis, ubi ſervabatur a dracone pervigili, & tauris ignem ſpirantibus. *Minyis*. Populis Theſſaliæ, qui ad aureum vellus rapiendum ſunt profecti, cum Jaſone, Hercule, & aliis Argonautis. *Non notum*. Adhuc mortalibus ignotum: intentatum. *Carina*. Argo. Nomen id a celeritate invenit. Ἀργὸς enim Græcis eſt *celer*, *citus*. Aut ab Argo, illius architecto: vel ab Argivis, ea vectis. Prima omnium navis fuiſſe perhibetur.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER SEPTIMUS.

SYNOPSIS.

JAſon aureo vellere potitur. Medea Æſonem, ſenio confectum reſtituit in priſtinam juventutem. Peliam interficit. Ab Jaſone ſpreta, ejus conjugem, & liberos premit. Ab Ægeo excepta Theſeum, ejus filium, veneno conatur tollere. Theſeus agnoſcitur. Æginam peſtis populatur: formica mutantur in hominzes; canis in ſaxum: Procris a marito per errorem vulneratur.

I.

Argonautæ deveniunt in Colchidem. Medea Jaſonis amore capta, ſecum ipſa diu pugnat.

JAmque fretum Minyæ Pagaſæa puppe ſecabant,
Perpetuaque trahens inopem ſub nocte ſenectam
Viſus erat Phineus, juveneſque Aquilone creati

Minyæ. Lib. VI. num. 15.

Pagaſæa puppe. Argo nave quæ Pagaſis fabricata, inde Pagaſæa nuncupatur. Pagaſæ porro, nomen eſt urbis, & promontorii Theſſaliæ. *Il vollo*.

Phineus. Thraciæ rex, cujus regni fines ad Boſphorum uſque Thracium proferebantur. Dum illac tranſirent Argonautæ, diverterunt ad Phineum, diuturna cæcitate, ac ſenio laborantem; Harpyiaſque ab ejus ædibus Zetes, & Calais abegerunt. Iratus Jupiter Phineo, quod ſuſceptos e priori conjuge liberos interfeciſſet, vel excæcaſſet, ut alii ſcribunt, optionem ipſi dediſſe fertur cæcitatis, aut mortis: cæcitatem elegit. Ea re ſol offenſus immiſit in eum Harpyias, quæ diripiendls, corrumpendiſve cibis, fame miſerum ſenem enecarent.

Nocte. Cæcitate.

Viſus. Conventus ab Argonautis. Petebant illi a Phineo, iſtius maris accola, & perito, qua ratione poſ-

ſent

Virgineas volucres miſeri ſenis ore fugarant,
Multaque perpeſſi claro ſub Jaſone, tandem
Contigerant rapidas limoſi Phaſidos undas.
Dumque adeunt regem, Phryxeaque vellera poſcunt,
Voxque datur Minyis magnorum horrenda laborum

ſent Symplegadas impune prætervehi. Promiſit ſe facturum, ſi Harpyias abigerent. Abegerunt: &, eo monſtrante, cautes illas tuto tranſmiſerunt. Vide Lacerdam III. Æneid. verſu 215. Quænam eſſent illæ cautes explicatur ad calcem huius numeri.

Juvenes. Calais, & Zetes. Recurre ad finem libri ſuperioris.

Virgineas volucres. Harpyias: quibus fuiſſe virgineos vultus, manus aduncas, fœdam ventris proluviem, Maro teſtatur. Eas a Furiis, ſive Diris, non diſtingui docet Lacerda, citato loco. His liberatus eſt Phineus a Zete & Calai, qui ſtrictis illas enſibus perſecuti fugaverunt.

Jaſone. Æſon, rex Theſſaliæ, ſenio confectus, regnum ſuum Peliæ fratri adminiſtrandum, donec ſuus filius Jaſon adoleſceret, tradidit. Pelias, ſive cupiditate regni retinendi, ſive Jaſonis metu, a quo ſe occidendum oraculi reſponſo cognôverat, eum in Colchidem miſit, ut inde vellus aureum raperet, ſpecie quidem gloriæ colligendæ, e periculoſa & ardua expeditione; revera autem id agens, ut in ea Jaſon periret. Ille, collecta Græciæ juventute, fabricata nave Argo, Cholchos adiit, vellus aureum, ope Medeæ abſtulit, eamque in Theſſaliam ſecum vexit.

Phaſidos. Phaſis, fluvius Cholchidis. *Il Fazo*. Eſt autem Colchis, regio Aſiæ, ad Ponti Euxini oram, nunc *La Mengrelia*: in ea parte Aſiæ, quæ Georgia vulgo dicitur.

Regem. Æetam.

Phryxea.. A Phryxo delata, & conſecrata Jovi. Origo hæc fabulæ iſtius de aureo vellere proditur a Strabone, quod indigenæ Colchidis aureas torrentium quorumdam arenas ſolerent velleribus excipere. De Phryxo dictum lib. ſuperiore, n. 15. Lege Natal. Lib. VI. cap. 6.

Voxque datur &c. Et dum Minyæ oraculo admonentur de graviſſimis, quæ ſubire debent, periculis, & laboribus, Æeta, Colchorum rex, finxit ſe laudare conſilium Jaſonis, & ita promiſit illi aureum vellus, ſi tauros ignem ſpirantes domaret; ſi draconem velleris cuſtodem ſopiret; ſi natos e dentibus ſeminatis milites debellaret. Quæ nullo pacto perfici poſſe ab Jaſone confidebat. Jaſon ope Medeæ, hæc omnia pericula ſuperavit. Teſtatur Heinſius repertum a ſe in pluribus vetuſtis codicibus.

Concipit interea validos Æetias ignes,
Et luctata diu, poſtquam ratione furorem
Vincere non poterat; Fruſtra, Medea, repugnas,
Neſcio quis Deus obſtat, ait, mirumque quid hoc
eſt.
Nam cur juſſa patris nimium mihi dura videntur?
Sunt quoque dura nimis : cur, quem modo deni-
que vidi,
Ne pereat, timeo? quæ tanti cauſa timoris?
Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes, infelix. Si poſſem, ſanior eſſem:
Sed trahit invitam nova vis, aliudque Cupido,
Mens aliud, ſuadet; video meliora, proboque,
Deteriora ſequor. Quid in hoſpite regia virgo
Ureris? & thalamos alieni concipis orbis?
Hæc quoque terra poteſt, quod ames, dare : Vi-
vat, an ille
Occidat, in Dis eſt : vivat tamen, idque precari,

Lexque datur, &c. Nempe, dum fertur iſta conditio, lexque, ut vellus aureum non habituri ſint niſi domitis tauris, &c.

Æetias. Medea, Æetæ filia.

Ignes. Amorem.

Luctata. Ut Jaſonis amorem animo excuteret.

Mirum quid hoc eſt. Mirum quidpiam eſt quod experior. Inſolita ratione perturbari me ſentio.

Juſſa patris. Æetæ mandata, Jaſonem jubentis tauros æripedes domare, &c.

Sunt quoque. Reſpondet ſibi ipſa : Non immerito videntur dura mei patris juſſa.

Quem. Jaſonem.

Modo denique. Nunc primum. Cur timeo ne pereat Jaſon, quem antea numquam aſpexi?

Excute, &c. Scipſam alloquitur.

Si poſſem. Sibi reſpondet. Qui cupiditate mala ſe implicuerunt, perſuadent ſibi, ſe nodos illos non poſſe frangere : ſed quæ vincula contraxerunt ſua voluntate, poſſunt ſua quoque voluntate perrumpere, Deo aſpirante.

Mens. Ratio, virtus.

In hoſpite ureris. Deperis ignotum & advenam : tu, quæ filia regis es?

Alieni orbis. Cur ſponſum tibi e longinqua regione, velut altero ex orbe, adſciſcere vis, cum alium narciſci poſſis in patria?

In Dis. In Deorum eſt manu, & arbitrio, utrum perire debeat Jaſon, an vivere : ipſi viderint. Nihil refert mea.

Vel

Vel ſine amore, licet: quid enim commiſit Iaſon?
Quem, niſi crudelem, non tangant Jaſonis ætas?
At niſi opem tulero, taurorum afflabitur ore,
Concurretque ſuæ ſegeti, tellure creatis
Hoſtibus, aut avido dabitur fera præda draconi.
Hoc ego ſi patiar, tunc me de tigride natam,
Tunc ferrum, & ſcopulos geſtare in corde fatebor.
Cur non & ſpecto pereuntem? oculoſque videndo
Conſcelero? cur non tauros exhortor in illum?
Terrigenaſque feros, inſopitumque draconem?
Dii meliora velint. Quamquam non iſta precanda,
Sed facienda mihi. Prodamne ego regna parentis?
Atque ope neſcio quis ſervabitur advena noſtra,
Ut per me ſoſpes, ſine me det lintea ventis,
Virque ſit alterius, pœnæ Medea relinquar?
Si facere hoc, aliamve poteſt præponere nobis,
Occidat ingratus: ſed non is vultus in illo,
Non ea nobilitas animo eſt, ea gratia formæ,

Vel ſine, &c. Tamen opto ut vivat; idque optare, quamvis eum male non amem, poſſum.

Quid enim, &c. Ac ſane dignus eſt, qui vivat, quippe nullius ſceleris reus, &c. Sic adulatur cupiditati.

Concurretq; &c. Dimicabit cum militibus natis ex humo, in qua draconis dentes ſeverit: ac peribit. Vocat Jaſonis ſegetem illos hoſtes quos tellus ab eo conſita, in ipſius exitium, paritura eſt.

De tigride natam, &c. Inhumanam, & crudelem.

Cur non &c. Ironica conceſſio. Imo, inquit, pereuntem aſpice, objice draconi, & tauris immanibus. Eſt hoc ſcilicet humanum, & pium.

Conſcelero. Scelere obſtringo.

Terrigenas. Milites terra genitos.

Dii meliora. Abſit, ut id faciam, patiarve. Avertant Superi.

Quamquam &c. At enim, non tantum precari a Superis debeo, ne Jaſon iſtis opprimatur periculis; ſed hoc efficere; ſed eum liberare.

Prodamne, &c. At, ſi ſtatuo Jaſonem ſalvum præſtare, auferet vellus aureum quod paterni regni quaſi Palladium eſt. Egone proditione mea regnum patris evertam?

Atque ope. Cur tantas res moliri velim ob advenam ignotum, qui, me relicta, in patriam redibit, aliamque ducet conjugem?

Pœnæ relinquar. Ego interim hic relicta, pœnas patri dabo meæ proditionis.

Si facere, &c. Sane, ſi eſſetis Jaſon, qui me deſerta, fu-

Ut timeam fraudem, meritique oblivia noſtri:
Et dabit ante fidem, cogamque in fœdera teſtes
Eſſe Deos. Quid tuta times? accingere, & omnem
Pelle moram, tibi ſe ſemper debebit Iaſon,
Te face ſolemni junget ſibi, perque Pelaſgas
Servatrix urbes, matrum celebrabere turba.
Ergo ego germanam, fratremque, patremque, Deoſque,
Et natale ſolum ventis ablata relinquam?
Nempe pater ſævus, nempe eſt mea barbara tellus,
Frater adhuc infans, ſtant mecum vota ſororis.
Maximus intra me Deus eſt. Non magna relinquam,
Magna ſequar: titulum ſervatæ pubis Achivæ,
Notitiamque loci melioris, & oppida, quorum
Hic quoque fama viget; cultuſque, arteſque virorum,
Quemque ego cum rebus, quas totus poſſidet orbis,

geret, non recuſarem quin periret, ac merito quidem, ob ingratum animum: at is profecto non eſt, quod ex illius ore, & animi excelſitate, ſatis conjicio. Non cadit in illum dolus ac perfidia, nec vereri debeo, ne beneficii a me accepti obliviſcatur.

Cogam &c. Illum cogam jurare per teſtes datæ fidei Superos, ac certum perpetui matrimonii fædus mihi promittere.

Accingere. Incipe: aggredere illum artibus magicis jurare.

Se. Suam ſalutem.

Face. Nuptiis. Lib. I. n. 20.

Pelaſgas. Græcas. Lib. XII. n. 2. *Servatrix*. Jaſonis.

Matrum, &c. Matronæ omnes te laudabunt.

Nempe. Reſpondet ſibi: ac jure deſerendum patrem, ait, propter ſævitiam, &c.

Barbara. Colchi, præ Græcis, barbari poterant appellari.

Stant &c. Favebit mihi ſoror. Chalciope, ſoror Medeæ, Phryxo nupſerat, ac filios ſuos miſerat in Græciam, ad paterna bona repetenda: itaque illi gratum accidere debebat, Jaſonis cum Medea conjugium, & profectio in Græciam: cujus ope ſperabat ſe iſta bona recepturam.

Deus. Cupido.

Sequar. Conſequar.

Titulum. Gloriam.

Pubis Achivæ. Argonautarum Græcorum.

Loci melioris. Græciæ.

Hic. In Colchide.

Cultus. Elegantiam, mores.

Quem ego, &c. Illum etiam conjugem obtinebo, quem re-

Æſonidem mutaſſe velim; quo conjuge felix
Et Dis cara ferar, & vertice ſidera tangam.
Quid? quod neſcio qui mediis incurrere in undis
Dicuntur montes, ratibuſque inimica Charybdis
Nunc ſorbere fretum, nunc reddere; cinctaque ſævis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo?
Ah! ſi quid metuam, metuam de conjuge ſolo.
Conjugiumne putas? ſpecioſaque nomina culpæ
Imponis, Medea, tuæ? quin, aſpice quantum
Aggrediare nefas, &, dum licet, effuge crimen.

rerum omnium jactura comparaſſe velim, quem pluris omnibus æſtimo. Videtur eſſe in verſibus hypallage: dicendum enim eſſet, quo permutare velim omnia, quæ orbis poſſidet.

Æſoniden. Jaſonem, Æſonis filium.

Et vertice. Ero feliciſſima. Horat. Lib. I. Od. 1.

Quid quod. Objicit ſibi pericula.

Montes. Scopuli duo cernuntur in faucibus Ponti Euxini, exiguo diſtantes intervallo, qui eminus videntur concurrere invicem, & collidi, propter undarum agitationem: hinc voce Græca, id ſignificante, dicuntur *Συμπληγάδες*, Symplegades, hodie *le Pavonare*. Lib. XV. 7.

Charybdis, *Scylla*. Hæc ſcopulus, illa, vortex, in freto Siculo Virgil. Lib. III. Æneid. & infra Lib. XIII. num. 20. XIV. numero primo.

Canibus. Murmur fluctuum latrantes imitatur canes. Eam ob rem latera Scyllæ canibus dicuntur cincta.

De conjuge ſolo. Non de me.

Conjugiumne putas? An putas ſtabili matrimonio jungi te poſſe cum Jaſone? Falleris.

I I.

Medea vincitur, & opem Jaſoni promittit.

Dixit: & ante oculos rectum, pietaſque, pudorque
Conſtiterant, & victa dabat jam terga Cupido.
Ibat ad antiquas Hecates Perſeidos aras,

Rectum. Honeſtum. Jam rationis ac pietatis oborta lux animo, tenebras a cupiditate offuſas pæne diſpulerat.

Hecates. Hecate, Medeæ mater filia Perſæ, ſive Perſei, a quo Perſeis hic vocatur, venefica fuit inſignis, & inter Deos locum, atque aras

Quas nemus umbroſum, ſecretaque ſilva tegebat,
Et jam fortis erat; pulſuſque reſederat ardor:
Cum videt Æſonidem, extinctaque flamma reluxit,
Erubuere genæ, totoque recanduit ore.
Utque ſolet ventis alimenta aſſumere, quæque
Parva ſub inducta latuit ſcintilla favilla,
Creſcere, & in veteres agitata reſurgere vires:
Sic jam lenis amor, jam quem languere putares,
Ut vidit juvenem, ſpecie præſentis inarſit.
Ut vero cœpitque loqui, dextramque prehendit
Hoſpes, & auxilium ſubmiſſa voce rogavit,
Promiſitque torum, lacrymis ait illa profuſis,
Quid faciam video, nec me ignorantia veri
Decipiet, ſed amor; ſervabere munere noſtro;
Servatus promiſſa dato. Per ſacra triformis
Ille Deæ, lucoque foret quod numen in illo.

in Colchide adepta. Alteram Hecaten celebrant poetæ, ac plerumque cum Proſerpina confundunt.

Fortis erat. Statuerat Medea cupiditati fortiter obſiſtere. Legunt aliqui: *Et jam fructus erat*: nempe ardor: jam erat mitigatus: jam languebat.

Ardor. Amor.

Videt. Medea.

Reluxit. Melius, *revixit*, ut in optimis codicibus legitur.

Recanduit. Iterum exarſit.

Utque ſolet. Utque ſcintilla vento alitur, & occultata ſub favilla ſuperinducta, creſcit, ſi agitetur, &c.

Sub favilla, &c. Sub calido cinere. Parva ſæpe ſcintilla contempta, magnum excitavit incendium: ait Q. Curtius Libro VI. Hinc docemur primos cupiditatum æſtus ſubito reſtinguere.

Specie. Aſpectu, forma.

Hoſpes. Jaſon, advena.

Auxilium. Ad domandos tauros indomitos, & alia pericula ſuperanda.

Torum. Nuptias.

Quid faciam video. Video quantum in periculum me conjiciam: nec inſcitia pecco. En quo mortales abripit cupiditas impotens! videntes, volenteſque, pereunt. Hoc autem videtur Medea dicere ſecum, & tacita.

Promiſſa dato. Quando tot periculis liberatus fueris, vide, ut accipias me conjugem, uti promiſiſti.

Triformis Deæ. Proſerpinæ, quæ in cœlo luna eſt; in terris, Diana: in inferis Proſerpina.

Lucoque, &c. Et per nomen Hecates, quod in illo nemore ſacro colebatur, ubi tunc Jaſon erat.

Pa-

Perque patrem ſoceri, cernentem cuncta, futuri;
Eventuſque ſuos, & tanta pericula jurat.
Creditus accepit cantatas protinus herbas,
Edidicitque uſum, lætuſque in tecta receſſit.

Patrem ſoceri fu'uri. Solem, Æetæ patrem, quem Æetam ſocerum habiturus Jaſon erat, Medea ducta.

Eventuſque ſuos, &c. Per ea pericula, quæ olim adiCrat, quæ mox erat aditurus.

Creditus. Poſtquam Jaſon fecit fidem, tam ſolemni obſtrictus jurejurando.

Cantatas. Incantatas, medicatas arte magica.

I I I.

Jaſon, ope Medeæ aureo vellere potitus, cum ea redit in Theſſaliam.

Poſtera depulerat ſtellas aurora micantes:
Conveniunt populi ſacrum Mavortis in arvum,
Conſiſtuntque jugis: medio rex ipſe reſedit
Agmine purpureus, ſceptroque inſignis eburno;
Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
Æripedes tauri, tactæque vaporibus herbæ
Ardent: utque ſolent pleni reſonare camini,
Aut, ubi terrena ſilices fornace ſoluti
Concipiunt ignem liquidarum aſpergine aquarum,

Mavortis arvum. Planitiem Marti conſecratam: ubi pendebat ab arbore aureum vellus. In eadem tauri ſpirantes ignem erant ab eo domandi, ut jubebant fata, qui aureum ſibi vellus poſceret. Id ſe facturum promiſerat Jaſon, Medeæ artibus fretus: procedit rem tentaturus; conveniunt cum rege Proceres.

Jugis. Collibus, campum cingentibus.

Purpureus. In veſte purpurea.

Adamanteis. Micantibus adamantis inſtar, ob ignem, quem efflabant. Eſt enim adamas gemma ſplendidiſſima. Vel: indomitis; adamas enim idem eſt Græce, quod indomitus, Latine: eſtque lapis admodum durus ac ſolidus.

Vulcanum. Flammas.

Æripedes. Quorum pedes, ſive ungulæ, conſtabant ære ſolido.

Vaporibus. Fumo igneo, quem tauri exhalabant.

Pleni. Prunis: ligno accenſo.

Silices. De calce loquitur, quæ fit e certis lapidibus in fornace diu coctis, ita ut combibant ignem, & aqua injecta, fumum emittant.

Pe-

Pectora ſic intus clauſas volventia flammas,
Gutturaque uſta ſonant: tamen illis Æſone natus
Obvius it. Vertere truces venientis ad ora
Terribiles vultus, præfixaque cornua ferro,
Pulvereumque locum pede pulſavere biſulco,
Fumificiſque locum mugitibus implevere.
Diriguere metu Minyæ: Subit ille, nec ignes
Senſit anhelatos (tantum medicamina poſſunt)
Pendulaque audaci mulcet palearia dextra,
Suppoſitoſque jugo pondus grave cogit aratri.
Ducere, & inſuetum ferro proſcindere campum.
Mirantur Colchi, Minyæ clamoribus augent,
Adjiciuntque animos. Galea tum ſumit ahena
Vipereos dentes, & aratos ſpargit in agros.
Semina mollit humus valido prætincta veneno,
Et creſcunt, fiuntque ſati nova corpora dentes,
Utque hominis ſpeciem materna ſumit in alvo,

Pectora. Taurorum.

Vertere, &c. Tauri truces ac feroces converterunt horridos vultus ad Jaſonem, impetum in eum fecere, & horribili murmure inſultarunt ſolo.

Præfixa ferro. Objecerunt Jaſoni cornua armata ferro: acuminibus ferreis horrentia.

Biſulco pede. Ungula biſida. *Ille*. Jaſon.

Subit. Occurrit, progreditur.

Ignes anhelatos. Igneos anhelitus.

Tantum, &c. Tanta vis herbarum, quas acceperat a Medea, & pharmacorum, fuit.

Pendula. E taurorum cervice pendentia.

Palearia. Lib. II. n. 19.

Augent. Animos Jaſonis: admirationem, plauſum.

Dentes. Serpentis a Cadmo interfecti (Lib. III.) quorum dentium pars Æetæ data fuerat a Pallade, teſte Pherecyde; pars ipſi Cadmo. Nam ſerpens, de quo agitur hoc in libro, non interfectus narratur, ſed tantum ſopitus. Illum draconem ab Jaſone domitum, nhil volunt aliud eſſe fabularum interpretes, quam æream portam regii theſauri, cujus portæ claves Jaſoni Medea dedit. Tauris item iſtis adumbrari duplicem murum, eidem theſauro circumdatum.

Semina. Dentes ſatos: terræ commiſſos.

Prætincta. Antea infecta, medicata Pharmacis, a Medea datis Jaſoni: herbis veneficis.

Utque, &c. Quemadmodum infans paulatim corporis humani formam, partesque omnes in utero matris accipit; neque ante naſcitur, quam juſta membrorum

Perque ſuos intus numeros componitur infans,
Nec niſi maturus communes exit in auras;
Sic, ubi viſceribus gravidæ telluris imago
Effecta eſt hominis, fœto conſurgit in arvo,
Quodq; magis mirum eſt, ſimul edita concutit arma.
Quos ubi viderunt præacutæ cuſpidis haſtas
In caput Æmonii juvenis torquere parantes,
Demiſere metu vultumque animumque Pelaſgi:
Ipſa quoque extimuit, quæ tutum fecerat illum;
Utque peti vidit juvenem tot ab hoſtibus unum,
Palluit, & ſubito ſine ſanguine frigida ſedit.
Neve parum valeant a ſe data gramina, carmen
Auxiliare canit, ſecretaſque advocat artes.
Ille gravem medios ſilicem jaculatus in hoſtes,
A ſe depulſum Martem convertit in ipſos.
Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres,
Civilique cadunt acie. Gratantur Achivi,
Victoremque tenent, avidiſque amplexibus hærent.
Tu quoque victorem complecti, barbara, velles,
Sed te, ne faceres, tenuit reverentia famæ: 36

rum omnium complexione perfectus, & quaſi maturitatem aſſecutus fuerit: ſic, poſtquam dentes illi ſecundo veluti terræ ſinu concepti, ſpeciem ac figuram hominum induerunt; prodiere ſubito, & quidem armati. *Numeros*. Artus, & partes ad corporis humani perfectionem neceſſarias. Omnibus abſolutum numeris aliquid dicitur, quod eſt perfectum: a muſicis ducta locutione.

Componitur. Coaleſcit, formatur, perficitur.

Fæto. Fœcundo: prægnante.

Edita ſimul. Cum ipſis hominibus nata.

Quos. Milites e terra ſubito natos.

Æmonii Juvenis. Jaſonis: cujus pater Theſſaliæ rex erat: ipſe Theſſalus: Theſſalia olim vocata eſt Æmonia.

Pelaſgi. Græci, Argonautæ. Lib. XII. num. I.

Sine ſanguine. Exanguis præ metu. Attonita, pallida.

Auxiliare. Quod vim graminum augear. Quo tamquam auxiliari turma, juvetur Jaſon.

A ſe &c. Fecit, ut omiſſo Jaſone, ipſemet in ſe adverſis infeſtiſque telis incurrerent.

Terrigenæ. Orti e terra.

Civili acie. Bello inter ipſos, ex eadem humo & quaſi matre natos, orto.

Barbara. Medea.

Reverentia famæ. Timuiſti, ac reverita es famam, &

ſer-

Quod licet, affectu tacito lætaris, agiſque
Carminibus grates, & Dis auctoribus horum:
Pervigilem ſupereſt herbis ſopire draconem,
Qui criſta, linguiſque tribus præſignis, & uncis
Dentibus horrendus, cuſtos erat arboris aureæ.
Hunc poſtquam ſparſit Letæi gramine ſucci,
Verbaque ter dixit placidos facientia ſomnos,
Quæ mare turbatum, quæ concita flumina ſiſtunt;
Somnus in ignotos oculos advenit, & auro
Heros Æſonius potitur, ſpolioque ſuperbus,
Muneris auctorem ſecum, ſpolia altera, portans,
Victor Iolciacos tetigit cum conjuge portus.

ſermonem populi, ſi palam tuum amorem ſignificares.

Horum. Vel carminum: vel facinorum: rei bene geſtæ. *Criſta*. Lib. IV. n. 8.

Arboris aureæ. Ex qua pendebat aureum vellus.

Letæi ſucci. Herbis, Letæo ſucco præditis; quibus eadem vis inerat, quæ inferorum fluvio Lete, cujus aqua oblivionem, & ſomnum afferebat.

Auro. Vellere aureo. Suidas aureum hoc vellus fuiſſe docet librum, e membranis, ſive arietum pellibus, contextum, in quo tradebatur ars conficiendi auri. Strabo, templum a Phryxo conditum, & aureis donariis refertum, primo ab Argonautis, deinde a Pharnace, & Mithridate, ſpoliatum.

Auctorem. Medeam, quam alteras exuvias, ipſo vellere aureo potiores, Ovidius vocat.

Victor. Jaſon, votorum compos, redit in patriam.

Iolciacos. Theſſalos. Iolcos, Theſſaliæ civitas ad radices Pelii montis: in ora maris Ægæi.

Conjuge. Medea.

IV.

Rogatur ab Jaſone Medea, ut Æſoni robur juvenile reſtituat.

Æmoniæ matres pro natis dona receptis,
Grandævique ferunt patres, congeſtaque flamma
Thura liquefaciunt, inductaque cornibus aurum

Æmoniæ matres. Theſſalæ matronæ.

Natis. Argonautis.

Receptis. Sibi reſtitutis, poſt longam navigationem.

Dona ferunt. Superis, ad gratias agendas pro Jaſonis reditu.

Inducta &c. Victimarum cornua inaurabantur.

Vota

Victima, vota facit. Sed abeſt gratantibus Æſon
Jam propior leto, feſſuſque ſenilibus annis.
Tum ſic Æſonides: O cui debere ſalutem
Confiteor, conjux, quamquam mihi cuncta dediſti,
Exceſſitque fidem meritorum ſumma tuorum,
Si tamen hoc poſſunt (quid enim non carmina poſſunt?)
Deme meis annis, & demptos adde parenti.
Nec tenuit lacrymas. Mota eſt pietate rogantis,
Diſſimilemque animum ſubiit Æeta relictus.
Non tamen affectus tales confeſſa, Quod, inquit,
Excidit ore tuo, conjux, ſcelus? ergo ego cuiquam
Poſſe tuæ videor ſpatium tranſcribere vitæ?
Nec ſinat hoc Hecate, nec tu petis æqua: ſed iſto
Quod petis, experiar majus dare munus, Iaſon,
Arte mea ſoceri longum tentabimus ævum,

Vota facit. Exſolvit vota facta ab Argonautarum parentibus. Scribendum, inquit Heinſius, *Victima vota* votiva *cadit*. Recte.

Abeſt gratantibus. Non venit in templa cum cæteris.

Æſon. Pater Jaſonis.

Tum ſic, *&c.* Jaſon ita Medeam eſt allocutus.

Exceſſit fidem, *&c.* Tanta ſunt tua in me beneficia, quanta vix quiſquam poſſit credere.

Si hoc poſſunt. Si carminibus ea vis ineſt, ut florem ætatis alicui reddant.

Deme. Tolle, aufer: ſubaudi, aliquot annos.

Tenuit. Jaſon. Hæc, obortis lacrymis, dixit.

Diſſimilemque, *&c.* Medea videns Jaſonis pietatem erga Æſonem, pudore affecta eſt, venitque illi in mentem impietas ſua, qua patrem ſuum Æetam, deſeruerat, prodideratque. Sed pudorem tamen, ac dolorem diſſimulavit. *Animum* igitur *diſſimilem*, explica, impium & ingratum diſſimilem Jaſonis animo pio.

Subiit. Jam admonui ultimam ejuſmodi verborum ſyllabam ab Ovidio produci, quod illos videtur fugiſſe, qui ſic verſum hunc ſcripſerunt; *Subiit pater Æta relictus*.

Quod inquit, *&c.* Quid ais Jaſon? An putas uſque eo crudelem eſſe me, ut alteri annos, tibi ereptos, dare velim? Tranſcribere, eſt, in alterius jus transferre.

Iſto &c. Conabor majus tibi dare munus iſto munere, quod petis; Nam & ſocerum meum, patrem tuum, tentabo reſtituere in priſtinum juventutis florem, arte mea: & id fiet ſine vitæ tuæ detrimento. Annos

illius

Non annis renovare tuis; modo diva triformis
Adjuvet, & præſens ingentibus annuat auſis.
Tres aberant noctes, ut cornua tota coirent,
Efficerentque orbem: poſtquam pleniſſima fulſit,
Et ſolida terras ſpectavit imagine Luna:
Egreditur tectis, veſtes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infuſa capillos,
Fertque vagos mediæ per muta ſilentia noctis
Incomitata gradus. Homines, volucreſque, feraſq;
Solverat alta quies, nullo cum murmure ſerpens
Sopitæ ſimilis nullo cum murmure ſerpit,
Immotæque ſilent frondes, ſilet humidus aer:
Sidera ſola micant, ad quæ ſua brachia tendens,
Ter ſe convertit, ter ſumptis flumine crinem
Irroravit aquis, ternis & hiatibus ora
Solvit, & in dura ſubmiſſo poplite terra.

illius renovabo; tuos non imminuam.

Diva Triformis. Proſerpina. Supra num. 2. & infra, num. 5.

Præſens. Propitia.

Aberant. Deerant. Poſt triduum luna Plena erat futura.

Coirent. Jungerentur, complerentur.

Solida. Integra.

Recinctas. Fluentes, diſſolutas, diſcinctas. Lib. I. num. 12.

Nuda pedem. E ritu & more ſacrorum magicorum. Lege Virgil. IV. Æneid. verſu 518. *Unum exuta pedem vinclis*. Utrum porro? ſiniſtrum cenſet Lacerda, & cauſam affert, quia ſiniſtra omnia mali erant ominis, & hæc ſacra in perniciem alicujus ſiebant. Lege, ſi vacat, apud illum plura.

Nudos. Sparſos; non colligatos, aut tactos.

Serpens. Quies ſerpens leniter. Sic de ſomno Virgilius II. Æneid. *Prima quies dono divum gratiſſima ſerpit*. Qui ſic exponunt, delent ſequentem verſum: *Sopitæ ſimilis &c.* Alii hunc verſum retinent, explicantque ſententiam de anguibus, qui per noctem ſerpunt ſine ſtrepitu, & dormientibus ſimiles, placide repunt. Tollit hunc, & ſuperiorem ſic muta: Heinſius, ac legit: *Nullo cum murmure, ſæpes, immotæque ſilent frondes*.

Sumptis flumine. E fluvio hauſtis.

Ternis &c. Ter clamorem ſuſtulit.

Submiſſo. Flexis genibus ſequentes preces concipit.

Ma-

V.

Magicas preces Medea concipit: idoneas herbas parat.

Nox, ait, arcanis fidiſſima, quæque diurnis
Aurea cum luna ſucceditis ignibus aſtra;
Tuque triceps Hecate, quæ cœptis conſcia noſtris,
Adjutrixque venis, cantuſque, arteſque magorum,
Quæque magos Tellus pollentibus inſtruis herbis,
Auræque & venti, monteſque, amneſque, lacuſque,
Dique omnes nemorum, Dique omnes noctis, adeſte:
Quorum ope, cum volui, ripis mirantibus amnes
In fontes rediere ſuos, concuſſaque ſiſto,
Stantia concutio cantu freta; nubila pello,
Nubilaque induco; ventos abigoque, vocoque,
Vipereas rumpo verbis, & carmine, fauces;
Vivaque ſaxa ſua, convulſaque robora, terra,
Et ſilvas moveo, jubeoque tremiſcere montes,
Et mugire ſolum, maneſque exire ſepulchris,
Te quoque Luna, traho, quamquis Temeſæa labores

Diurnis ignibus. Et vos, o aſtra nocturna, ſoli ſuccedere ſolita, & aliis ſideribus, quæ per diem in cœlo volvuntur.

Hecate. Veneficarum præſes, eadem ac Proſerpina. Tribus illam capitibus ornabant, equino, humano, canino.

Cantuſque. Incantamenta.

Quæque, &c. Tuque, o Tellus, quæ magorum carmina & artes, & ipſos magos juvas herbis potentibus.

Dii noctis. Pluto, Manes, Furiæ.

Concuſſa. Procellis agitata.

Stantia. Placida.

Viva ſaxa. Adhuc terræ hærentia.

Manes. Umbras mortuorum. Lib. XIV. num. 3.

Traho. Lunam, cum deficiebat, vexari putabant a magis, & a cœlo in terras detrahi. Tunc æra percutiebant, quorum ſono retundi vim magicorum verborum arbitrabantur, & impediri ne ad lunam uſque pertingerent.

Quamvis &c. Licet opem tibi laboranti, ac deficienti afferre conentur homines æris crebro tinnitu.

Temeſæa. Eſt Temeſa civitas Cypri, itemque in Brutiis; utraque ære nobilitata. Sunt qui legant, *Temerata*; ideſt percuſſa, rupta crebro pulſu.

La-

Æra tuos minuant: currus quoque carmine noſtro
Pallent, & pallet noſtris Aurora venenis.
Vos mihi taurorum flammas hebetaſtis, & unco
Impatiens oneris collum preſſiſtis aratro.
Vos ſerpentigenis in ſe ferra bella dediſtis,
Cuſtodemque rudem ſomni ſopiſtis, & aurum,
Vindice decepto, Grajas miſiſtis in urbes.
Nunc opus eſt ſuccis, per quos renovata ſenectus
In florem redeat, primoſque recolligat annos.
Et dabitis, neque enim micuerunt ſidera fruſtra,
Nec fruſtra volucrum tractus cervice draconum
Currus adeſt; aderat demiſſus ab æthere currus.
Quo ſimul aſcendit, frænataque colla draconum
Permulſit, manibuſque leves agitavit habenas;
Sublimis rapitur, ſubjectaque Theſſala Tempe
Deſpicit, & viſis regionibus applicat angues:
Et quas Oſſa tulit, quas altus Pelion herbas,
Othryſque, & Pindus, & Pindo mājor Olympus,
Perſpicit; & placitas partim radice revellit,
Partim ſuccidit curvamine falcis ahenæ.

Labores. Defectum, Eclipſim Græci vocant.
Currus. Lunæ.
Pallent. Emendat Heinſius *Pallet avi*. Currus ſolis, avi mei, etiam pallet, Probiſſime. *Taurorum*. Sup. n. 3.
Oneris. Jugi.
Vos ſerpentigenis &c. Sup. n. 3. Coegiſtis milites, e ſerpentis dentibus natos, in ſe invicem dimicare.
Rudem ſomni. Expertem ſomni, pervigilem. Rudis, cum auferendi caſu interdum jungitur: & vulgo hic legitur *rudem ſomno*.
Aurum. Vellus aureum.
Vindice. Cuſtode Dracone, qui vindicare illud a furto debuerat.
Miſiſtis. Feciſtis, ut in Græciam aſportaretur.
Nec fruſtra... Intelligo propitios mihi eſſe Deos, ex illo curru, quem mihi ſubmittunt.
Aderat. Miſſus a numinibus, quorum opem imploraverat: ſive, ut alii volunt, a Sole.
Permulſit. Sic Virgilius de equis: *Manibuſque laceſſunt pectora plauſa cavis*.
Tempe. Lib. I. num. 16.
Deſpicit. Deorſum aſpicit, ex aere ſublimis videt.
Viſis &c. Currum admovet, ex eoque deſcendit, ut herbas colligat.
Oſſa &c. Vide Lib. I. n. 6. II. 5. ubi montes iſti explicantur.
Ahenæ. Æri vim quamdam ineſſe cenſebant; itaque ahena potius, quam ferrea, falce

Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis,
Multa quoque Amphryſi, nec eras immunis Enipeu
Necnon & Peneus, necnon Sperchiades undæ,
Contribuere aliquid, juncoſaque littora Bœbes.
Carpſit & Euboica vivax Anthedone gramen,
Nondum vulgatum mutato corpore Glauci.

falce venefici herbas deſecabant. Virg. IV. Æn.

Apidani. Eſt fluvius Theſſaliæ. Item Amphryſus, Enipeus, Peneus, Sperchius. Lege Lib. II. n. 6.

Contribuere aliquid. Herbarum ſuarum partem, quaſi aliquod vectigal, Medeæ obtulerunt.

Bœbes. Bœbe, urbs Theſſaliæ, ad quam viſebatur Bœbeis, ſeu Bœbias lacus: nunc *Eſcro*: Inter montes Oſſam, Pelion, & Olympum.

Vivax. Diu vivens.

Anthedone. Anthedon, *Antedona*. Civitas Bœotiæ, in ejus extremo littore ſita, e regione Eubœæ, quam videtur attingere, parſque ejus eſſe. Hinc vocatur Euboica.

Nondum, &c. Glaucus, piſcator, cum animadvertiſſet piſces, ſimul atque herbam quamdam in littore tetigiſſent, reſilire in mare, illam guſtavit, exſiliit in æquor, Deus marinus extitit. Infra, Lib. XIII. numer. 22. Ejuſmodi gramen Medea non omiſit; quamvis nondum Glauci metamorphoſis illud celebraſſet.

VI.

Medea ſacrificium inſtituit, & conficit ſuccos magicos.

Nona dies illam curru, penniſque draconum,
Nonaque nox omnes luſtrantem viderat agros.
Cum rediit, nequeerant tacti, niſi odore, dracones
Et tamen annoſæ pellem poſuere ſenectæ.
Conſtitit adveniens citra limenque, foreſque;
Et tantum cœlo tegitur, refugitque viriles
Aſpectus, ſtatuitque aras e ceſpite binas,

Odore. Herbarum, quas Medea collectas gerebat.

Senectæ. Serpentes, mutata, ſeu depoſita identidem pelle, juveneſcunt.

Citra limen. Extra fores. Ædes non intravit.

Et tantum, &c. Sub dio

Dexteriore Hecates; at læva parte, Juventæ.
Has ubi verbenis, ſilvaque incinxit agreſti,
Haud procul egeſta ſcrobibus tellure duabus,
Sacra facit, cultroſque in guttura velleris atri
Conjicit, & patulas perfundit ſanguine foſſas.
Tum ſuper invergens liquidi carcheſia vini,
Alteraque invergens tepidi carcheſia lactis,
Verba ſimul fundit, terrenaque numina poſcit,
Umbrarumque rogat, rapta cum conjuge, regem,
Ne properent arcus anima fraudare ſenili.
Quos ubi placavit, precibuſque & murmure longo;
Æſonis effetum proferri corpus ad aras
Juſſit, & in plenos reſolutum carmine ſomnos,
Exanimi ſimilem, ſtratis porrexit in herbis.
Hinc procul Æſoniden, procul hinc jubet ire miniſtros,
Et monet arcanis oculos removere profanos.
Diffugiunt juſſi: paſſis Medea capillis
Bacchantum ritu flagrantes circuit aras:
Multifidaſque faces in foſſa ſanguinis atri
Tingit, & infectas geminis accendit in aris.

dio manet.

Dexteriore. A dextra parte aram Hecates ſtatuit: a læva parte, aram Juventæ.

Hecates. Supra, num. 2.

Juventæ. Juventa, ſeu potius Juventas, erat Dea juventuti præſes.

Verbenis. Verbena, herba in ſacris magicis adhiberi ſolita.

Silva agreſti. Herbis ſilveſtribus, & ramis.

Egeſta tellure. Humo educta e duabus ſcrobibus.

Velleris atri. Ovium nigrarum, quæ Diis inferis immolabantur.

Invergens. Effundens. Vergere, inquit Servius, eſt, converſa in ſiniſtram partem manu, fundere; quod in ſacris inferis fit: fundere autem, eſt ſupina manu libare, quod fit in ſacris ſuperis.

Carcheſia. Carcheſium hic poculi quoddam eſt genus. Proprie eſt ſumma pars mali nautici, a cujus ſimilitudine pocula hæc dicta exiſtimantur.

Terrena. Subterranea, infera. *Poſcit*. Invocat.

Regem. Plutonem.

Conjuge. Proſerpina.

Ne properent, &c. Ne feſtinent Æſoni vitam adimere.

Placavit. Conciliavit ſibi.

Effetum. Senile, infirmum.

Multifidas. Fiſſas in multas partes. Tædas inſpicatas.

Infectas. Sanguine imbutas, intinctas.

Lu

Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulfure luſtrat.
Interea calido poſitum medicamen aheno
Fervet, & exſultat, ſpumiſque tumentibus albet,
Illic Æmonia radices valle reſectas,
Seminaque, & flores, & ſuccos incoquit atros.
Adjicit extremos lapides oriente petitos,
Et, quas oceani refluum mare lavit, arenas.
Addidit exceptas lunæ de nocte pruinas,
Et ſtrigis infames ipſis cum carnibus alas,
Inque virum ſoliti vultus mutare ferinos
Ambigui profecta lupi: nec defuit illis
Squamea Cinyphii tenuis membrana Chelydri,
Vivaciſque jecur cervi; quibus inſuper addit
Ora, caputque, novem cornicis ſæcula paſſæ.

Luſtrat. Purgat, expiat.

Meditamen. Pharmacum, unguentum.

Exſultat. Bullit.

Æmonia. Theſſala.

Lunæ pruinas. A Luna productas. Eſt enim humidum ſidus: ſol, calidum. Vel, pruinas collectas ea nocte, quam luna illuſtrabat. Explanationem hanc adjuvat Heinſii conjectura, qui legendum putat, *luna pernocte*, ab adjectivo pernox, pernoctis: pruinas exceptas dum luna pernox, ideſt per totam noctem, luceret.

Strigis. Strix, avis nocturna, e bubonum genere: & mali ominis: hinc infamis dicitur.

Profecta. Inteſtina, ſecta in tenues particulas. Exta victimarum cocta diſſecabant.

Lupi, &c. Exta lupi, vultus humanos ſumere ſoliti. Venefici ſolent induere luporum formam, ut noceant ferocius: Eos λυκανθρώπους *Lycanthropos* Græci vocant. Lupi viciſſim hominum induere vultus credebantur.

Ambigui. Qui nunc ſpecie hominis cernitur, nunc lupi.

Cinyphii. Libyci. Lib. V. num. 4.

Chelydri. Serpentis eſt genus, in aqua & terra morari ſolitum; quaſi Cherſydrus: a χέρσος *terra*, & ὕδωρ, *aqua*.

Ora. Ova potius (inquit Heinſius.) Nam volucrum ovis locus erat in ejuſmodi ſacris.

Novem ſæcula paſſæ. Quæ novem ſæculis vixerat, vivaces admodum feruntur eſſe cornices.

Æſon

VII.

Æſon e decrepito ſene juvenis:

His & mille aliis poſtquam ſine nomine rebus
Propoſitum inſtruxit mortali barbara munus:
Arenti ramo jampridem mitis olivæ
Omnia confudit, ſummiſque immiſcuit ima.
Ecce vetus calido verſatus ſtipes aheno
Fit viridis primo, nec longo tempore frondes
Induit, & ſubito gravidis oneratur olivis.
At quacumque cavo ſpumas ejecit aheno
Ignis, & in terram guttæ cecidere calentes,
Vernat humus, floreſque & mollia pabula ſurgunt.
Quæ ſimul ac vidit; ſtricto Medea recludit
Enſe ſenis jugulum, veteremque exire cruorem
Paſſa, replet ſuccis, quos poſtquam combibit Æſon
Aut ore acceptos, aut vulnere; barba, comæque
Canitie poſita nigrum rapuere colorem.
Pulſa fugit macies, abeunt pallorque, ſituſque,
Adjectoque cavæ ſupplentur corpore rugæ,
Membraque luxuriant. Æſon miratur, & olim
Ante quater denos hunc ſe reminiſcitur annos.

Propoſitum mortali munus. Promiſſum, & deſtinatum ad reparandam mortalis hominis juventutem.

Inſtruxit. Adornavit, confecit.

Barbara. Medea, diximus vocari ſolitos a Græcis populos cæteros, communi nomine, barbaros.

Munus. Pharmaca, ſuccos vitales, &c.

Vetus ſtipes. Ramus aridus.

Verſatus. Circumactus.

Quacumque. In quamcumque partem.

Vernat. Viridi gramine, ut in vere, veſtitur.

Replet. Jugulum.

Situs. Squalor.

Supplentur. Implentur.

Corpore adjecto. Carne addita.

Luxuriant. Pingueſcunt, nitent.

Olim &c. Se talem fuiſſe recordatur ante annos quadraginta, qualem ſe modo eſſe videt. Palæphatus tradit inventum a Medea balneum, quo vires amiſſæ repararentur: item monſtratam herbam, quæ capillos canos mutaret nigris. Inde locus fabulæ datus.

Ex

Viderat ex alto tanti miracula monſtri
Liber, & admonitus juvenes nutricibus annos
Poſſe ſuis reddi, capit hoc a Colchide munus.

Ex alto. Ex æthere. *Liber*. Bacchus. *Admonitus &c.* Hoc Æſonis exemplo intelligens nymphas, ſuas olim nutrices, poſſe juveniles annos recipere, idem beneficium a Medea exoravit.

VIII.

Pelias a ſuis filiabus, per Medeam deceptis, enecatur.

Neve doli ceſſent, odium cum conjuge falſum
Phaſias aſſimulat, Peliæque ad limina ſupplex
Confugit, atque illam (quoniam gravis ipſe ſenecta eſt)
Excipiunt natæ, quas tempore callida parvo
Colchis amicitiæ mendacis imagine cepit.
Dumque refert inter meritorum maxima, demptos
Æſonis eſſe ſitus, atque hac in parte moratur,
Spes eſt virginibus Pelia ſubjecta creatis
Arte ſuum parili revireſcere poſſe parentem,
Idque petunt, pretiumque jubent ſine fine paciſci.
Illa brevi ſpatio ſilet, & dubitare videtur,
Suſpenditque animos, ficta gravitate, rogantum.

Ne doli ceſſent. Ne Medea non machinaretur aliquid fraudis, ac mali, pergit magicas & doloſas artes exercere; ſimulat ſe infenſam Jaſoni, & ad Peliam, Jaſonis patruum, ipſi pridem inimicum (Sup. nu. I.) ſe confert, quaſi odium mariti fugiens. Alloqui Peliam, ut pote ſenio gravem, non potuit; excepta eſt ab ejus filiabus, quas brevi ſibi conciliavit.

Phaſias. Medea . . nata in Colchide. Phaſis Colchorum fluvius.

Dumque refert, &c. Narrante fuſius, ac diutius Medea depulſam arte ſua, & beneficio, ſenectutem Æſonis; idque in ſuis rebus præclare geſtis maximum facinus, & ſummum beneficium Jaſoni a ſe datum, numerante, *ſubjecta*, id eſt, injecta ſpes eſt virginibus Pelia genitis, &c.

Situs. Squalorem, ſenium, rugas.

Pretium jubent paciſci. Copiam illi fecerunt petendi quicquid cordi eſſet, nullis limitibus definitam.

Ficta gravitate. Quaſi rei difficultatem expenderet,

Mox ubi pollicita eſt, Quo ſit fiducia major
Muneris hujus, ait; qui veſtri maximus ævo eſt
Dux gregis inter oves, agnus medicamine fiet.
Protinus innumeris effetus laniger annis
Attrahitur, flexo circum cava tempora cornu.
Cujus ut Æmonio marcentia guttura cultro
Fodit, & exiguo maculavit ſanguine ferrum,
Membra ſimul pecudis, validoſque venefica ſuccos
Mergit in ære cavo; minuunt ea corporis artus,
Cornuaque exurunt, nec non cum cornibus annos,
Et tener auditur medio balatus aheno.
Nec mora, balatum mirantibus, exilit agnus,
Laſcivitque fuga, lactantiaque ubera quærit.
Obſtupuere ſatæ Pelia, promiſſaque poſtquam
Exhibuere fidem, tum vero impenſibus inſtant.
Ter juga Phœbus equis in Ibero flumine merſis
Dempſerat, & quarta radiantia nocte micabant
Sidera, cum rapido fallax Æetias igni
Imponit purum laticem, & ſine viribus herbas.
Jamque neci ſimilis, reſoluto corpore, regem,

ret, ac veluti dubia de ſucceſſu: virginum orantium animos diu anxios tenet.

Quo ſit, &c. Quo magis confidatis, hoc beneficium vobis a me præſtandum eſſe. Quo minus de arte mea dubitetis.

Qui, &c. Arietem in veſtris gregibus, ætate longiſſime provectum, ego agnum, ſive agno lactenti ſimilem, efficiam, meis herbis medicatis, & cantibus.

Laniger &c. Aries: lana tectus, & cornua habens inflexa.

Marcentia. Senilia.

Æmonio cultro. Theſſalo: venenis imbuto, quorum ferax Theſſalia, olim Æmonia dicta: vel, ſibi a Theſſalis Peliæ filiabus ſubminiſtrato.

Exiguo. Senes vulgo ſanguine deſtituuntur, qui abundat in juvenibus.

Ære cavo. Aheno.

Ea. Iſti ſucci, hæc pharmaca, molem corporis imminuunt. Commodius legas, Heinſio auctore, priſciſque codicibus; *minuuntur corporis artus: cornibus exuitur*: Moles corporis imminuitur: deponit cornua.

Laſcivit. Exultat.

Promiſſaque, &c. Poſtquam perſuaſum hoc exemplo habuere, Medeam præſtare poſſe, quæ promiſerat.

Ibero. Hiſpano. Eo in mari ſol occidit.

Æetias, Medea, Æetę filia.

Igni. Aheno, æreo vaſi flammis impoſito.

Reſoluto. In ſomnum ſoluto, languido.

Cu-

Et cum rege ſuos cuſtodes ſomnus habebat,
Quem dederant cantus, magicæque potentia linguæ.
Intrarant juſſæ, cum Colchide, limina natæ,
Ambierantque torum: Quid nunc dubitatis inertes?
Stringite, ait, gladios, veteremq; haurite cruorem;
Ut repleam vacuas juvenili ſanguine venas.
In manibus veſtris vita eſt, ætaſque parentis:
Si pietas ulla eſt, nec ſpes agitatis inanes,
Officium præſtate patri, teliſque ſenectam
Exigite, & ſaniem conjecto emittite ferro.
His, ut quæque pia eſt, hortatibus impia prima eſt,
Et ne ſit ſcelerata, facit ſcelus: haud tamen ictus
Ulla ſuos ſpectare poteſt, oculoſque reflectunt,
Cæcaque dant ſævis averſæ vulnera dextris.
Ille cruore fluens, cubito tamen allevat artus,
Semilacerque toro tentat conſurgere, & inter
Tot medius gladios pallentia brachia tendens,
Quid facitis, natæ? quis vos in fata parentis
Armat? ait. Cecidere illis animique, manuſque:
Plura locuturo, cum verbis guttura Colchis
Abſtulit, & calidis laniatum merſit in undis.

Cuſtodes. Regii corporis ſtipatores.

Quem &c. Quo ſomno illos vinxerat Medea per magicas artes.

Juſſæ. Medea jubente.

Limina. Conclave, ubi jacebat Pelias.

Nec ſpes, &c. Si ſperatis juveniles annos illi reddendos.

Officium præſtate. Summum beneficium date.

Exigite. Expellite.

Saniem. Vitioſum ſanguinem.

Cæca vulnera. Quæ ipſæ non vident: averſo vultu inferunt.

Colchis. Interdum ſignificat regionem Colchorum; hoc in loco, Medeam indicat, oriundam e Colchide.

Guttura abſtulit. Cervicem ſecuit.

IX.

Pelia interfecto Medea fugit: ac loca variis caſibus & mutationibus nobilitata luſtrat.

Quæ niſi pennatis ſerpentibus iſſet in auras,
Non exempta foret pœnæ. Fugit alta ſuperque

Exempta. Liberata. Meritas dediſſet pœnas.

Pelion umbroſum, Philyreaque tecta, ſuperque
Othryn, & eventu veteris loca nota Cerambi.
Hic ope nympharum ſublatus in aera pennis
Cum gravis infuſo tellus foret obruta ponto,
Deucalioneas effugit inobrutus undas.
Æoliam Pitanen a læva parte relinquit,
Factaque de ſaxo longi ſimulacra draconis,
Idæumque nemus, quo, nati furta, juvencum
Occuluit Liber falſi ſub imagine cervi;
Quaque pater Corythi parva tumulatus arena
 eſt,
Et quos Mæra novo latratu terruit agros:
Eurypylique urbem, qua Coæ cornua matres
Geſſerunt; tunc cum diſcederet Herculis agmen:

Alta. Sublimis: curru vehens. Supra, n. 5.

Pelion. Montem Theſſaliæ; hodie *Petras*.

Philyrea tecta. Chironis, Philyræ filii, domum. Lib. II. num. 15. *Othryn*. Lib. II. num. 5.

Cerambi. Hunc veterem vocat, quippe qui vixerit ante diluvium, quod mutatus in avem, effugit.

Æoliam. Pitane, urbs Æolidis. Æolis, Aſiæ minoris regio, ad littus Ægæi maris dextrum.

Factaque, &c. Canunt poetæ, caput Orphei a Mænadibus reſectum, primo in Hebrum flumen fuiſſe projectum, deinde ad inſulam Lesbum delatum, ubi ſerpens illud violare morſu auſus, ab Apolline in ſaxum mutatus eſt.

Idæum. Ida, mons Cretæ, & Phrygiæ. Hic agitur de Ida Phrygiæ.

Quo, &c. Ea eſt fabula. Bacchi filius (Thyoneum appellant) furatus erat taurum. Perſequentibus furem ruſticis, taurus a Baccho in cervum eſt converſus, quem dum Thyoneus venator proſequitur, eluſit ruſticos.

Quaque &c. Illam urbem, illam partem Troadis, luſtrat, in qua Paris, Corythi pater, ſepultus eſt. Cebrinam Strabo vocat Lib. XIII.

Mæra. Puella quædam in canem verſa. Quænam illa fuerit certant interpretes, ac certent per me licet.

Eurypyl, &c. Eurypylus regnavit in inſula Coo. Ad eam Hercules, Troja expugnata, delatus tempeſtate, urbem regni primariam obſedit, & Eurypylum, a quo mœnibus excludebatur, interfecit. Per idem tempus accidit ut Coæ mulieres, forma elatæ, Veneri ſe anteponerent; ab ea in vaccas mutatæ ſunt. Cos, ſive Coos, eſt inſula in ora littoriali Cariæ nunc *Zango*, ſive *Stanchio*.

Rho-

Phœbeamque Rhodon, & Jalyſios Telchinas,
Quorum oculos ipſo vitiantes omnia viſu
Jupiter exoſus, fraternis ſubdidit undis.
Tranſit & antiquæ Cartheia mœnia Ceæ,
Qua pater Alcidamas placidam de corpore natæ
Miraturus erat naſci potuiſſe columbam.
Inde lacus Hyries videt, & Cycneia Tempe,
Quæ ſubitus celebravit olor: nam Phyllius illic
Deſiluit ſaxo; cuncti cecidiſſe putabant,
Factus olor niveis pendebat in aere pennis.
At genitrix Hyrie, ſervatum neſcia, flendo
Delicuit, ſtagnumque ſuo de nomine fecit.
Adjacet his Pleuron, in qua trepidantibus alis
Ophias effugit natorum vulnera Combe.
Inde Calaureæ Latoidos aſpicit arva,
In volucrem verſi cum conjuge conſcia regis.

Rhodon. Inſulam in mari mediterraneo, e regione Ciliciæ: Soli ſacram.

Jalyſios. Jalyſus (nunc pagus, Uxilica nuncupatus) oppidum fuit Rhodi, quod incoluere Telchines; gens malefica, oculis improbis omnia faſcinans, & corrumpens, a Jove irato in piſces mutati ſunt.

Fraternis. Quibus Neptunus Jovis frater imperitat.

Cea. Ceus ſive Cea, inſula maris Ægæi: ejus oppidum Cartheja, ubi Alcidamantis neſcio cujus filia pennas columbæ ſumptura erat, longo poſt Medeam tempore.

Lacus Hyries. Hyrie mutata eſt in fontem, quo ex fonte natus eſt lacus, prope Tempe: ubi multi ſunt cycni. Hyries filius de ſaxo præcipitem ſe dedit, & in cycnum eſt transformatus.

Tempe. Non Theſſalica illa quæ Peneus præfluit; ſed Bœotica, ſive Teumeſia, dicta, a monte Teumeſo. Hyrie fluvius & fons eſt, Bœotiæ.

Celebravit. Frequentavit.

Phyllius. Hyries filius.

Servatum. Phyllium vivere ignorans, & cycni nova indutum forma.

Delicuit. A verbo deliqueſco, liquidus fio. In liquorem eſt converſa: in fontem.

Pleuron. Urbs Ætolię, Meleagri patria. Quidam ſcribunt, *Brauron*, qui Atticæ vicus. *Ophias*. Ophii filia.

Natorum, &c. Cum a filiis quæreretur ad necem, alis ſumptis fugit: Notam tempeſtate ſua fabulam Ovidius attingit, nunc obſcuram.

Calaurea. Inſulæ inter Cretam & Peloponneſum, ad quam pulſus tempeſtate Ceyx, rex Thrachiniæ, ac poſtea in avem, cum Halcyone ſua conjuge, mutatus fuit:

Cephiſon procul hinc deflentem fata nepotis
Reſpicit, in tumidam Phocen ab Apolline verſi:
Eumelique domum lugentis in aere natum.
Tandem vipereis Ephyren Pirenida pennis
Contigit: hic veteres ævo mortalia primo
Corpora vulgarunt pluvialibus edita fungis.

fuit: ut Libro XI. fuſius narrat. Igitur *conſcia regis:* expone: Quæ vidit Ceycem & Halcyonem mutatos avibus.

Latoidos. Ubi Diana, Latonæ filia, colebatur.

Cephiſon. Cephiſus Bœotiæ flumen, cujus nepotem in phocam, ſeu vitulum marinum, Apollo mutavit.

Eumeli domum. Patras, urbem Achajæ, ubi regnavit Eumelus. Ejus filius Triptolemi currus auſus conſcendere, dum aerem pervolat, cecidit.

In aere. Curru vectum.

Natum. Sunt qui legant, natam, & velint Eumeli filiam in avem tranſiiſſe.

Vipereis pennis. Curru ab alatis ſerpentibus tracto.

Ephyren. Corinthum. Lib. II. num. 3.

Pirenida. Prope quam (Corinthum) eſt fons Pirene.

Hic. In hac regione antiqui vulgarunt, id eſt, tradiderunt, ſcripſerunt, natos homines e fungis, orbe recens condito.

Pluvialibus. Amica fungis eſt pluvia.

X.

Medea Jaſonem dire ulta, devehitur Athenas, & ab Ægeo excipitur, cujus filium Theſeum tentat veneno tollere.

Sed poſtquam Colchis arſit nova nupta venenis,

Sed poſtquam. Medea diu erraverat, Theſſaliam, & meritas ob interfectum Peliam, pœnas fugiens: Corinthum denique pervenit, ubi Jaſon Creuſam, ſive, ut alii plerique ſcribunt, Glauceam filiam Creontis, Corinthiorum regis, duxerat. Medea ſe relictam, ac ſpretam furens, quo die nuptiæ celebrabantur, coronam novæ nuptæ muneri miſit, certo bitumine illitam, quod igne, quamvis longius poſito, accendebatur. Corona capiti Creuſæ impoſita ignem e funalibus, quibus aula collucebat, concepit, ac per totam regiam ſparſit. Supervenit Medea, & in oculis Jaſonis duos filios ex illo ſuſceptos mactavit, ac magico ablata curru, procul avolavit. Veſtem alii veneno infectam, non coronam, Creuſæ datam ſcribunt.

Colchis. Cholchidis. A Me-

Flagrantemque domum regis male vidit, utroque
Sanguine natorum perfunditur impius enſis,
Ultaque ſe male mater, Jaſonis effugit arma,
Hinc Titaniacis ablata draconibus, intrat
Palladias arces, quæ te, juſtiſſime Phineu,
Teque, ſenex Peripha, pariter videre volantes,
Innixamque novis neptem Polyphemonis alis.
Excipit hanc Ægeus, facto damnandus in uno:
Nec ſatis hoſpitium eſt, thalami quoq; fędere jungit.
Jamque aderat Theſeus proles ignara parenti,

Medea Colcha, paratis.

Nova nupta. Creuſa, ſive Glauca.

Regis. Creontis.

Enſis. Medeæ. Poſtquam Medea novam Jaſonis conjugem, & regis domum, incendio abſumpſit; liberos ipſa ſuos jugulavit: ac demum ultione tam crudeli potita, Jaſonem ſtricto gladio inſequentem effugit.

Mater ulta ſe male. Nempe filiorum nece.

Titaniacis. Sibi a Titane, ſole, vel ſolis avo, cum ipſo curru, datis. Supra, num. 5.

Palladias arces. Athenas, Palladi ſacras.

Phineu &c. Quis ille Phineus, & Periphas; quæ neptis Polyphemonis, aut cur datæ illis volucrum alæ, nemo ſatis explicat; nec ſcrutari, tanti eſt.

Ægeus. Rex Athenarum, Theſei pater.

Facto &c. Vel hoc uno facto culpandus erat merito Ægeus, quod Medeam hoſpitio accepiſſet, at multo damnandus magis, quod eamdem uxorem adſciviſſet, nempe mulierem ſceleratiſſimam.

Jamque aderat. Aliquanto poſt nuptias Ægei cum Medea, venit Athenas Theſeus.

Proles ignara. Quem Ægeus filium ſuum eſſe ignorabat.

Parenti. Ægeus, rex Athenarum, Æthram, Pitthei, regis Trœzenis filiam duxerat. Athenas propere revocatus, conjugem gravidam reliquit in ædibus, & fide Pitthei, monuitque ut ſi ſtirpem ea virilem ederet, filium aleret domi, nec niſi grandiorem, ac recte inſtitutum, Athenas ad ſe mitteret; ſimul gladium certis inſignitum notis, e quibus illum agnoſceret, uxori dedit. Theſeus ætate provectior, mortua matre, Athenas venit, gladium illum gerens; neque ſe tamen ſtatim certis de cauſis indicavit patri, qui filium e Medea jam ſuſceperat. Hæc Theſeum eſſe perſenſit, ac moleſtum privignum decrevit veneno tollere, hoſtemque eſſe, ac de regno invadendo cogitare, Ægeo perſuaſit.

Qui virtute ſua bimarem pacaverat Iſthmon.
Hujus in exitium miſcet Medea, quod olim
Attulerat ſecum Scythicis aconiton ab oris;
Illud Echidneæ memorant e dentibus ortum
Eſſe canis. Specus eſt tenebroſo cæcus hiatu,
Et via declivis, per quam Tirynthius heros
Reſtantem, contraque diem, radioſque micantes
Obliquantem oculos, nexis adamante catenis
Cerberon attraxit; rabida qui concitus ira
Implevit pariter ternis latratibus auras,
Et ſparſit virides ſpumis albentibus agros.
Has concreſſe putant, nactaſque alimenta feracis,
Fœcundique ſoli, vires cepiſſe nocendi:
Quæ, quia naſcuntur dura vivacia caute,
Agreſtes aconita vocant. Ea conjugis aſtu,
Ipſe parens Ægeus nato porrexit, ut hoſti.

Qui &c. Theſeus, Athenas petens, latrones iſthmum Corinthiacum vaſtantes deleverat.

Bimarem. Lib. V. n. 11.

Iſthmon. Lib. VI. n. 10.

Aconiton. Aconitum, herba peſtilens, innaſcens cautibus: Lib. I. num. 6. Hanc e ſpuma Cerberi natam docet Ovidius, quando illum Hercules ab inferis eduxit.

Echidneæ canis. Cerberi: quem ex Echidna monſtro natum tradunt. Echidna, Græca vox, viperam ſignificat: ſæpe apud poetas, ſerpentem quemlibet: ſæpius Lernæam hydram. Echidneæ, habent omnia vetera exemplaria, non Echidnei. Sane in inferis ſæpe canum mentionem faciunt poetæ, idque fœmineo genere: Sic Horat. I. Serm. Sat. 8. *Infernas canes* vocat, Virgil. *Viſæque canes ululare per umbram*. Huc adde, quod canum fœminarum rabies gravior eſſe dicitur. Lib. X. num. 1.

Dentibus. Ore, ſpuma.

Specus eſt... Acheruſias, promontorium eſt, prope Heracleam, urbem Ponti: hic oſtendebatur caverna, per quam Hercules ad inferos deſcendiſſe ferebatur.

Tirinthius heros. Hercules, ita dictus a Tirynthe, urbe Græciæ, in qua nutritus.

Reſtantem. Cunctantem. Obluctantem.

Obliquantem. In latus avertentem.

Ternis latratibus. Quia tria habet capita.

Has &c. Illas ſpumas putant concreviſſe, & coaluiſſe, atque ab humo fœcunda auctas, in venenatam herbam evaſiſſe.

Vivacia. Diu viventia, & virentia.

Conjugis aſtu. Dolo Medeæ.

Igna-

Sumpſerat ignara Theſeus data pocula dextra,
Cum pater in capulo gladii cognovit eburno
Signa ſui generis, facinuſque excuſſit ab ore.
Effugit illa necem, nebulis per carmina motis.

Ignara dextra. Latentis veneni ignarus.
In capulo, &c. Vidit Ægeus certum quoddam inſigne, in capulo gladii, quo accinctus erat Theſeus, ex quo ſigno filium agnovit. Solebant veteres ſuæ familiæ inſignia cælare in gladiorum capulis.
Sui generis. Inſignia gentilitia: notas familiæ proprias.
Facinus. Poculum veneno imbutum, & ipſi paratum ſcelere Medeæ.
Nebulis motis. Quibus ſe occultavit, arte magica.

X I.

Populus Theſeum a parte agnitum celebrat.

At genitor, quamquam lætatur ſoſpite nato,
Attonitus tamen eſt, ingens diſcrimine parvo
Committi potuiſſe nefas: fovet ignibus aras,
Muneribuſque Deos implet, feriuntque ſecures
Colla toroſa boum, vinctorum cornua vittis.
Nullus Erechthidis fertur celebratior illo
Illuxiſſe dies, agitant convivia patres,
Et medium vulgus, necnon & carmina, vino
Ingenium faciente, canunt. Te, maxime Theſeu

Genitor. Ægeus.
Soſpite nato. Quod Theſeus necem effugerit; quod incolumis, & agnitus ſit.
Attonitus &c. Tamen cohorreſcit, ac ſtupet, tantum ſcelus committi tam facile potuiſſe: tam parum abfuiſſe quin filius periret.
Fovet. Focos accendit ad ſacrificium peragendum.
Muneribus, &c. Large offert Diis munera.
Toroſa. Craſſa, pinguia. Lib. II. n. 19. Tori ſunt pulpæ carnis, partes craſſiores, in quibus muſculi & nervorum fibræ.
Vinctorum, &c. Qui tauri habebant cornua illigata tæniis.
Erechthidis. Athenienſibus: quorum priſcus rex Erechtheus. Libr. VI. numero 15.
Patres. Proceres nobiles.
Medium. Promiſcuum, ignobile.
Te maxime. Carmina refert, in Theſei honorem, populo cantata.

Mirata eſt Marathon Cretæi ſanguine tauri,
Quodque ſuam ſecurus arat Cromyona colonus,
Munus, opuſque tuum eſt; tellus Epidauria per te
Clavigeram vidit Vulcani occumbere prolem,
Vidit & immitem Cephiſias ora Procuſten,
Cercyonis letum vidit Cerealis Eleuſis.
Occidit ille Sinis, magnis male viribus uſus,
Qui poterat curvare trabes, & agebat ab alto
Ad terram late ſparſuras corpora pinus.
Tutus ad Alcathoen, Lelegeia mœnia, limes

Marathon. Nunc vicus, *Marathona*; olim oppidum, in Athenarum conſpectu. In campis Marathoniis Miltiades Perſarum multitudinem prope infinitam exigua manu fudit.

Sanguine tauri. Mirata eſt cæſum a te taurum Cretæum. Is Cretam olim vaſtabat: captus ab Hercule, & adductus ad Euryſtheum eſt; a quo dimiſſus vaſtitatem Atticæ ſtragemque intulit, donec a Theſeo interficeretur.

Quodque, &c. Cremyon, ſeu Cromyon, vicus erat, non procul Corintho. Agrum vicinum horrida ſus devaſtabat; hac perempta ſecuros Theſeus agricolas præſtitit.

Tellus Epidauria... Epidaurus, Græciæ civitas, obtinebatur a Peripheta, latrone immani, Vulcani filio, qui armatus clava, a qua Corynetæ nomen invenit, (*κορύνη*, *clava*) metum & necem ubique circumferebat. Theſeo pœnas dedit. Epidaurum hanc vocant hodie *Pigiada*, ad ſinum Saronicum. Altera eſt ad ſinum Argolicum, dicta vulgo *Malvaſia*.

Vidit &c. Procuſtes latrociniis, & crudelitate famoſus, hoſpites lecto ſuo imponebat, quo ſi longiora eſſent eorum crura, amputabat: ſi breviora, diſtendebat funiculis. Theſeus monſtrum hominis ſuſtulit, ad Cephiſum fluvium. *Cephiſia ora*, eſt ager vicinus fluvio Cephiſo.

Cercyonis. Ab eodem Theſeo necatus eſt Cercyon prædonum ſignifer.

Eleuſis. Atticæ vicus, (*Lepſina*) in ora ſinus Saronici, nunc dirutus. Ibi ſacra Cereris inſignia peragebantur.

Sinis. Iſthmum ille Corinthiacum latrociniis infeſtum habuit. Duabus arboribus incurvatis alligabat hominis brachia, tum arbores ſinebat in priſtinum redire ſtatum, quæ divulſum corpus, diſcerpebant ſummo cum cruciatu.

Agebat, &c. Adducebat ab ſummo cacumine ad terram.

Sparſuras. Diſcerpturas.

Tutus &c. Secura modo via patet ad Megarenſem urbem, quia ſepultus eſt Sciron,

Compoſito Scirone, patet; ſparſiſque latronis
Terra negat ſedem, ſedem negat oſſibus unda,
Quæ jactata diu fertur duraſſe vetuſtas
In ſcopulos, ſcopulis nomen Scironis inhæret.
Si titulos, annoſque tuos numerare velimus,
Facta prement annos: pro te, fortiſſime, vota
Publica ſuſcipimus, Bacchi tibi ſumimus hauſtus.
Conſonat aſſenſu populi, precibuſque faventum
Regia, nec tota triſtis locus ullus in urbe eſt.

ron, per quem tuto non licebat ad eam commeare. Megara, hodie quoque *Megara*, Græciæ oppidum, inter Athenas & Corinthum: olim a Lelege condita eſt; poſtmodum ab Alcathoo inſtaurata, & refecta: ab hoc Alcathoe: ab illo, urbs Lelegeja, hic appellatur. Dicitur etiam Megara Megarorum, neutro genere, plurali numero.

Compoſito. Componere, vox funebris, ſignificat collocare in feretro: ſepelire.

Scirone. Is e ſcopulo præcipites in mare viatores dabat: eadem affectus a Theſeo pœna fuit. Ejus oſſa vates ait in ſcopulos, qui Scironia ſaxa vocabantur, induruiſſe.

Sparſis, &c. Scironis oſſa e terra in mare projecta, diu fuerunt jactata: demum durata in cautes concrevere.

Si titulos. Si res a te præclare geſtas, quibus titulos, elogia, & alia honoris monumenta, meritus es, numerare, eumque tuis comparare annis, velimus; reperiemus ſactorum numerum, annorum numero majorem eſſe.

Prement. Numero vincent.

Tibi. In tuum honorem, tibi propinamus.

Conſonat. Domos regis perſonat vocibus populi Theſeum magno conſenſu laudantis.

XII.

Minos, indicto Athenienſibus bello, auxilia conquirit. Ea negat Æacus.

Nec tamen (uſque adeo nulla eſt ſincera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis intervenit) Ægeus

Nec tamen, &c. Quamvis haberet merito Ægeus cur gauderet nato recuperato, tamen ejus lætitia non fuit integra, non uſquequaque perfecta.

Intervenit. Supervenit, intercurrit, rebus proſperis aliquid adverſum, & triſte, quod homines faciat ſolli-

Gaudia percepit nato ſecura recepto.
Bella parat Minos, qui quamquam milite, quamquam
Claſſe valet, patria tamen eſt firmiſſimus ira,
Androgeique necem juſtis ulciſcitur armis.
Ante tamen bello vires acquirit amicas,
Quaque patent aditus volucri freta claſſe pererrat.
Hinc Anaphen ſibi jungit, & Aſtypaleia regna:
Promiſſis Anaphen, regna Aſtypaleia bello.
Hinc humilem Myconen, cretoſaque rura Cimoli,
Florentemque viris Scyron, planamque Seriphon,

citos, & anxios.

Bella, &c. Hæc illa eſt cauſa cur Ægei gaudium de recepto filio, non fuerit omnibus numeris abſolutum. Minos adeſt cum exercitu, &c.

Minos. Jovis filius, Cretæ rex. Hujus filius Androgeus Athenas venerat, certaturus in palæſtra publica, cum athlætis. Vicit; at maximam Athenienſium, quod ab hoſpite ſuperati eſſent, invidiam in ſe concitavit. Quare inſidiis ad Ægeo ſtructis, eſt interfectus. Minos Ægeo bellum indixit. Virgil. initio Libri VI.

Firmiſſimus. Potentiſſimus: nempe armatus bonitate cauſæ. Necem filii pater ulciſcebatur.

Bello &c. Amicorum vires quærit, quibus fretus bellum tutius gerat.

Qua patent aditus. Quacumque licet illi adire, ubi hoſtes non obſiſtunt, ac morantur.

Anaphen. Inſulam in mari Cretico: *Nanfio.*

Sibi jungit. Inito fædere, ſociatis armis.

Aſtipaleja. Aſtipalæa inſula eſt maris Carpathii, *La Stampalia.*

Myconen. Unam e Cycladibus (*Micone.*) Cyclades inſulæ ſunt exiguæ, in mari Ægeo. Lib. I. numero 6. amplius quinquaginta numerantur. Sporades, minores pariter inſulæ decem, circa Cretam viſuntur temere ſparſæ, unde illis nomen, σπείρω, *ſpargo, ſemino.* Cimolus (*l' Argentara*) una Sporadum, in qua effoditur creta, purgandis veſtibus idonea.

Florentem viris. Populoſam. Scyrus, (*Schiro*) non procul Cimolo abeſt. De Seripho dictum antea Lib. V. num. 7. Aſpera eſt inſula, & petricoſa. Itaque planam vocat Ovidius per antiphraſin; aut planam, id eſt, carentem altis montibus. Multis placet *parvam.* Hujus initium verſiculi alii ſic ſcribunt: *Florentemque auro Siphnon.* Siphus (*Sifano*) inter Cyclades recenſetur a Strabone: & a Plinio metallis auri abundaſſe traditur.

Marmoreamque Paron , quamque impia prodidit Arne
Sithonis, accepto , quod avara propoſcerat, auro .
Mutata eſt in avem , quæ nunc quoque diligit aurum,
Nigra pedes, nigris velata monedula pennis.
At non Oliaros, Didymeque, & Tenos, & Andros,
Et Gyaros, nitidæque ferax Peparethos olivæ ,
Gnoſiacas juvere rates. Latere inde ſiniſtro
Oenopiam Minos petit, Æacideia regna:
Oenopiam veteres appellavere; ſed ipſe
Æacus Æginam genitricis nomine dixit.
Turba ruit, tantæque virum cognoſcere famæ
Expetit. Occurrunt illi Telamonque , minorque
Quam Telamon, Peleus, & proles tertia Phocus .
Ipſe quoque egreditur tardus gravitate ſenili
Æacus, & quæ ſit veniendi cauſa requirit.
Admonitus patrii luctus ſuſpirat, & illi

Paron. Inſulam marmore ſuo nobilem, in eodem mari Ægæo.

Quamque &c. Obſcurum eſt quam inſulam his verbis vates indicare velit, & quænam illa ſit Arne, quæ prodiderit patriam, auro victa.

Sithonis. Threjcia Threſſa. Eſt enim Sithonia Thraciæ pars. Pro *Sithonis* legunt nonnulli *Cythnon*, *&c*... voluntque Cythnum (inſulam Ægæi maris, *Gaura*) fuiſſe ab Arne proditam.

Monedula . Avis e cornicum genere, ſic dicta, quaſi monetula, quod monetæ & pecuniæ amore capiatur, eamque ſuffuretur. Plin. Eam Galli vocant *corneille emmantelee*; Itali, *monacchia*.

At non, &c. Minoi auxilium non tulere Oliarus, (*Quiminio*) Didyme, Tenos (*Tine*) & Andros;.(*Andro*) Cyclades; Gyarus, una e Sporadibus: nunc *Jura*. Peparethus (*Saraquino*) prope Macedoniam, in ſinu Thermaico, jacet.

Gnoſiacas. Cretenſes. Gnoſus, oppidum Cretæ.

Oenopiam . Vetus eſt nomen inſulæ, quæ poſtea dicta fuit Ægina , ab Ægina Æaci matre . Hinc orti Æacidæ , ſpectat ſiniſtrum latus inſularum, quas prius nominavit; ipſa e regione Athenarum jacet , in ſinu Saronico: *Egina*.

Turba. Incolæ Æginæ.

Virum. Minoa.

Tantæ famæ . Tam celebrem. Juſtitiæ laude floruit: quamobrem juri apud inferos dicendo præpoſitus a Jove dicitur.

Telamon, Peleus, Phocus. Æaci filii.

Admonitus &c. Minos, Cretæ rex, in qua centum erant urbes, de ſuo dolore, ac filii cariſſimi jactura inter-

Dicta refert rector populorum talia centum:
Arma juves oro pro nato ſumpta, piæque
Pars ſis militiæ: tumulo ſolatia poſco.
Huic Aſopiades: Petis irrita, dixit, & urbi
Non facienda meæ: neque enim conjunctior ulla
Cecropidis hac eſt tellus; ea fœdera nobis.
Triſtis abit, ſtabuntque tibi tua fœdera magno,
Dixit; & utilius bellum putat eſſe minari,
Quam gerere, atque ſuas ibi præconſumere vires.

terrogatus, & dicere coactus, primo ingemuit; deinde talia dicta repoſuit: ſic reſpondit Æaco.

Arma. Mea. Suppetias fer patri filium cæſum ulciſcenti.

Tumulo, &c. Manes filii mei ſolare, nec inultos illos ſine: vel, mihi ipſi ſolatium hoc præſta, ut placide moriar, cædem filii ultus.

Aſopiades. Æacus, Aſopi nepos. Ægina, quippe mater Æaci, Aſopo erat genita.

Petis irrita. Incaſſum rogas me, ut opem feram, & auxiliares tibi copias jungam.

Cecropidis. Athenienſibus.

Ea fœdera nobis. Antiquum inter me, atque Athenienſes fœdus intercedit, quo vetamur ne alteri, alterorum hoſtes juvemus.

Abit. Minos.

Stabunt, &c. Conſtabunt magno. Hæc fœdera tibi erunt exitialia.

Et utilius, &c. Credidit Minos ſuis rationibus eſſe utilius, & conſultius, minari dumtaxat bellum Æaco, quam illi inferre, ne ſuas ibi vires & copias conſumeret, antequam ipſos Athenienſes laceſſeret, quibus integrum objicere exercitum præſtabat, quam acciſum obſidione, forſan diuturna, Æginæ, & debilitatum.

XIII.

Æacus priſcum fœdus renovat cum Cephalo, Athenienſium legato.

Claſſis ab Oenopiis etiamnum Lyctia muris
Spectari poterat: cum pleno concita velo
Attica puppis adeſt, & portus intrat amicos,

Claſſis, &c. Vix diſceſſerat Ægina Minos; ejus claſſis adhuc in Æginæ conſpectu erat, cum navis Athenienſis in Æginæ portum ſubiit.

Oenopiis. Supra, n. 2.

Lictia. Cretica. Lyctus, oppidum Cretæ.

Amicos. Portum Æginæ, inſulæ amicæ, & fœderatæ.

Quæ Cephalum, patriæque ſimul mandata ferebat.
Æacidæ longo juvenes poſt tempore viſum
Agnovere tamen Cephalum, dextraſque dederunt,
Inque patris duxere domum. Spectabilis heros,
Et veteris retinens etiamnum pignora formæ,
Ingreditur, ramumque tenens popularis olivæ,
A dextra, lævaque, duos ætate minores
Major habet Clyton, & Buten, Pallante creatos.
Poſtquam congreſſi, primi ſua verba tulerunt
Cecropidæ: Cephalus peragit mandata, rogatque
Auxilium, fœduſque refert, & jura parentum,
Imperiumque peti totius Achaidos addit.
Sic ubi mandata juvit facundia cauſam,

Cephalum. Ducem Athenienſem, Dejonei filium, Æoli nepotem.

Patriæ. Athenarum. Ferebat navis Cephalum, cui Athenienſes mandaverunt, quæ cum Æaco ageret.

Æacidæ. Filii Æaci: peleus, Telamon, & Phocus.

Dextras dederunt. Junxerunt; amicitiæ pignus.

Patris. Æaci.

Heros. Cephalus.

Veteris formæ. Venuſtatis, quam recenti luctu perdiderat; qua florebat in juventute.

Pignora. Notas, veſtigia.

Popularis olivæ. Quæ arbor Athenienſibus cara, & quaſi propria, quippe ſacra Palladi, Athenarum præſidi: oliva pacis (quam petebat Cephalus) ſimbolum eſt.

A dextra.. Cephalus major, ætate, & forſan ſtatura, duos Athenienſes primarios adoleſcentes, minores, id. eſt, inferiores ætate, hinc inde comites habet, Clytum, & Buten: filios Pallantis, cujus pater Pandion, rex Athenarum.

Poſtquam &c. Poſt mutuas Athenienſium procerum, & Æaci, ſalutationes, primi Athenienſes cœperunt verba facere: Cephalus exponit legationis ſuæ ſummam, nempe ut auxilium, contra Minoem præſtent Æginetæ Athenienſibus.

Cecropidæ. Cecrops primus rex Athenienſium.

Fœdus refert &c. Commemorat fœdus priſtinum a majoribus jurejurando firmatum, inter Athenienſes, & Æginetas.

Peti.. Cephalus quæri a Minoe totius Græciæ imperium docet. Affectari tyrannidem.

Achaidos. Achaja, Græciæ notiſſima pars, a qua ipſi Græci Achivi nominantur: Græcia Achais.

Sic, ubi.. Poſtquam pro commiſſa ſibi cauſa Cephalus eloquenter, & appoſite peroravit; ſic locutus eſt Æacus.

Æacus, in capulo ſceptri nitente ſiniſtra,
Ne petite auxilium, ſed ſumite, dixit, Athenæ:
Nec dubie vires, quas hæc habet inſula, veſtras
Ducite, & omnis eat rerum ſtatus iſte mearum.
Robora non deſunt, ſuperat mihi miles, & hoſti:
Gratia Dis; felix, & inexcuſabile tempus.
Imo ita ſit, Cephalus; creſcat tua civibus opto
Urbs, ait: adveniens equidem modo gaudia cepi,
Cum tam pulchra mihi, tam par ætate, juventus
Obvia proceſſit; multos tamen inde requiro,
Quos quondam vidi, veſtra prius urbe receptus.
Æacus ingemuit, triſtique ita voce locutus.

Æacus in, &c. Reſpondit illi Æacus, innixam habens manum ſiniſtram manubrio ſceptri. Legitur vulgo, *in capulo regni*, opinor mendoſe. Capulus, eſt ea pars enſis, falcis, aut ſceptri, &c. qua res iſtæ capiuntur, & tenentur. Porro ſceptrum priſcorum regum aliud nihil erat, quam baculus oblongus, inſtar pedi paſtoralis, & in ſumma parte incurvus.

Athenæ. O Athenienſes.

Nec dubie. Pro certo habetote, inſulæ meæ copias, eſſe veſtras, vobis addictas.

Omnis eat. Totus hic meus ſtatus, tota reſpublica, omnis populus, eat vobiſcum; omnes fortunæ meæ vobis militent volo. Pro, *Omnis eat, &c.* Legerim libenter cum Heinſio, *Communis* (nempe mihi & vobis) *rerum ſtatus iſte mearum eſt*. Omnia quippe, ut parœmia fert, amicorum communia.

Robora. Copiæ.

Superat. Abunde mihi ſunt, ſuperſunt, milites, qui & me tueantur, & hoſtem laceſſant.

Gratia Dis. Sit ſuperis gratia. Superis gratiam habeo, quod ſuppetant copiæ ſatis magnæ, & mihi tuendo, & hoſti oppugnando.

Inexcuſabile, &c. Felix eſt rerum mearum ſtatus, nec poſſum uti excuſatione alicujus calamitatis, quæ impediat quominus opem vobis feram.

Tempus. Sæpe vox ea ſumitur pro ſignificandis rebus adverſis, aut ſecundis.

Imo &c. Ego vero id cupio, inquit Cephalus, & a Superis oro, ut pergas abundare militibus, & populo: ſit tibi propria hæc, & perpetua felicitas.

Par ætate. Ejuſdem omnes ætatis: quippe nati omnes eodem tempore, uti mox Æacus exponet: vel ejuſdem ac Cephalus ætatis.

Inde. Ex hoc civium numero.

Requiro. Deſidero, abeſſe, obiiſſe, video.

Fle-

Flebile principium melior fortuna ſecuta eſt :
Hanc utinam vobis poſſem memorare ! ſine ullo
Ordine nunc repetam : neu longa ambage morer vos,
Oſſa, cinifque jacent, memori quos mente requiris ;
Et quota pars illi rerum periere mearum?

Flebile principium. Calamitatem regni mei, & cladem, excepit ſors melior : nempe mutatio formicarum in homines ; unde clades reparata.

Et quota, &c. Et illi quidem, quos requiris, qui extincti ſunt, minima pars erant populi mei, qui pene totus peſtilentia periit.

X I V.

Æginam vaſtat peſtis.

Dira lues populis, ira Junonis iniquæ,
Incidit, exoſæ dictas a pellice terras.
Dum viſum eſt mortale malum, tantæque latebat
Cauſa nocens cladis, pugnatum eſt arte medendi.
Exitium ſuperabat opem, quæ victa jacebat.
Principio cœlum ſpiſſa caligine terras
Preſſit, & ignavos incluſit nubibus æſtus.
Dumque quater plenis explevit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem,
Letiferis calidi ſpirarunt flatibus Auſtri.

Populis. Hujus meæ inſulæ.

Exoſæ &c. Junonis ira, quæ oderat has terras, hanc inſulam, appellatam nomine Æginæ, quæ Jovis pellex.

Mortale. Humanum, humanis remediis curabile. Morbus quaſi moritur, cum ſanatur.

Exitium. Vis morbi.

Opem. Remedia. *Victa*. Irrita. *Preſſit*. Texit, obruit.

Dumque &c. Spatium quatuor menſium explicat poetice : per quos nimirum luna quater implevit ſuum orbem, & eumdem quater velut deſtruxit, exhauſitque.

Quater plenis. Melius, *quater junctis*. Hanc lectionem ſimilibus exemplis firmat Heinſius.

Tenuata. Diminuta, decreſcens.

Letiferis, &c. Quatuor iſtis menſibus, Auſtri peſtilentes flavere.

Conſtat & in fontes vitium veniſſe, lacuſque;
Milliaque incultos ſerpentum multa per agros
Erraſſe, atque ſuis fluvios temeraſſe venenis.
Strage canum primo, volucrumque, oviumque, boumque,
Inque feris ſubiti deprehenſa potentia morbi.
Concidere infelix validos miratur arator
Inter opus tauros, medioque recumbere ſulco.
Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros,
Sponte ſua lanæque cadunt, & corpora tabent.
Acer equus quondam, magnæque in pulvere famæ,
Degenerat; palmæ, veterumque oblitus honorum,
Ad præſepe gemit, morbo moriturus inerti.
Non aper iraſci meminit, non fidere curſu
Cerva, nec armentis incurrere fortibus urſi.
Omnia languor habet, ſilviſque, agriſque, viiſque
Corpora fœda jacent, vitiantur odoribus auræ.
Mira loquar, non illa canes, avidæque volucres,
Non cani tetigere lupi; dilapſa liqueſcunt,
Afflatuque nocent, & agunt contagia late:
Pervenit ad miſeros, damno graviore, colonos
Peſtis, & in magnæ dominatur mœnibus urbi.

Vitium. Peſtem: corruptionem.

Strage canum. Cur lues primos canes invadit? quod ipſum Homerus teſtatur. Quia canes aerem, ac proinde illius vitium, ſagaci & avida nare promptius excipiunt. Eſt autem hic ordo verborum. Deprehenſa eſt peſtis primo clade canum, & ovium, atque in ipſis feris.

Recumbere. Proſterni.

Lanigeris, &c. Balantes ægre oves, lanam ſponte defluente amittunt, ac tabeſcunt, ideſt, maceſcunt, ſqualent, marcent. Peſtilentiæ ſimilis deſcriptionem lege apud Virg. Lib. III. Georg.

In pulvere. In circo, in ſtadio: ubi currus ad metam agitantur, multo pulvere ſublato. Lib. XII. n. 5.

Degenerat. Amiſſa velocitate, majorum virtuti non reſpondet.

Odoribus. Cadaverum fœtore.

Illa. Corpora jacentia.

Cani. Senes.

Dilapſa liqueſcunt. Tabefacta diffluunt, ac putreſcunt.

Agunt. Diffundunt.

Damno graviore. Levior eſt ſcilicet jactura pecudum, quam hominum. Tum, ſublatis agrorum cultoribus, reliqua omnia perire neceſſe eſt.

Flam-

Viſcera torrentur primo, flammæque latentis
Indicium rubor eſt, & ductus anhelitus igni.
Aſpera lingua tumet, tepiduſque arentia ventis,
Ora patent, auræque graves captantur hiatu.
Non ſtratum, non ulla pati velamina poſſunt:
Dura ſed in terra ponunt præcordia; nec fit
Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore ſervet.
Nec moderator adeſt, inque ipſos ſæva medentes
Erumpit clades, obſuntque auctoribus artes.
Quo propior quiſque eſt, ſervitque fidelibus ægro,
In partem leti citius venit: atque ſalutis
Spes abiit, finemque vident in funere morbi.
Intulgent animis; & nulla, quid utile, cura eſt,
U ile enim nihil eſt: paſſim, poſitoque pudore,
Fontibus, & fluviis, puteiſque capacibus hærent.
Nec ſitis eſt extincta prius, quam vita, bibendo.
Inde graves multi nequeunt conſurgere, & ipſis
Immoriuntur aquis, aliquis tamen haurit & illas.
Tantaque ſunt miſeris inviſi tædia lecti,
Proſiliunt; aut, ſi prohibent conſiſtere vires,
Corpora devolvunt in humum, fugiuntque penates

Flammæ. Æſtus inteſtini.

Ductus igni. Oris ſpiritus æſtuoſus, & quaſi e medio igne hauſtus. *Ægre*, pro *igni*, ſubſtituit Heinſius. Sic Virg. *Quatit æger anhelitus artus.*

Tepidis &c. Dum os aperitur ad refrigeranda viſcera, hauriuntur peſtilentes auræ.

Stratum. Cubile.

Moderator. Medicus, morbi rector, qui facienda & fugienda præcipiat.

In patrem &c. Fit mortis particeps: communicatam ab aliis mortem facilius accipit.

Finemque &c. Non alium finem morbi reperiunt, quam in morte. Morte ſola finitur morbus.

Indulgent animis. Peſte tacti a nullo abſtinent cibo; nulla in re, quamvis noxia, ſibi parcunt.

Et nulla &c. Non curant inveſtigare quid utile ſit ad morbum levandum.

Poſito pudore. Adeout nec virgines, nec matronæ, ſe contineant domi, ſed prodeant in publicum, &c.

Inde. E fontibus, & puteorum crepidine.

Graves. Aquis tumidi, & diſtenti.

Et illas. Etiam aquas illas, ubi alii immortui; fætentes, & putridas, nonnulli hauriunt.

Cau-

Quiſque ſuos, ſua cuique domus funeſta videtur:
Et quia cauſa latet, locus eſt in crimine notus.
Semianimes errare viis, dum ſtare valebant,
Aſpiceres; flentes alios, terraque jacentes,
Laſſaque verſantes ſupremo lumina motu.
Membraque pendentis tendunt ad ſidera cœli,
Hic, illic, ubi mors deprenderat exhalantes.

Cauſa latet. Junonis ira imminentis.

Locus eſt in crimine. Acuſant notum locum: notas ædes, tamquam peſtiferas, damnant, ac fugiunt.

Pendentis cœli. Capitibus

Exhalantes. Animam. Geminum hunc verſum ſcutica dignum cenſet Heinſius, non elegantia Naſoniana.

X V.

Æacus deplorat ſuorum calamitatem, & Jovi ſupplicat.

Quid mihi tunc animi fuit, aut quid debuit eſſe?
Ni vitam odiſſem, & cuperem pars eſſe meorum?
Quo ſe cumque acies oculorum flexerat, illic
Vulgus erat ſtratum, veluti cum putria motis
Poma cadunt ramis, agitataque ilice glandes.
Templa vides contra gradibus ſublimia longis.
Jupiter illa tenet: quis non altaribus illis
Irrita thura dedit? quoties pro conjuge conjux,
Pro nato genitor, dum verba precantia dicit,
Non exoratis animam finivit in aris?
Inque manu thuris pars inconſumpta reperta eſt?
Admoti quoties templis, dum vota ſacerdos
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum,
Haud expectato ciderunt vulnere tauri?
Ipſe ego ſacra Jovi pro me, patriaque, tribuſque
Cum facerem natis, mugitus victima diros
Edidit, & ſubito collapſa ſine ictibus ullis

Quid mihi &c. Quid cogitare tunc, aut quid optare aliud potui, niſi ut una cum populo perirem, & odio vitæ afficeret?

Contra. Poſita e regione.

Non exoratis. In quibus preces irritas fuderat.

Haud expectato vulnere. Antequam a ſacrificulo ma-

Exiguo tinxit ſubjectos ſanguine cultros.
Fibra quoque agra notas veri, monituſque Deorum
Perdiderat, triſtes penetrant ad viſcera morbi.
Ante ſacros vidi projecta cadavera poſtes;
Ante ipſas, quo mors foret invidioſior, aras.
Pars animam laqueo claudunt, mortiſque timorem
Morte fugant, ultraque vocant venientia fata.
Corpora miſſa neci nullis de more feruntur
Funeribus, neque enim capiebant funera portæ:
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos: & jam reverentia nulla eſt,
Deque rogis pugnant, alieniſque ignibus ardent.
Qui lacryment, deſunt, indeflètæque vagantur
Natorumq; virumque animæ, juvenumque ſenumq;
Nec locus in tumulos, nec ſufficit arbor in ignes.
Attonitus tanto miſerarum turbine rerum,
Jupiter, o, dixi, ſi de te vera loquuntur,

mactarentur.

Fibra &c. Ipſæ viſcerum, in victimis, fibræ corruptæ, non præbebant indicia vera, & omina: neque haruſpices ex illis intelligere, quid monerent Superi, poterant.

Quo mors &c. Ut veluti Superis immanitatem exprobrarent.

Feruntur. Efferuntur ad rogum, extra muros urbis, pro more antiquo.

Funeribus. Exequiarum pompa, & honoribus.

Neque enim, &c. Tot erant funera, ut anguſtæ forent illis efferendis oppidi portæ.

Premunt terras. Jacent humi abjecta.

Indotata. Inornata, nullo apparatu adhibito, tanquam dote Corpora terræ mandantur, & illi quaſi deſponſa, & deſtinata junguntur, triſti conſortio. Veſtes, arma, & alia id genus, quæ in rogum conjiciebant, dotem mortuorum Vates vocat.

Reverentia. Reſpectus nullus eſt dignitatis, & cognationis: nullo diſcrimine nobiles cum ignobilibus, noti cum ignotis, cremantur.

Alienis. Suo quodque corpus rogo cremari ſolebat: tunc rogi communes, & indiſcreti: atque etiam rari erant, ac pauci pro cadaverum copia ita ut inter ſe depugnarent cives, ut ſuorum cadavera in rogum aliquem poſſent inferre.

Vagantur. Corpore inſepulto credebant animam apud inferos vagari, nec in Elyſios admitti campos.

Si &c. Si falſa non ſunt hiſtoriarum monumenta, quæ affirmant te meum, ex Ægina, Aſopi filia, patrem eſſe.

Illa

Nec te, magne pater, noſtri pudet eſſe parentem,
Aut mihi redde meos, aut me quoque conde ſepulchro.
Ille notam fulgore dedit, tonitruque ſecundo.
Accipio; ſintque iſta, precor, felicia mentis
Signa tuæ, dixi: quod das mihi, pignoris omen.

Ille notam, &c. Signum edidit Jupiter, fulgure, ac felici tonitru, ex quo meas preces auditas intelligerem.

Secundo. Fauſto.

Accipio. Accipio, & amplector hoc tonitru, tamquam augurium, & omen, id eſt ſignificationem tuæ voluntatis; ut pignus rei bene gerendæ. Pignus eſt aliqua res, qua ſe quiſpiam velut obligat ad ſolvendum aliquid, aut faciendum. Pignerari, eſt accipere pignus.

X V I.

Formica in Myrmidonas mutata.

Forte fuit juxta patulis rariſſima ramis,
Sacra Jovi quercus, de ſemine Dodonæo:
Hic nos frugilegas aſpeximus agmine longo
Grande onus exiguo formicas ore gerentes,
Rugoſoque ſuum ſervantes cortice callem.
Dum numerum miror, Totidem, pater optime, dixi,
Tu mihi da cives, & inania mœnia ſupple.
Intremuit, ramiſque ſonum ſine flamine motis
Alta dedit quercus: pavido mihi membra timore
Horruerant, ſtabantque comæ: tamen oſcula terræ
Roboribuſque dedi, nec me ſperare fatebar,
Sperabam tamen, atque animo mea vota fovebam.

Rariſſima. Vel raris ornata frondibus: vel quia paucæ tales, nimirum de ſemine Dodonæo: ex illarum quercuum genere, quæ naſcebantur in ſylva Dodonæa.

Dodonæo. Dodona, urbs Epiri, juxta quam ſilva Jovi ſacra. Hujus nemoris arbores (ſic poetis placet) vocem edidiſſe traduntur, & oracula fudiſſe. Hinc Virgil. II. Georg. *Habitæ Grajis oracula quercus.*

Frugilegas. Quæ colligunt, & furantur, fruges.

Cortice. Quercus. Adrepentes trito calle per ſcabrum corticem.

Sine flamine motis. Sine vento agitatis, ſua ſponte.

Roboribus. Quercui.

Nox ſubit, & curis exercita corpora ſomnus
Occupat: ante oculos eadem mihi quercus adeſſe,
Et rami totidem, totidemque animalia ramis
Ferre ſuis viſa eſt, parilique tremiſcere motu,
Graniferumque agmen ſubjectis ſpargere in arvis.
Creſcere quod ſubito, & majus, majuſque videri,
Ac ſe tollere humo, rectoque aſſiſtere trunco,
Et maciem, numerumque pedum, nigrumque colorem
Ponere, & humanam membris inducere formam.
Somnus abit, damno vigilans mea viſa, querorque
In Superis opis eſſe nihil. At in ædibus ingens
Murmur erat, voceſque hominum exaudire videbar
Jam mihi deſuetas. Dum ſuſpicor has quoque ſomni
Eſſe, venit Telamon properus, foribuſque recluſis,
Speque, fideque, pater, dixit, majora videbis.
Egredere. Egredior, qualeſque in imagine ſomni
Viſus eram vidiſſe viros, ex ordine tales
Aſpicio, noſcoque; adeunt, regemque ſalutant.
Vota Jovi ſolvo, populiſque recentibus urbem
Partior, & vacuos priſcis cultoribus agros;
Myrmidonaſque voco, nec origine nomina fraudo.
Corpora vidiſti; mores, quos ante gerebant,
Nunc quoque habent: parcum genus eſt, patienſque laborum,
Quæſitique tenax, & quod quæſita reſervet.

Graniferum agmen. Formicas.

Videri. Subaudi, cœpit.

Recto trunco. Corpore erecto aſſurgere.

Ponere. Deponere.

Viſa. Inſomnia.

Damno. Tamquam ſopitæ mentis ludibria, reſpuo.

Deſuetas. Quas voces diu non audieram, hominibus extinctis peſte.

Somni eſſe. Non veras eſſe voces, ſed quales in ſomnis audiri putantur.

Majora fide, & ſpe. Videbis prodigia, qualia nec ſperare potuiſti; vixque credere poteris.

Vacuos. Quorum cultores erant mortui.

Nec origine, &c. Nomen illis impono congruens illorum origini. Græca vox μύρμηξ, quæ formicam ſignificat, affinis eſt voci Myrmidon, primaſque duas ſyllabas eaſdem habet.

Corpora vidiſti. Aſpexiſti quo habitu corporis, ac forma ſint iſti Myrmidones,

de

Hi te ad bella pares annis, animiſque, ſequentur,
Cum primum, qui te feliciter attulit, Eurus
(Eurus enim attulerat) fuerit mutatus in Auſtros.

de moribus ſi quæris, ſunt perparci, laborioſi, &c.

Pares annis. Quippe ſimul omnes nati: vel, tibi ætate pares.

Eurus. Ab oriente ſpirat: Auſter, a meridie.

XVII.

Cephalus de jaculo & cane, ſibi ab uxore datis, narrat.

Talibus, atque aliis longum ſermonibus illi
Implevere diem, lucis pars optima menſæ
Eſt data, nox ſomnis. Jubar aureus extulerat Sol:
Flabat adhuc Eurus, redituraque vela tenebat.
Ac Cephalum Pallante ſati, cui grandior ætas,
Ad regem Cephalus ſimul, & Pallante creati,
Conveniunt, ſed adhuc regem ſopor altus habebat.
Excipit Æacides illos in limine Phocus:
Nam Telamon, fraterque viros ad bella legebant:
Phocus in interius ſpatium, pulchroſque receſſus,
Cecropidas duxit, cum queis ſimul ipſe reſedit.
Aſpicit Æoliden ignota ex arbore factum
Ferre manu jaculum, cujus fuit aurea cuſpis.

Pars optima. Pars maxima. Aliqui codices habent, Pars ultima.

Cui, &c. Pallantis filii Clytus, & Butes, ad Cephalum, utpote majorem natu, mane ſalutandum, primi adierunt: deinde ipſi cum Cephalo, ad Æacum convenere.

Excipit. Illos ſermone amico detinet, ante regis, nempe Æaci, nondum experrecti cubiculum.

Phocus Æacides. Phocus, Æaci filius, illos ſolus excepit; nam Phoci fratres Telamon & Peleus, erant occupati in viris legendis, ideſt, militibus colligendis, qui cum Cephalo Athenas proficiſcerentur. Auxiliares turmas conſcribebant.

Spatium. Aulam interiorem & elegantiorem, ubi conſidentes, remotis arbitris, confabularentur.

Cecropidas. Athenienſes: nempe Cephalum, & ejus ſocios Clytum, ac Buten.

Æoliden, Cephalum, Æoli

Pauca prius mediis ſermonibus ille locutus,
Sum nemorum ſtudioſus, ait, cædiſque ferinæ;
Qua tamen a ſilva teneas haſtile reciſum
Jamdudum dubito; certe, ſi fraxinus eſſet,
Fulva colore foret, ſi cornus, nodus ineſſet:
Unde ſit ignoto; ſed non formoſius iſto
Viderunt oculi telum jaculabile noſtri.
Excipit Actæis e fratribus alter, & uſum
Majorem ſpecie mirabere, dixit, in iſto.
Conſequitur quodcumque petit, fortunaque miſſum
Non regit; & revolat, nullo referente, cruentum.
Tum verò juvenis Nereius omnia quærit:
Cur ſit, & unde datum, quis tanti muneris auctor.
Quæ Phocus petit, ille refert; tactuſque dolore
Conjugis amiſſæ, lacrymis ita fatur obortis:
Hoc me, nate Dea (quis poſſet credere?) telum
Flere facit, facietque diu, ſi vivere nobis
Fata diu dederint; hoc me cum conjuge cara
Perdidit, hoc utinam caruiſſem munere ſemper!

Æoli nepotem.

Mediis ſermonibus. Antequam de jaculo interrogaret; poſt officioſa ſalutandi verba. Interjectis paucis verbis.

Sum &c. Venatione delector, vidi multa venabula, & jacula, quibus feræ conficiuntur; nullum tamen jaculum huic tuo ſimile conſpexi: nec divinare poſſum qua ex arbore confectum ſit.

Nodus. Pars durior in ramo, inſtar nodi.

Actæis. Athenienſibus. Lib. I. nu. 11. Duos proxime dixit fratres, filios Pallantis, Cephalo additos comites legationis, Clytum & Buten. Horum unus ſic locutus eſt: Jaculum hoc majorem uſum, quam ſpeciem, habet.

Uſum, &c. Utilitas jaculi major eſt ejus pulchritudine.

Conſequitur &c. Aſſequitur & vulnerat quamlibet feram, in quam eſt immiſſum: & conſilio regi, ducique, non fortuna, & caſu, videtur.

Revolat. Redit ad dominum, ſua ſponte.

Cruentum. Vulnere inflicto. Fera, quam petebat, cæſa.

Juvenis Nerejus. Phocus. Nerei nepos, cujus enim mater erat nympha Pſamathe, Nerei filia.

Unde datum. A quo datum Cephalo jaculum fuerit.

Ille. Cephalus.

Quis poſſet credere? Videlicet, tam excellens jaculum cauſam flendi mihi eſſe.

Me perdidit. Mihi ſummum dolorem, uxori meæ necem, attulit.

Procris erat, ſi forte magis pervenit ad aures
Orithyia tuas, raptæ ſoror Orithyiæ;
Dignior ipſa rapi. Pater hanc mihi junxit Erechtheus.
Illa canem mihi dat, quem cum ſua traderet ipſi
Cynthia, currendo ſuperabit, dixerat, omnes:
Dat ſimul & jaculum, quod nos, ut cernis, habemus.
Muneris alterius quæ ſit fortuna requiris?
Accipe: mirandi novitate movebere facti.

Si forte, &c. Uxor mihi Procris erat, quam tu facilius cognoſces, ſi fuiſſe dixero ſororem Orithiæ, quæ tibi eſt fortaſſe notior.

Orithyiæ. Lib. VI. numero 15.

Rapi. A Borea.

Cinthia. Diana.

Sua. Quam colebat: venatrix ſcilicet.

Alterius. Canis. Reſcire cupis, quid de illo cane, quem mihi cum jaculo conjux dederat, factum ſit.

Accipe &c. Audi rem miram. De cane prius, quam de jaculo differit, fugiens nimirum mentionem de nece conjugis.

XVIII.

Fera, & canis, in ſaxa mutatio.

Carmina Laiades non intellecta priorum
Solverat ingeniis, & præcipitata jacebat
Immemor ambagum vates obſcura ſuarum.
Scilicet alma Themis non talia liquit inulta.
Protinus Aoniis immiſſa eſt altera Thebis.
Peſtis, & extio multi pecorumque, ſuoque,

Laiades &c. Oedipus, Laji filius, carmen, ſive ænigma Sphingis, quod nullus antea intelligere, ac ſolvere potuerat, feliciter explicuerat; & Sphinx in mare dederat ſe præcipitem, videns ambages ſuas ſolutas. Irata Themis immiſit in Thebanos vulpem, infeſtam agricolis, & pecori. Convenimus, ego, & reliqua Græciæ juventus, ad feram mactandam.

Carmina.. De Sphingis ænigmate fuſius agitur capite 20. Appendicis.

Themis. Hæc oraculis explicandis præerat, dolebatque nodum difficilem, quem Sphinx proponebat, non a ſe, aut Sphinge, verum ab Oedipo, ſolutum fuiſſe.

Altera peſtis. Præter Sphin-

Ruriculæ pavere feram. Vicina juventus
Venimus, & latos indagine cinximus agros.
Illa levi velox ſuperabat retia ſaltu,
Summaque tranſibat poſitarum lina plagarum.
Copula detrahitur canibus, quos illa ſequentes
Effugit, & cætum, non ſegnior alite, ludit.
Poſcor & ipſe meum conſenſu Lælapa magno,
(Muneris hoc nomen) jam dudum vincula pugnat
Exuere ipſe ſibi, colloque morantia tendit.
Vix bene miſſus erat, nec jam poteramus, ubi
    eſſet,
Scire; pedum calidus veſtigia pulvis habebat,
Ipſe oculis ereptus erat: non ocyor illo

Sphingem. Hæc in agro Thebano degebat, ſcopulo inſidens, unde prætereuntibus ænigma proponebat, morte, ni illud ſolverent, propoſita. Huic monſtro puellæ caput erat, corpus canis, alæ volucris, vox hominis, ungues leonis, draconis cauda. Nomen habuit a verbo Græco σφίγγειν, *conſtringere*, quia prætereuntes ita perplexis quæſtionibus conſtringebat, ut expedire ſe non poſſent. Veras extitiſſe Sphinges tradunt Solinus, Diodorus Siculus, & Plinius. Simiarum genus quoddam fuiſſe docent, villoſa coma, mammis prominentibus, cauda oblonga.

Aoniis. Thebanis. Thebæ ſunt in Bœotia, cujus pars Aonia fuit.

Pavere. Nutrivere: ſaginarunt. Multis ruſticis, & eorum gregibus exitium attulit hæc fera.

Indagine. Indago, eſt ſeries plagarum, quæ diſponuntur in ſaltibus, e furcis ſuſpenſæ, ad capiendas feras. Lib. XV. 10.

Lina. Funiculos e lino confectos, e quibus conſtant plagæ, id eſt, retia.

Copula. Vincula, quibus alligantur, aut junguntur.

Cætum. Canes circumſtantes.

Non ſegnior alite. Pari, atque aves, celeritate.

Ludit. Eludit, præterit.

Poſcor &c. Reliqui venatores petunt, ut ipſe quoque meum canem, ab uxore mihi donatum (is Lælaps vocabatur) emittam.

Tendit. Tendit excutere: vel, vincula contendit ita ut non ſint laxa, & fluitantia, ſed contenta, cane in feram imminente, & ea trahente.

Calidus. Notatus & impreſſus a cane, æſtuante cupiditate prædæ.

Non ocyor &c. Non viciſſet illum celeritate haſta valido lacerto contorta; non pilæ plumbeæ, rotata funda emiſſæ.

Haſta, nec excuſſæ contorto verbere glandes,
Nec Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.
Collis apex mediis ſubjectis imminet arvis;
Tollor in hunc, capioque novi ſpectacula curſus:
Quo modo deprehendi, modo ſe ſubducere ab ipſo
Vulnere, viſa fera eſt; nec limite callida recto,
In ſpatiumque fugit, ſed decipit ora ſequentis;
Et redit in gyrum; ne ſit ſuus impetus hoſti:
Imminet hic, ſequiturque parem, ſimiliſque tenenti
Non tenet, & vanos exercet in aera morſus.
Ad jaculi vertebar opem, quod dextera librat
Dum mea, dum digitos amentis addere tento,
Lumina deflexi, revocataque rurſus eodem
Rettuleram, medio (mirum) duo marmora campo
Aſpicio: fugere hoc; illud latrare, putares.
Scilicet invictos ambo certamine curſus

Contorto verbere. Funda torquetur, & in orbem agitur, ut ictum validiorem perferat.

Gortyniaco. Cretenſi, Gortyna, urbs Cretæ (*Calamus*) Cretenſes arte jaculandi præſtiterunt.

Calamus.. Arundo; ſagitta, quæ fit ex calamo, ob levitatem.

Collis &c. Aſſurgit in planitie colliculus; in hunc evaſi, ut ſpectarem currentem feram, & canem inſequentem.

Quo &c. Quo in curſu viſa mihi fera eſt modo comprehendi, modo elabi, & vulnera vitare, &c.

Nec limite. Non recta via fugit per ſpatioſum, & patentem campum, ſed curſum obliquat in gyrum, circinando varios orbes, & in ſua redeundo veſtigia.

Ne ſit. Ne, ſi recta fugiat, comprehendi poſſit a cane cum impetu ſequente: Ut canis currentis impetus abrumpatur, ipſa ſe huc illuc circumagit.

Hic. Canis.

Parem. Pari velocitate fugientem.

Ad jaculi &c. Cum viderem feram a cane comprehendi non poſſe, jaculo illam petere parabam.

Amentis. Amenta ſunt lora, quibus haſtæ, aut jacula, involvuntur, ut certius, longiuſque, vibrentur. Dum igitur manum iſtis amentis applico, dum illis digitos inſerere tento, paulum oculos averti a vulpe, & cane, mox eos ad utrumque convertens, vidi duo ſaxa, duas ſtatuas marmoreas.

Ad

Eſſe Deus voluit, ſiquis Deus adfuit illis.
Hactenus, & tacuit. Jaculo quod crimen in ipſo
eſt?
Phocus ait: jaculi ſic crimina reddidit ille.

Adfuit. Si Numinis cujuſpiam voluntate hæc mutatio contigit.
Hactenus. Subaudi, locutus eſt Cephalus.
Jaculo.. At enim, inquit Phocus, non video quid peccaverit hoc tuum jaculum, quod exitiale tibi, & conjugi tuæ, fuiſſe dicebas.
Reddidit. Narravit, ſubjecit.

XIX.

Cephalus uxorem Procrin imprudens vulnerat.

Gaudia principium noſtri ſunt, Phoce, doloris:
Illa prius referam. Juvat o meminiſſe beati
Temporis, Æacide, quo primos rite per annos
Conjuge eram felix, felix erat illa marito.
Sole fere radiis feriente cacumina primis,
Venatum in ſilvas juveniliter ire ſolebam,
Nec mecum famuli, nec equi, nec naribus acres
Ire canes, nec lina ſequi nodoſa ſolebant.
Tutus eram jaculo: ſed cum ſatiata ferinæ
Dextera cædis erat, repetebam frigus, & umbras
Et, quæ de gelidis exibat vallibus, auram:
Aura petebatur medio mihi lenis in æſtu,
Auram expectabam, requies erat illa labori.
Aura (recordor enim) venias, cantare ſolebam,
Utque facis, relevare velis, quibus urimur, æſtus
Vocibus ambiguis deceptam præbuit aurem

Principium. Priſtina felicitas mea, auget illam, qua nunc premor, infelicitatem.
Illa prius referam. Referam primo loco quænam fuerit mihi cauſa gaudii, nempe uxor ſapiens, & pudica.
Juveniliter. Ut ſolent juvenes, qui venatione plurimum delectantur.
Nec mecum, &c. Non ducebam mecum famulos, non canes, non retia rapiebam.
Lina nodoſa. Retia funiculis inter ſe nexis apta.
Tutus &c. Hoc uno jaculo, numquam aberrante, ſecurus eram: feriebat quicquid occurreret, ac ſua ſponte ad dominum redibat.
Auram. Ventum lenem, & frigidum.

Neſcio quis, nomenque auræ, tam ſæpe vocatum,
Eſſe putat nymphæ: nympham mihi credit amari.
Criminis exemplo ficti temerarius index
Procrin adit, linguaque refert audita ſuſurra.
Credula res amor eſt: ſubito collapſa dolore,
Ut mihi narratur, cecidit; longoque refecta
Tempore, ſe miſeram, ſe fati dixit iniqui;
Deque fide queſta eſt, & crimine concita vano,
Quod nihil eſt, metuit; metuit ſine corpore nomen,
Et dolet infelix, veluti de pellice vera.
Sæpe tamen dubitat, ſperatque miſerrima falli,
Indicioque fidem negat; &, niſi viderit ipſa,
Damnatura ſui non eſt delicta mariti,

Index. Delator. *Audita*. Voces ex me auditas, lingua ſuſurrante, id eſt in aurem, & voce ſubmiſſa, uxori meæ tenarrat. *Longo tempore refecta*. Vix e dolore ac metu ſe colligens. Ægre ſpiritu recepto, nec niſi longo poſt tempore. *Se fati &c*. Si irato fato, Superis adverſis, natam eſſe dixit. *De fide*. A me fracta. *Concita*. Commota. *Nomen ſine corpore*. Auram, qui merus aer eſt. *Veluti, &c*. Quaſi vere aliam amarem. *Sperat falli*. In ſpem adducitur fore, ut indicium reperiatur falſum. *Niſi viderit*. Neque antea virum tanti criminis reum credere ſtatuit, quam illud ſuis ipſa oculis verum eſſe cognoverit. Ergo venit in ſilvam, me conſequitur.

X X.

Procris errorem agnoſcit, & moritur.

Poſtera depulerant auroræ lumina noctem,
Egredior, ſilvaſque peto, victorque per herbas,
Aura veni, dixi, noſtroque medere labori.
Et ſubito gemitus, inter mea verba, videbar
Neſcio quos audiſſe. Veni tamen, optima, dixi.
Fronde levem rurſus ſtrepitum faciente caduca
Sum ratus eſſe feram, telumque volatile miſi.
Procris erat, medioque tenens in pectore vulnus,
Hei mihi! conclamat. Vox eſt ubi cognita fidæ.

Victor. Feris multis mactatis. *Gemitus*. Procris latens inter virgulta, ingemuit ad Auræ nomen. *Caduca*. Quæ ab arbore

Conjugis; ad vocem præceps, amenſque cucurri.
Semianimem, & ſparſas fœdantem ſanguine veſtes,
Et ſua (me miſerum!) de vulnere dona trahentem,
Invenio: attollo, ſciſſaque a pectore veſte
Vulnera ſæva ligo, conorque inhibere cruorem,
Neu me morte ſua ſceleratum deſerat, oro.
Viribus illa carens, & jam moribunda, coegit
Hæc ſe pauca loqui: Per noſtri fœdera lecti,
Perque Deos ſupplex oro, ſuperoſque, meoſque.
Per ſi quid merui de te bene, perque manentem
Nunc quoque, cum pereo, cauſam mihi mortis, amorem;
Ne thalamis Auram patiare innubere noſtris.
Dixit, & errorem tum denique nominis eſſe
Et ſenſi, & docui: ſed quid docuiſſe juvabat?
Labitur, & parvæ fugiunt cum ſanguine vires,
Sed vultu meliore mori ſecura videtur.
Flentibus hæc lacrymans heros memorabat, & ecce
Æacus ingreditur duplici cum prole, novoque
Milite, quem Cephalus cum fortibus accipit armis.

re ceciderat.

Sua dona. Jaculum a ſe mihi datum.

Coegit hæc ſe loqui. Vim ſibi fecit, ut hæc pauca diceret: adeo jam viribus defecta erat.

Fœdera. Per fidem in matrimonio promiſſam.

Meoſque. Morientium Dii, erant Dii inferi, ut viventium, ſuperi.

Ne thalamis. Ne Auram tibi conjugem ſume.

Secura. Intelligens ſe deceptam inani nomine.

Flentibus. Phoco, ejuſque comitibus.

Heros. Cephalus.

Ingreditur. Venit ad Cephalum.

Duplici cum prole. Peleo & Telamone ſtipatus. Phocus enim cum Cephalo remanſerat.

Quem.... Quem militem, quas copias ab Æaco datas accipit, abducitque Cephalus, cum armis, & bellica ſupellectili.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER OCTAVUS.
SYNOPSIS.

Scylla, Niſus, Perdix, & Meleagri ſorores, in volucres mutantur: Ariadnæ corona in ſidus: Najades in Echinadas: civitas in ſtagnum: caſa in templum: Philemon, & Baucis, in arbores: Proteus, & Metra, in varias formas. Dædalus evolat e labyrintho: Icarus in mare decidit. Aper Calydonius: Atalanta: Althæa: Meleager. Ereſichthonis impietas & pœna. Famis deſcriptio.

I.

Minos obſidet Megaram; Niſus fatali capillo ſpoliatur a filia.

Jam nitidum retegente diem, noctiſque fugante
Tempora Lucifero, cadit Eurus, & humida ſurgunt
Nubila, dant placidi curſum redeuntibus Auſtri
Æacidis, Cephaloque, quibus, feliciter acti
Ante expectatum portus tenuere petitos.
Interea Minos Lelegeia littora vaſtat,

Lucifero. Lib. II. nu. 3.
Curſum. Celerem navigationem.
Æacidis. Auxiliaribus Æaci copiis, quas Cephalus Athenas ex Ægina deportabat.
Quibus. Auſtris.
Acti. Vecti, uſi.
Ante &c. Ante, quam expectabantur.
Portus. Athenarum.
Petitos. Optatos: quo pervenire cupiebant.
Lelegeja. Megarenſia. Lib. VII. nu. 11. Ideo Megaram obſidebat Minos, quia erat ſocia, & fœderata Athenienſium, quibus bellum inferebat.

Præ-

Prætentatque ſui vires Mavortis in urbe
Alcathoe, quam Niſus habet, cui ſplendidus oſtro
Inter honoratos medio de vertice canos,
Crinis inhærebat, magni fiducia regni.
Sexta reſurgebant orientis cornua lunæ,
Et pendebat adhuc belli fortuna, diuque
Inter utrumque volat dubiis victoria pennis.
Regia turris erat vocalibus addita muris,
In quibus auratam proles Latonia fertur
Depoſuiſſe lyram; ſaxo ſonus ejus inhæſit.
Sæpe illuc ſolita eſt aſcendere filia Niſi,
Et petere exiguo reſonantia ſaxa lapillo,
Tunc cum pax eſſet; bello quoque ſæpe ſolebat
Spectare ex illa rigidi certamina Martis.
Jamque, mora belli, procerum quoque nomina norat,
Armaque, equoſque, habituſque Cydoneaſque pharetras.
Noverat ante alios faciem ducis Europæi,
Plus etiam, quam noſſe ſat eſt. Hac judice, Minos,

Prætentat &c. Quid bello poſſit, experitur; proludit ad reliquum bellum, expugnanda Alcathoe, ideſt Megara. Lib. VII. nu. 11.

Habet. Cui imperat.

Niſus. Unus e quatuor filiis Pandionis, regis Athenienſium.

Cui &c. Qui gerebat in ſummo capite purpureum crinem, ſive cæſariem, ac pro certo habebat (uti fuerat promiſſum ab oraculo) fore, ut numquam regno ſpoliaretur, quandiu crinem illum retineret.

Pendebat. Inter Minoem & Niſum anceps victoria, & incerta hærebat.

Regia turris. Pars regiæ domus. *Addita.* Juncta.

Vocalibus muris. Reſonantibus; ſonum, inſtar vocis emittentibus. Id ita contigiſſe narrant. Apollo navavit operam Alcathoo ad Megaram ædificandam; lyramque in ſaxis depoſuit, quæ vocalia ſic evaſere: ita ut, ſi quis ea calculo percuteret, eumdem, ac pulſæ fides, ſonum ederent.

Petere. Percutere.

Bello. Flagrante bello.

Mora belli. Dum obſidio in ſextum uſque menſem protrahitur.

Habitus. Veſtes.

Cydoneas. Cretenſes, Cydon, oppidum Cretæ.

Europæi. Minois, Europæ & Jovis filii.

Plus etiam.. Noverat ſtudioſius, curioſius aſpexerat, quam decebat caſtam.

Seu caput abdiderat criſtata caſſide pennis,
In galea formoſus erat; ſeu ſumpſerat ære
Fulgentem clypeum, clypeum ſumpſiſſe decebat.
Torſerat adductis haſtilia lenta lacertis,
Laudabat virgo junctam cum viribus artem:
Impoſito patulos calamo ſinuaverat arcus,
Sic Phœbum ſumptis jurabat ſtare ſagittis:
Cum vero faciem dempto nudaverat ære,
Purpureuſque albi ſtratis inſignia pictis
Terga premebat equi, ſpumantiaque ora regebat,
Vix ſua, vix ſanæ virgo Niſeia compos
Mentis erat: felix jaculum, quod tangeret ille
Quæque manu premeret, felicia fræna vocabat.
Impetus eſt illi (liceat modo) ferre per agmen
Virgineos hoſtile gradus; eſt impetus illi
Turribus e ſummis in Gnoſſia mittere corpus
Caſtra, vel æratas hoſti recludere portas;
Vel ſi quid Minos aliud velit: Utque ſedebat
Candida Dictæi ſpectans tentoria regis,
Læter, ait, doleamne, geri lacrymabile bellum,
In dubio eſt; doleo, quod Minos hoſtis amanti eſt:
Sed niſi bella forent, numquam mihi cognitus eſſet.
Me tamen accepta poterat deponere bellum
Obſide; me comitem, me pacis pignus, haberet.
Juſta gerit certe pro nato bella perempto,
Et cauſaque valet, cauſamque tuentibus armis.
Ut puto, vincemur; qui ſi manet exitus urbem,

Hac judice. Ut ejus opinio ferebat.

Decebat clypeum ſumpſiſſe. Decore, cum dignitate, & gratia, clypeum geſtabat.

Lenta. Quæ facile flectuntur, agitantur: habilia.

Calamo. Sagitta.

Sinuaverat. Curvaverat.

Sic Phœbum. Minoa Phœbo ſimillimum dictitabat.

Ære. Galea.

Stratis, &c. Equum inſtratum aureo tapete, & ephippio.

Sua. Sui compos.

Impetus eſt. Vellet. Ardet.

Liceat modo. Si liceret.

Gnoſſia. Cretenſia.

Dictæi regis. Cretenſis. Dicte mons Cretæ.

Me tamen. Pax tamen cōponi poſſet ea lege, ut obſes illi darer. *Obſide*. Lib.I.n.9.

Cauſa valet. Superior eſt æquitate cauſæ.

Qui ſi. Quod ſi vincendi ſumus, ſi hæc urbis fortuna eſt futura.

Cur

Cur ſuus hæc illi referet mea mœnia Mavors ,
Et non noſter amor? melius ſine cæde, moraque ,
Impenſaque ſui poterit ſuperare cruoris.
Nam metuo certe, ne quis tua pectora, Minos ,
Vulneret imprudens, quis enim tam durus, ut in te
Dirigere immitem non inſcius audeat haſtam?
Cœpta placent; & ſtat ſententia, tradere mecum
Dotalem patriam, finemque imponere bello:
Verum velle parum eſt, aditus cuſtodia ſervat,
Clauſtraque portarum genitor tenet. Hunc ego ſolum
Infelix timeo, ſolus mea vota moratur.
Di facerent ſine patre forem! ſibi quiſque profecto
Eſt Deus: ignavis precibus fortuna repugnat.
Altera jamdudum, ſuccenſa Cupidine tanto ,
Perdere gauderet quodcumque obſtaret amori.
Et cur ulla foret me fortior? ire per ignes ,
Et gladios auſim. Neque ad hoc tamen ignibus ullis,

Cur ſuus &c. Annon ſatius eſt, ut victoriam acceptam referat amori meo , quam ſuis armis?

Melius. Præſtat , ut bellum ope mea componatur , ſine cæde , ſine mora, ſine Minois periculo. Sic adulatur cupiditati, ac proditionem juſtam, utilem, imo neceſſariam eſſe ſibi perſuadet, dum illi ſpecioſum pacis , cito , & ſine damno conficiendæ nomen imponit.

Non inſcius. Qui te noverit.

Cœpta &c. Videtur id mihi longe optimum factu.

Dotalem. Tamquam dotem mei cum Minoe conjugii.

Verum &c. At enim velle bello finem imponere, Minoem adjuvare velle , non ſufficit ; opus eſt efficere aliquid , & exequi bene conſtituta. Sed quo tandem pacto? Milites aditus omnes ad urbem intercludunt: pater meus pro portis excubat. Utinam Superi me moleſto patre iſto liberarent. At ipſa me liberabo , mihi Deus ero.

Sibi quiſque eſt Deus. Unuſquiſque inſtar numinis eſt ſibi: poteſt per ſeſe, ſi animo valeat, quodcumque cum Superis poſſet: illis non eget, ſi ſe ipſe non deſerat. En quo impotens cupiditas mortales ducit, Deum ut eſſe negent , aut eo ſe carere poſſe putent.

Ignavis precibus. Non juvat Fortuna ignavos , qui meras adhibent preces: audentes, & operi inſtantes , juvat.

Altera, &c. Quælibet altera mulier , eodem atque ego, amore ſuccenſa , omnes obices jamdudum perrupiſ-

Aut gladii opus eſt, opus eſt mihi crine paterno:
Ille mihi eſt auro pretioſior, illa beatam
Purpura me, votique mei factura potentem.

rupiſſet: cur ullam aliam eſſe me audaciorem patiar, ac generoſiorem?

Ad hoc. Ut Minoem victoriæ ac voti compotem faciam. *Purpura*. Sup. n. 1.

I I.

Scylla Minoi fatalem patris crinem defert. Ab illo ſpreta, furit. In avem Sirim mutatur; Niſus in halyaetum.

Talia dicenti, curarum maxima nutrix
Nox intervenit, tenebriſque audacia crevit.
Prima quies aderat, qua curis feſſa diurnis
Pectora ſomnus habet: thalamos taciturna paternos
Intrat: & (heu facinus!) fatali nata parentem
Crine ſuum ſpoliat, prædaque potita nefanda
Fert ſecum ſpolium ſceleris, progreſſaque porta
Per medios hoſtes (meriti fiducia tanta eſt)
Pervenit ad regem, quem ſic affata paventem eſt:
Suaſit amor facinus, proles ego regia Niſi
Scylla, tibi trado patriamque meoſque Penates.
Præmia nulla peto, niſi te; cape pignus amoris
Purpureum crinem; nec me nunc tradere crinem,
Sed patrium tibi crede caput. Ṣcelerataque dextra
Munera porrexit. Minos porrecta refugit,
Turbatuſque novi reſpondit imagine facti:
Di te ſubmoveant, o noſtri infamia ſæcli,

Fatali crine. In quo urbis fatum & ſalus continebatur. Per illum crinem ſignificari volunt fabularum interpretes arcanum regis conſilium, quod Scylla Minoi aperuit.

Spolium ſceleris. Exuvias ſceleratas, ſcelere partas.

Meriti. Beneficii, quo afficiebat hoſtes, urbe illis prodita. Adeo illos conciliandos non dubitat, ut ſe inter ipſos tutam, & incolumem fore confidat.

Penates. Lib. I. nu. 7.

Submoveant. Abigant e terra; ex orbe, quem condiderunt, tollant.

Tel-

Orbe ſuo; telluſque tibi, pontuſque negetur.
Certe ego non patiar Jovis incunabula Cretem,
Qui meus eſt orbis, tantum contingere monſtrum.
Dixit, &, ut leges captis juſtiſſimus auctor
Hoſtibus impoſuit, claſſis retinacula ſolvi
Juſſit, & æratas impelli remige puppes.
Scylla, freto poſtquam deductas nare carinas,
Nec præſtare ducem ſceleris ſibi præmia vidit,
Conſumptis precibus violentam tranſit in iram,
Intendenſque manus, paſſis furibunda capillis,
Quo fugis, exclamat, meritorum auctore relicta,
O patriæ prælate meæ, prælate parenti?
Quo fugis, immitis? cujus victoria noſtrum
Et ſcelus, & meritum eſt. Nec te data munera nec te
Noſter amor movit, nec quod ſpes omnis in unum
Te mea congeſta eſt: nam quo deſerta revertar?
In patriam? ſuperata jacet; ſed finge manere,
Proditione mea clauſa eſt mihi: patris ad ora?
Quem tibi donavi. Cives odere merentem:
Finitimi exemplum metuunt. Obſtruximus orbem

Tellus &c. Reſpicere videtur vates ad pœnam, apud Romanos, parricidis imponi ſolitam, qui corio inſuti abjiciebantur in mare, adeo ut nec terram, nec mare, contingerent. Id fuſe, & eleganter explicat Tullius Orat. pro Roſcio Amerino.

Qui meus eſt orbis. Qua in Creta, ut in minori orbe, regno. Profecto in hanc venire ſe non patiar; ac terram in qua natus eſt Jupiter, ejus incunabulis veluti conſecratam, tam turpi monſtro inquinari.

Ut. Poſtquam.

Captis. Megarenſibus.

Auctor juſtiſſimus. Æqui & iniqui arbiter juſtiſſimus.

Deductas, &c. E littore, in altum provectas.

Nare. Fluitare; natare.

Ducem. Minoa.

Sceleris præmia. Speratas nuptias.

Intendens manus. Protendens manum verſus naves diſcedentes, ipſa in littore conſiſtens, & repulſa.

Paſſis. Sparſis, disjectis.

Meritorum auctore. Me, quæ tanti beneficii, urbis captæ, auctor, & cauſa tibi fui.

Manere. Salvum & incolumem eſſe.

Patris ad ora? An redibo, an veniam in conſpectum patris, cujus caput donavi tibi?

Finitimi, &c. Vicini populi me deteſtantur, quia ti-

Terrarum nobis, ut Crete ſola pateret.
Hanc quoq; ſic prohibes, & nos, ingrate, relinquis?
Non genitrix Europa tibi eſt, ſed inhoſpita Syrtis,
Armeniæ tigres, Auſtrove agitata Charybdis:
Nec Jove tu natus, nec mater imagine tauri
Luſa tua eſt. Generis falſa eſt ea fabula. Pœnas
Exige, Niſe pater: merui, & ſum digna perire,
Sed tamen ex illis aliquis, quos impia læſi,
Me perimat. Cur, qui viciſti crimine noſtro,
Inſequeris crimen? Scelus hoc patriæque, patrique
Officium tibi ſit. Celeres an inania venti
Verba ferunt, iidemque tuas, ingrate, carinas?
Me miſeram! properare jubet, divulſaque remis
Unda ſonat, mecumque ſimul mea terra recedit.
Nil agis, o fruſtra meritorum oblite meorum,
Inſequar invitum, puppimque amplexa recurvam,
Per freta longa trahar. Vix dixerat, inſilit undas,
Conſequiturque rates, faciente Cupidine vires,
Gnoſſiacæque hæret comes invidioſa carinæ.
Quam pater ut vidit (nam jam pendebat in auras,
Et modo factus erat fulvis halyæetus alis)

timent ne a ſuis filiabus, meo exemplo, prodantur.

Obſtruximus. Clauſimus.

Inhoſpita. Inhabitabilis: hoſpitibus infeſta, ob prædones, &c.

Syrtis. Vadum arenoſum in littore Libyco.

Armeniæ. Lib. XV. nu. 2.

Charybdis. Lib. VII. nu 1.

Imagine tauri. Lib. II. n. 19. Europa Minois mater, a Jove in taurum converſo, rapta.

Aliquis. Vel meus pater; vel civis quilibet Megarenſis.

Inſequeris? Plectis; me condemnas, ut ream.

Scelus hoc, &c. Si eſt ſcelus, ſit ita ſane, quod attinet ad patriam, & patrem meum: verum, quod ad te ſpectat, beneficium eſt; officium vocari, non ſcelus, debet.

Iidemque, &c. An idem ventus, qui tuas abripit naves, meas querelas auſert, ac diſſipat?

Properare jubet. Minos fugit, diſceſſum urget: remi ſulcant æquor.

Divulſa. Sciſſa.

Terra recedit. Littus videtur recedere, cum naves in altum provehuntur.

Comes invidioſa. Quaſi exprobratura Minoi animum ingratum, & illi odium conflatura.

Halyaetus. Avis ex aquilarum genere, ut Græca vox indicat; piſcibus inſidiari ſoli.

Ibat, ut hærentem roſtro laceraret adunco.
Illa metu puppim dimiſit, & aura cadentem
Suſtinuiſſe levis, ne tangeret æquora, viſa eſt:
Pluma fuit, plumis in avem mutata vocatur
Ciris, & a tonſo eſt hoc nomen adepta capillo

ſolita: ἅλς, *mare*, αἰετὸς, *aquila*: quaſi, marina aquila.

Ciris. Avis ſatis ignota: illam Virgilius peculiari carmine deſcribit. Alaudam nonnulli interpretantur: Voſſius, & uterque Scaliger, ardeolam albam, Gallis, *une aigrette*; Italis, *Garzetta*.

A tonſo &c. Κείρειν, Græcis eſt tondere. Voci Græcæ ſimilis eſt aliquo pacto latina Ciris.

III.

Theſeus, poſt interfectum Minotaurum, e labyrintho ſe explicat, ope Ariadnes. Abductum deſerit. Deſertam ducit Bacchus, & ejus coronam ſideribus inſerit.

Vota Jovi Minos taurorum ſanguine centum
Solvit, ut egreſſus ratibus Curetida terram
Contigit, & ſpoliis decorata eſt regia fixis.
Creverat opprobrium generis, fœdumque patebat
Matris adulterium, monſtri novitate biformis.
Deſtinat hunc Minos thalami removere pudorem

Vota. Pro felici expeditionis ſucceſſu: Athenis victis; quod etſi non aperte dicat Ovidius, facile tamen intelligitur, victis Megarenſibus, Athenienſes, quibus præcipue bellum inferebatur, expugnatos, & ad deditionem fuiſſe compulſos.

Taurorum centum. Hoc ſacrificium Hecatomben vocabant.

Ut. Simulatque.

Curetida. Cretenſem, Creta dicta eſt Curetis terra, quia ibi olim habitarunt Curetes, ſive Corybantes, Jovis educatores. Vide Appendicem, cap. 2.

Creverat, &c. Minotaurus interea mole creverat; monſtrum e Paſiphae, Minois uxore, natum: ſpeciem tauri, & hominis, gerens.

Adulterium. Qui fabulam hanc explicant, tradunt unum ex aulicis Minois, cui nomen Taurus, vitium obtuliſſe Paſiphae. Prolem ex eo natam adulterio, Minotaurum dictam, quaſi e Minois & Tauri ſanguine procreatam.

Removere. Ab hominum aſpectu.

Pu-

Multiplicique domo cæciſque includere tectis.
Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis
Ponit opus, turbatque notas, & lumina flexum
Ducit in errorem, variarum ambage viarum.
Non ſecus ac liquidis Phrygius Mæander in undis
Ludit, & ambiguo lapſu refluitque fluitque
Occurrenſque ſibi venturas aſpicit undas,
Et nunc ad fontes, nunc ad mare verſus apertum,
Incertas exercet aquas: ita Dædalus implet
Innumeras errore vias, vixque ipſe reverti
Ad limen potuit: tanta eſt fallacia tecti!
Quo poſtquam geminam tauri; juveniſque figuram
Clauſit, & Actæo bis paſtum ſanguine monſtrum,
Tertia ſors annis domuit repetita novenis:

Pudorem. Dedecus.

Multiplici domo. Labyrintho.

Ingenio. Artis fabrilis peritia.

Ponit opus. Fabricat labyrinthum.

Notas. Signa, quæ partem unam ab altera poſſent diſtinguere, confundit, implicat.

Lumina, &c. Oculos in errorem ducit multo anfractu. Vulgo legitur: *&* *limina flexu, &c.* Nempe ab ipſo ingreſſu, & limine, inchoat errorem, vias flectendo multiplici ambage.

Mæander. Fluvius Phrygiæ. Lib. II. nu. 6.

Verſus. Converſus.

Fontes. Suum caput, ac fontem.

Quo. Quo in tecto.

Geminam, &c. Mino taurum.

Actæo. Athenienſi, Lib. I. num. 11. Minos victor Athenienſes hoc tributo mulctavit, ut tertio quoque anno ſeptem pueros, ſorte lectos, ac totidem virgines, in Cretam mitterent, a Minotauro devorandos. Virgilius VI. Æneid. quotannis illos pueros fuiſſe miſſos canit: alii, nono quoque anno: alii tertio, ut hic Ovidius innuit.

Tertia ſors, &c. Poſtquam monſtrum denique fuit domitum: miſſis tertia vice & ſortes liberis Athenienſium, nimirum poſt annos novem, a Minoi victoria. Duabus primis vicibus vicerat Minotaurus: tertia vice, victus eſt. Tunc enim, aut ſponte, cum pueris, aut ſorte ducta, ivit Theſeus, & monſtro perempto, patriam tributo triſti exemit. Ajunt interpretes adulterium, a quo temerata Paſiphae fuerat, Taurum nomine, a Theſeo ſingulari certamine fuiſſe ſuperatum: & Minoem lætum adultero ſublato, Athenienſibus tributum remiſiſſe.

Utque ope virginea, nullis iterata priorum
Janua difficilis filo eſt inventa relicto;
Protinus Ægides, rapta Minoide, Diam
Vela dedit, comitemque ſuam crudelis in illo
Littore deſtituit. Deſertæ, & multa querenti,
Amplexus, & opem Liber tulit, utque perenni
Sidere clara foret, ſumptam de fronte coronam
Immiſit cœlo. Tenues volat illa per auras,
Dumque volat, gemmæ nitidos vertuntur in ignes,
Conſiſtuntque loco, ſpecie remanente coronæ,
Qui medius nixique genu eſt, anguemque tenentis.

Utque. Et poſtquam.

Ope &c. Theſeus Ariadne filiæ Minois opera, evaſit e labyrintho.

Nullis iterata. Quam labyrinthi januam nullus ante Theſeum iterum viderat, quia nemo ſemel in labyrinthum ingreſſus, ex eo fuerat egreſſus.

Filo relicto. Ariadne filum Theſeo dedit, cujus caput Theſeus affixit, ac reliquit in ipſa janua, glomum reliquum, eundo, evolvebat. Sic Minotauro cæſo, facile relegit veſtigia. Hinc ſcribunt boni codices *Filo relecto*.

Ægides. Theſeus, Ægei filius.

Minoide. Ariadna.

Diam. Naxum, inſulam Ægæi maris. Lib. III. 10.

Comitem. Ariadnen.

Liber. Bacchus. Duxit Ariadnam, & coronam gemmeam, ex ejus capite detractam, cœlo intulit; mutatis in aſtra gemmis.

Qui medius. Conſtiterunt gemmæ in eo cœli loco, qui eſt medius inter duo ſidera, unum quidem; Herculem, genu nixum, quem idcirco Ἐγγόνασιν aſtronomi vocant: *ἐν τοῖς γόνασιν in genibus*; alterum Ophiuchum, Ὀφιοῦχος, quæ vox Græca ſignificat eum, qui anguem tenet: vulgo Serpentarium. Falli videtur hoc loco Vates: nam Corona Ariadnes, ſive ſeptentrionalis, inter Booten, & Herculem, non inter Ophiunchum & Herculem, eſt ſita.

I V.

Dædalus, compactis cera pennis, e labyrintho evolat. Ejus filius in mare decidit.

Dædalus interea Creten, longumque peroſus

Dædalus. In labyrinthum, cujus extiterat artifex; conjectus eſt a Minoe, ob Theſeum, ejus conſiliis, & arte, ſervatum.

Exilium, tactuſque ſoli natalis amore,
Clauſus erat pelago. Terras licet, inquit, & undas
Obſtruat, at cœlum certe patet; ibimus illac:
Omnia poſſideat, non poſſidet aera Minos.
Dixit, & ignotas animum dimittit in artes,
Naturamque novat: nam ponit in ordine pennas
A minima cœptas, longam breviore ſequente,
Ut clivo creviſſe putes: ſic ruſtica quondam
Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit avenis.
Tum lino medias, & ceris alligat imas,
Atque ita compoſitas parvo curvamine flectit,
Ut veras imitetur aves. Puer Icarus una
Stabat, & ignarus ſua ſe tractare pericla,
Ore renidenti modo quas vaga moverat aura,
Captabat plumas, flavam modo pollice ceram
Mollibat, luſuque ſuo mirabile patris
Impediebat opus. Poſtquam manus ultima cœpto
Impoſita eſt, geminas opifex libravit in alas
Ipſe ſuum corpus, motaque pependit in aura.
Inſtruit & natum; Medioque ut limite curras,
Icare, ait, moneo: ne, ſi demiſſior ibis,
Unda gravet pennas; ſi celſior, ignis adurat:

Exilium. Dædalus Talum, ſeu Calum, ſive, ut alii vocant Perdicem, ſororis ſuæ filium, interfecerat, invidens adoleſcenti, a quo ſerra, & circinus inventa erant. Accuſatus, & judicii eventum timens, Athenas, patriam, reliquerat, & in Cretam exul voluntarius fugerat, ubi labyrinthum fabricavit, & viam, qua Theſeum Ariadne ſervaret, aperuit.

Soli natalis. Patriæ: Athenarum.

Clauſus, &c. Effugium illi per mare nullum patebat: Creta enim inſula mari cingebatur, ejuſque portus omnes, & oras, Minos tenebat. Præterea tellus eidem obſtructa erat, quia incluſus labyrintho ſervabatur.

Dimittit. Intendit, applicat.

Naturam novat. Rem in natura novam excogitat, pennas homini dando, a natura illi negatas.

Ut clivo. Adeo ut inſtar clivi aſſurgant: aliæ ſint aliis altiores, & longiores.

Parvo curvamine. Incurvando flectit.

Inſtruit. Edocet, quomodo alis utendum ſit.

Medio limite. Media, inter ſolem & mare, via.

Gravet. Humore, vaporibus, qui ex aqua exiſtunt.

Boc-

Inter utrumque vola: nec te ſpectare Booten,
Aut Helicem jubeo, ſtrictumque Orionis enſem.
Me duce carpe viam. Pariter præcepta volandi
Tradit, & ignotas humeris accomodat alas.
Inter opus, monituſque genæ maduere ſeniles,
Et patriæ tremuere manus: dedit oſcula nato
Non iterum repetenda ſuo, penniſque levatus
Antevolat, comitique timet; velut ales; ab alto
Quæ teneram prolem produxit in aera nido.
Hortaturque ſequi, damnoſaſque erudit artes;
Et movet ipſe ſuas, & nati reſpicit alas.
Hos aliquis tremula dum captat arundine piſces,
Aut paſtor baculo, ſtivæve innixus arator,
Vidit, & obſtupuit, quique æthera carpere poſſent,
Credidit eſſe Deos. Et jam Junonia læva
Parte Samos fuerat, Deloſque Paroſque, relictæ.
Dextra Lebynthos erat, fœcundaque melle Calydna,
Cum puer audaci cœpit gaudere volatu,
Deſeruitque ducem, cœlique cupidine tactus,
Altius egit iter. Rapidi vicinia ſolis
Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras.
Tabuerant ceræ, nudos quatit ille lacertos,
Remigioque carens non ullas percipit auras.

Booten. Signum Septentrionale. Lib. II. n. 4.

Helicen. Arcton, ſive Urſam Majorem. Lib. II. nu. 3. Urſa minor nuncupatur Cynoſura: utraque polo Septentrionali vicina.

Orionis. Eſt ſidus Æquatori ſubjectum, ac Tauro vicinum. Pingitur cum enſe ſtricto. Noli ergo vel ad zonam torridam, vel ad frigidam, propius accedere, ſed inter utramque vola.

Produxit. Emiſit.

Damnoſas. Icaro exitiales futuras.

Baculo. Innixus pedo paſtorali.

Stivæ. Eſt quaſi manubrium aratri.

Samos. Inſula maris Ægæi, Junoni ſacra: Delus, Parus, Lebynthus; ejuſdem maris inſulæ ſunt; Lebynthus nunc dicitur *Levita*: Calydna non abeſt procul Cnido, & vocatur hodie *Chirava*, in mari Myrtoo, Ægæi parte.

Tabuerant. Liquefactæ erant.

Remigio. Alis, quibus quaſi per aerem aves remigant.

Percipit. Colligit. Non in-

Oraque cærulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua, quæ nomen traxit ab illo.

inſiſtit aeri; in eo ſe librare nequit, alis defectus.

Quæ nomen. Ægæi pars, Icarium mare vocatur. Placet hæc eruditis fabulæ interpretatio, ut dicant Dædalum inveniſſe artem vela navibus aptandi: quo facto naves Minois, quæ remis utebantur, antevertens effugit. Icarus velis minus perite uſus, navim fregit.

V.

Dædalus filii caſum deflet: gaudet perdix; avis recens, & modo nata.

At pater infelix, nec jam pater, Icare, dixit,
Icare, dixit, ubi es? qua te regione requiram?
Icare, dicebat, pennas aſpexit in undis,
Devovitque ſuas artes, corpuſque ſepulchro
Condidit, & tellus a nomine dicta ſepulti.
Hunc miſeri tumulo ponentem corpora nati,
Garrula ramoſa proſpexit ab ilice perdix,
Et plauſit pennis, teſtataque gaudia cantu eſt.
Unica tunc volucris, nec viſa prioribus annis,
Factaque nuper avis, longum tibi, Dædale, crimen.
Namq; huic tradiderat, fatorum ignara, docendam
Progeniem germana ſuam, natalibus actis
Bis puerum ſenis, animi ad præcepta capacis.
Ille etiam medio ſpinas in piſce notatas
Traxit in exemplum, ferroque incidit acuto
Perpetuos dentes, & ſerræ repperit uſum

Non jam pater. Quia nullus illi jam filius.

Devovit. Damnavit.

Corpus. In littus ſcilicet a mari ejectum.

Longum tibi, &c. Occaſio gravis accuſationis, materia ſceleris, & diuturni exilii.

Huic. Dædalo.

Fatorum ignara. Neſciens filium ſuum a Dædalo necandum.

Docendam. Artes fabriles.

Germana. Soror Dædali.

Natalibus, &c. Qui puer jam confecerat annos duodecim: dies natales bis ſex numerabat.

Animi... Ingenioſum, & ad percipienda quæ docebatur, aptiſſimum.

Ille etiam, &c. Talus obſervavit ſpinas, quæ ſunt in dorſo piſcium; inde ſumpſit exem-

Primus, & ex uno duo ferrea brachia nodo
Junxit, ut æquali ſpatio diſtantibus illis,
Altera pars ſtaret, pars altera duceret orbem.
Dædalus invidit, ſacraque ex arce Minervæ
Præcipitem miſit, lapſum mentitus; at illum,
Quæ favet ingeniis, excepit Pallas, avemque
Reddidit, & medio velavit in aere pennis.
Sed vigor ingenii quondam velocis, in alas,
Inque pedes, abiit: nomen, quod & ante, remanſit.
Non tamen hæc alte volucris ſua corpora tollit,
Nec facit in ramis, altoque cacumine nidos:
Propter humum volitat, ponitque in ſepibus ova,
Antiquique memor, metuit ſublimia casus.

exemplum fabrilis inſtrumenti, & ferream laminam perpetuo quaſi dentium ordine incidit, ſecuit, in ſerram conformavit.

Ex uno &c. Circinum deſcribit Ovidius. Hoc alterum Tali inventum fuit.

Nodo. Capite circini, globulo ferreo.

Junxit. Legere eſt in bonis codicibus *vinxit*.

Staret. Cum orbis, ſeu circulus, circino deſcribitur, pes unus circini ſtat quietus in circuli centro.

Ex arce Minervæ. Quæ arx Athenis erat.

Lapſum mentitus. Fingens puerum caſu cecidiſſe.

Excepit. Cadentem ſuſtulit.

In alas. Perdices, & volant citiſſime, quamvis non diu, & ingrediuntur ſumma velocitate.

Nomen. Talum Diodorus, aliique vocant: Ovidius, Perdicem vocatum antea fuiſſe ſignificat, idemque volucri, quod puero, nomen manſiſſe.

Propter humum. Juxta terram: humum radendo.

Antiquus caſus. Cum ex arce palladis præceps ruit.

V I.

Diana, Oeneo regi Calydonis irata, vaſtatorem aprum immittit in Ætoliam.

Jamque fatigatum tellus Ætnæa tenebat
Dædalon, & ſumptis pro ſupplice Cocalus armis
Mitis habebatur: jam lamentabile Athenæ
Pendere deſierant, Theſea laude, tributum.

Fatigatum. Volando.

Tellus Ætnæa. Siciliæ, ubi mons Ætna. Regnabat in ea Cocalus; hunc ſupplex Dædalus

Templa coronantur, bellatricemque Minervam,
Cum Jove, Diſque vocant aliis, quos ſanguine voto,
Muneribuſque datis, & acerris thuris, honorant.
Sparſerat Argolicas nomen vaga fama per urbes
Theſeos, & populi, quos dives Achaia cepit,
Hujus opem magnis imploravere periclis.
Hujus opem Calydon, quamvis Meleagron habe-
ret,
Sollicita ſupplex petiit prece. Cauſa petendi
Sus erat, infeſtæ famulus, vindexque Dianæ.
Oenea namque ferunt, pleni ſucceſſibus anni,
Primitias frugum Cereri, ſua vina Lyæo,

dalus adiit. Sumpſit arma rex in Minoem, ac ſupplicem Dædalum tutatus eſt. Dædalo propoſitum erat Athenas, ac natale ſolum, repetere: ſed recentis homicidii pœnam timens, in Siciliam profugit. Virgilius Cumas primo delatum narrat.

Mitis. Clemens, & pius exiſtimabatur, qui ſupplices miſeroſque tutaretur.

Lamentabile tributum. Supra num. 2.

Pendere. Solvere.

Theſea laude. Ob virtutem bellicam, & victoriam Theſei, qui Minotaurum peremerat. Sup. nu. 3. Vide Paragraphum XIII. annotatione 14.

Coronantur. Sertis ornantur.

Voto. Votivo: promiſſis victimis.

Argolicas. Græcas. Argos oppidum Peloponneſi extremæ, ad orientem & meridiem, inter ſinus Saronicum, & Argolicum.

Theſeos. Eſt genitivus Græcus: Θησέως, a recto Θησεὺς.

Achaja. Pars ejuſdem Græciæ, ſupra Pelopon eſum, ad occidentem, infra Theſſaliam.

Calydon. Urbs Ætoliæ. Ætolia intra eamdem Theſſaliam eſt, ad oſtium ſinus Corinthiaci, e regione Patrarum: inter Acarnaniam & Locros.

Quamvis &c. Licet Calydon videretur ſatis tuta Meleagri (Regis Oenei filius erat) fortitudine, nihilominus adhuc Theſeum imploravit.

Sus erat. Oeneus, Calydoniæ rex, cum primitias frugum Diis omnibus obtuliſſet, præterquam Dianæ, iram Deæ in ſe concitavit: hæc apro immiſſo totam vaſtavit regionem.

Famulus Dianæ. Quo Diana, tamquam ſui furoris miniſtro, utebatur.

Oenea. Græcus accuſandi caſus, ut Theſea, Protea.

Pleni &c. Cum plena, & votis reſpondens, anni fertilitas extitiſſet.

Primitiæ frugum. Primas fruges maturas.

Pal-

Palladios flavæ latices libaſſe Minervæ.
Cœptus ab agricolis Superos pervenit ad omnes
Ambitioſus honor: ſolas ſine thure relictas,
Præteritæ ceſſaſſe ferunt Latoidos aras.
Tangit & ira Deos. At non impune feremus,
Quæque inhonoratæ, non & dicemur inultæ,
Inquit, & Oeneos ultorem ſpreta per agros
Miſit aprum: quanto majores herbida tauros
Non habet Epirus: ſed habent Sicula arva minores.
Sanguine & igne micant oculi, riget horrida cervix,
Stantque velut vallum, velut alta haſtilia ſetæ.
Fervida cum rauco latos ſtridore per armos
Spuma fluit, dentes æquantur dentibus Indis,

Palladios latices. Oleum. Pallas inventrix oleæ. Lib. VI. num. 3.

Libaſſe. Sacrificaſſe. Liquores humi fundebant, aut illorum aliquam partem, eamque interdum primoribus labiis delibabant. Id ſacrificii genus erat.

Cœptus &c. Honor ambitioſus, ideſt, ea ſacrificia (nam ſacrificium, præcipuus Numinis cultus & honor eſt) ambitioſe, ſplendide, certatim, peracta, & ab agricolis inchoata, omnibus Superis oblata ſunt, excepta Diana, Latonæ filia. Porro factum eſt ab agricolis initium ſacrificandi, quia tunc, ob terræ fruges magno proventu perceptas, ſacrificabatur. Pontanus ita exponit, ut velit ſacrificia primo loco facta Diis agricolis, ideſt, agrorum præſidibus, quales Pan, Ceres, Bacchus: deinde aliis Diis fuiſſe ſacrificatum.

Ceſſaſſe. Vacuas, otioſas, expertes ſacrificii, fuiſſe.

At non. Diana loquitur. Particula *At* belle ducit orationem, minarum & iræ plenam.

Quæque.. Si probro dicar affecta, non inulta ſaltem, dicar.

Oeneos agros. Oenei regionem.

Quanto. Quo apro.

Epirus. Pars Græciæ ſuperioris, ad occidentem, Italiam contra.

Herbida. Paſcuis abundans.

Sed habet, &c. Aper ille par erat tauris Epiri: major tauris Siciliæ.

Vallum. Munimentum ex acutis denſiſque palis, humi defixis, conflatum. Ita legit Manutius hunc verſum. Ejus loco iſtum habent bona exemplaria: *Et ſeta ſimiles rigidis haſtilibus horrent*. Alia utrumque jungunt: mendoſe.

Armos. Humeros.

Indis Dentibus. Elephantorum Indicorum.

Fulmen ab ore venit, frondes afflatibus ardent.
Is modo creſcenti ſegetes proculcat in herba,
Nunc matura metit fleturi vota coloni,
Et Cererem in ſpicis intercipit; area fruſtra,
Et fruſtra expectant promiſſas horrea meſſes.
Sternuntur gravidi longo cum palmite fœtus,
Baccaque cum ramis ſemper frondentis olivæ.
Sævit & in pecudes: non has paſtorve, caniſve,
Non armenta truces poſſunt defendere tauri.

Afflatibus. Calido anhelitu.
Vota. Meſſem, pro qua fecit vota. *Cererem*. Segetes.
In ſpicis. Antequam ſit demeſſa, & collecta; adhuc virentem.
Intercipit. Succidit, evertit.
Area. In qua teruntur ſpicæ.
Fœtus. Uvæ. Palmes, viteus eſt ramus.
Bacca. Olea, olivæ fructus. Baccæ vocantur omnes fructus minores pomis ut olivæ, ceraſa, &c.
Armenta. Sunt greges majorum pecudum, ut boum, &c. Ipſi tauri ſatis fortes non ſunt ad armenta tutanda.

VII.

Meleager, & lecta Græciæ juventus, conveniunt ad aprum interficiendum.

Diffugiunt populi, nec ſe, niſi mœnibus urbis,
Eſſe putant tutos, donec Meleagros, & una
Lecta manus juvenum caluere cupidine laudis.
Tyndaridæ gemini, præſtantes, cæſtibus alter,
Alter equo, primæque ratis molitor Iaſon,

Meleagros. Sive Meleager, Oenei regis filius.
Manus. Multitudo.
Caluere. Non diſplicet *cojere*, ideſt, convenerunt. Sic pleraq; vetuſtas exemplaria.
Tyndaridæ. Caſtor & Pollux, filii Tyndari ambo putabantur, unde illis nomen: quamvis Pollux patrem haberet Jovem.
Cæſtibus. Lib. V. num. 4.
Alter. Pollux.
Alter equo. Caſtor, agitandis in ſtadio curribus, & domandis equis, nobilis.
Prima. Alii profecto, ante Jaſonē, naves fabricarunt: ſed ille majorem molitus eſt navim, longius, quā cæteri proceſſit: cauſa navigandi fuit ſplendidior. Hinc princeps vela dediſſe creditus eſt.
Molitor. Ædificator. Lib.

Et cum Pirithoo felix concordia Theſeus,
Et duo Theſtiadæ, & proles Aphareia Lynceus,
Leucippuſque ferox, jaculoque inſignis Acaſtus,
Hippothouſque, Driaſque, & cretus Amyntore Phœnix,
Actoridæque pares, & miſſus ab Elide Phyleus,
Nec Telamon aberat, magnique creator Achillis,
Cumque Pheretiade, & Hyanteo Iolao,
Impiger Eurytion, curſuque invictus Echion,
Naryciuſque Lelex, Panopeuſque Hyleuſque feroxq;
Hippaſus, & primis etiamnum Neſtor in annis;
Et quos Hippocoon antiquis miſit Amyclis,
Penelopeſque ſocer, cum Parraſio Ancæo:
Ampycideſque ſagax, & adhuc a conjuge tutus
Oeclides, nemoriſque decus Tegeæa Licæi.
Raſilis huic ſummam mordebat fibula veſtem,

Libr. VII. numero 1.

Et cum. Pirithous & Theſeus, concordes amici. Append. cap. 16.

Theſtiadæ. Theſtii filii. Toxeus & Plexippus: avunculi Meleagri.

Aphareja. Apharei filius.

Leucippus, *Acaſtus*, *&c*. Juvenes Græci, ad perdendum aprum conjurati, cum Meleagro. *Cretus*. Natus.

Actoridæ pares. Duo filii Actoris, pares vel ætate, vel fortitudine.

Elide. Lib. V. n. 13.

Telamon. Lib. VII. n. 13.

Creator. Peleus Achillis pater. Lib. VII. 13. 17.

Pheretiade. Admeto, pheretis filio.

Hyantheo. Bœotio. L. V. n. 9.

Narycius. Narix, oppidum Locrorum, in Græcia, prope Ætoliam. Træzenium Lelegem vates poſtea vocat. Hinc duos Lelegas quidam ponunt; alii unum tantum, qui a patria dicatur Narycius; a loco, ubi conſenuit, Træzenius: vel, quod ejus pater Træzene regnaverit.

Amyclis. Urbe Laconiæ. Laconia in Peloponneſo extrema jacet, ad meridiem. Amyclæ (*Vordonia*) ſedent ad radices montis Taygeti: prope Spartam. Antiquæ appellantur, fuit enim recentior alia civitas ejuſdem nominis in Italia, inter Cajetam & Tarracinam.

Penelopes ſocer. Laertes, pater Ulyſſis.

Parrhaſio. Arcade. Parrhaſia, civitas Arcadiæ.

Amphycides. Mopſus, Ampyci filius.

Oeclides. Amphiaraus, Oecli filius, a conjuge Eriphyle poſtea proditus. Lib. IX. num. 11.

Tegeas. Atalanta, orienda ex urbe Tegea prope nemus Lyceum. Tegea, oppidum Arcadiæ, in qua mons,

Crinis erat ſimplex, nodum collectus in unum;
Ex humero pendens reſonabat eburnea lævo
Telorum cuſtos; arcum quoque læva tenebat.
Talis erat cultus: facies, quam dicere vere
Virgineam in puero, puerilem in virgine poſſes.

& ſaltus Liceus. Illic habitabat Atalanta, virgo viris animo par. Hanc Jaſii filiam liquido tradit Callimachus, Hymno in Dianam: Itaque expungendus qui ſequitur in nonnullis codicibus verſus: *Venit Atalanta Schœnei pulcherrima Virgo*. Illa autem de qua mentio fit in Libro X. erat Schœnei filia: ut Ovidius canit, & alii. Tegea nunc eſt vicus, *Muchli* dictus.

Cultus. Ornatus corporis.
Raſilis. Polita, lævis: non exſtans, non cælata.
Cuſtos telorum. Pharetra.

VIII.

Atrox cum apro Calidonio pugna committitur.

Silva frequens trabibus, quam nulla ceciderat ætas
Incipit a plano, devexaque proſpicit arva.
Quo poſtquam venere viri, pars retia tendunt,
Vincula pars adimunt canibus, pars preſſa ſequuntur
Signa pedum, capiuntque ſuum reperire periclum.
Concava vallis erat, quo ſe demittere rivi
Aſſuerant pluvialis aquæ, tenet ima lacunæ
Lenta ſalix, ulvæque leves, juncique paluſtres,
Viminaque, & longæ parva ſub arundine cannæ.
Hinc aper excitus medios violentus in hoſtes
Fertur, ut excuſſis eliſus nubibus ignis.
Sternitur incurſu nemus, & propulſa fragorem

A plano. A planitie aſſurgit. *Devexa*. Declivia.
Pedum. Apri.
Preſſa. Terræ ab apro impreſſa.
Ima. Infimam partem.
Lacunæ. Eſt lacuna, aquæ moſæ receptaculum: lama, volutabrum.
Ulvæ. Herbæ paludibus innaſci ſolitæ.
Parva. Multi codices optimæ notæ ſcribunt, *parva longa*. Cannas enim eſſe minores arundinibus Columella multis locis docet: maxime Lib. V. Mixtæ igitur cannis erant arundines, diſpari magnitudine. *Ignis*. Fulmen.
Incurſu. Impetu ructis feræ

Pro-

Silva dat, Exclamant juvenes, protentaque forti
Tela tenent dextra, lato vibrantia ferro.
Ille ruit, ſpargitque canes, ut quiſque furenti
Obſtat, & obliquo latrantes diſſipat ictu.
Cuſpis Ethionio primum contorta lacerto
Vana fuit, truncoque dedit leve vulnus acerno.
Proxima, ſi nimiis mittentis viribus uſa
Non foret, in tergo viſa eſt hæſura petito,
Longius it: auctor teli Pagaſæus Iaſon.
Phœbe, ait Ampycides, ſi te coluique, coloque;
Da mihi, quod petitur, certo contingere telo.
Qua potuit precibus Deus annuit: ictus ab illo eſt,
Sed ſine vulnere aper, ferrumque Diana volanti
Abſtulerat jaculo, lignum ſine acumine venit.
Ira feri mota eſt, nec fulmine lenius arſit.
Lux micat ex oculis, ſpirat quoque pectore flammas
Utque volat moles adducto concita nervo,
Cum petit aut muros, aut plenas milite turres.
In juvenes certo ſic impete vulnificus ſus
Fertur, & Eupalamon, Pelagonaque dextra tuentes;
Cornua, proſternit: ſocii rapuere jacentes.
At non lætiferos effugit Enæſimus ictus,

Protenta. Porrecta. In aprum converſa.
Vibrantia. Splendentia: vel, agitata, & concuſſa.
Acerno. Aceris, arboris.
Proxima. Alterius, qui poſt Echionem proxime feram aggreſſus eſt telum, nempe Jaſonis hæſiſſet in apri tergo, niſi miſſum fuiſſet majori cum impetu, quo factum eſt, ut longius ſupra feram evolaret.
It. Contractione, pro *ivit*: hinc producitur: id quod in compoſitis obſervare etiam licet, *periit*, *ſubiit*, *rediit*. Unde facile adducor ut credam ſcriptum fuiſſe ab Ovidio Lib. I. num. 2. *Subiit argentea proles*; non *ſubitque*, ut vulgo legitur.
Pagaſæus. Theſſalus. Lib. VII. num. 1.
Quod petitur. Aprum quem peto, in quem telum conjicio.
Qua potuit. Qua potuit parte, quantum fas fuit: quatenus potuit.
Feri. Apri.
Moles. Molare ſaxum.
Nervo. Baliſtæ fune. Iſtæ machina excutiebantur lapides.
Dextra cornua. Dextram partem agminis. Aciem enim contra feram inſtruxerant, quaſi juſto prælio decertaturi.
Rapuere. Ne diſcerperentur.

Hippocoonte ſatus; trepidantem, & terga parantem
Vertere, ſucciſo liquerunt poplite nervi.
Forſitan & Pylius citra Trojana periſſet
Tempora; ſed ſumpto poſita conamine ab haſta,
Arboris inſiluit, quæ ſtabat proxima, ramis,
Deſpexitque loco tutus, quem fugerat, hoſtem.
Dentibus ille ferox in querno ſtipite tritis,
Imminet exitio, fidenſque recentibus armis,
Oritiæ magni roſtro femur hauſit adunco.

Liquerunt. Defecerunt: concidit póplitibus ab apro ſectis.
Poplite. Poples, pars genu poſterior, ſeu averſa. Lib. VI. num. 6.
Pylius. Neſtor, qui in urbe Pylo regnavit.
Citra. Ante.
Sed, *&c*. Neſtor haſtam terræ defigens, eaque nitens, & allevans ſe ſe, evaſit in arborem, apro perſequente.
Poſita. Humi defixa.
Loco. Alta quercu.
Tritis. Aper dentes exacuit ad quercum, atque illis ita renovatis, & veluti recentibus Oritiam, ſive, ut alii ſcribunt, Othriaden, in femore percuſſit.
Imminet exitio. Exitium ſtruit Neſtori, ramis inſidenti.
Hauſit. Diſcidit, fregit.
Roſtro adunco. Ore, dentibus aduncis armato.

I X.

Aprum a multis fruſtra laceſſitum Atalanta vulnere levi perſtringit.

At gemini, nondum cœleſtia ſidera, fratres,
Ambo conſpicui, nive candidioribus ambo,
Vectabantur equis: ambo vibrata per auras
Haſtarum tremulo quatiebant ſpicula motu.
Vulnera feciſſent, niſi ſetiger inter opacas,
Nec jaculis iſſet, nec equo loca pervia, ſilvas.
Perſequitur Telamon: ſtudioque incautus eundi,
Pronus ab arborea cecidit radice retentus.
Dum levat hunc Peleus, celerem Tegeæa ſagittam

At gemini. Caſtor & Pollux fratres gemelli, nondum in ſidera relati.
Niſi &c. Niſi aper conjeciſſet ſe in opacum nemus, quo non poterant equi, aut iacula, penetrare.
Tegeæa. Atalanta, Sup. n. 7.

Si-

Impoſuit nervo, ſinuatoque expulit arcu.
Fixa ſub aure feri ſummum diſtinxit arundo
Corpus, & exiguo rubefecit ſanguine ſetas.
Nec tamen illa ſui ſucceſſu lætior ictus,
Quam Meleager, erat. Primus vidiſſe putatur,
Et primus ſociis viſum oſtendiſſe cruorem,
Et, meritum, dixiſſe, feres virtutis honorem.
Erubuere viri; ſeque exhortantur, & addunt
Cum clamore animos, jaciuntque ſine ordine tela.
Turba nocet jactis, & quos petit, impedit ictus.
Ecce furens contra ſua fata bipennifer Arcas
Diſcite fœmineis quid tela virilia præſtent;
O juvenes, operique meo concedite, dixit.
Ipſa ſuis licet hunc Latonia protegat armis,
Invita tamen hunc perimet mea dextra Diana.
Talia magniloquo tumidus memoraverat ore,
Ancipitemque manu tollens utraque ſecurim,
Inſtiterat digitis primos ſuſpenſus in artus.
Occupat audentem, quaque eſt via proxima leto,
Summa ferus geminos direxit ad inguina dentes:
Concidit Ancæus glomerataque ſanguine multo
Viſcera lapſa fluunt, madefactaque terra cruore eſt.
Ibat in adverſum proles Ixionis hoſtem
Pirithous, valida quatiens venabula dextra:

Sinuato. Curvato.
Diſtrinxit. Delibavit.
Nec tamen &c. Non minorem Meleagro, quam ipſi Atalantæ, voluptatem ictus tam fortunatus attulit.
Et meritum &c. Et Atalantæ dixiſſe, merita laude donaberis.
Erubuere viri. Pudore affecti, quod a fœmina vincerentur.
Quos petit ictus. Vulnera, quæ vellet inferre.
Contra ſua fata. Adverſis fatis. Lævo numine.
Arcas. Ancæus, ex Arcadia oriundus.
Operi meo concedite. Facteamini vos cedere meæ fortitudini: vel, cedite pauliſper, date locum, ut egregium edam facinus.
Hunc. Aprum.
Latonia. Diana, Latonæ filia.
Ancipitem. Utrimque acutam.
Inſtiterat. Erexerat ſe in pedum digitos, ut validiorem ictum incuteret.
Artus. Pedum articulos.
Occupat. Antevertit.
Inguina. Medii corporis partem, inter alvum & femur.

Cui procul Ægides, o me mihi charior, inquit,
Pars animæ conſiſte meæ, licet eminus eſſe
Fortibus, Ancæo nocuit temeraria virtus.
Dixit, & ærata torſit grave cuſpide cornu:
Quo bene librato, votique potente futuro,
Obſtitit eſculea frondoſus ab arbore ramus.

Ægides. Theſeus.

Licet eminus.. Potes rem fortiter gerere, quamvis non accedas tam prope ad aprum; & tu ab eo longius diſtes.

Cornu. Gravem haſtam e cornu confectam, & munitam ærea cuſpide. Admonet nos Heinſius, ſuos illos codices vetuſtos ſecutus, legendum eſſe *cornum*, quia cornus eſt arbor apta jaculis conficiendis: *Bona bello cornus: Volat: Itala cornus:* inquit Virgilius. Sed repugnat Epithetum *grave* neutrius generis, in hoc verſu, & *Quo.. librato*, in ſequenti: cornus enim eſt generis fœminini. Heinſius id non vidit, neque illi, qui, ſcriptura vulgari ſpreta, hoc errore verſum Ovidianum inquinarunt.

Voti potente futuro. Cum futurum eſſet hoc telum voti compos, cum eo fuiſſet aper enecandus. Vulgo legitur *Cui bene librato*. Mendoſe, ut apparet: eſſet enim ſcribendum in eodem verſu, *potenti*, ut reſponderet relativo *cui*: ſed verſus non ſtaret.

Eſculea. Quercea.

X.

Feram interficit Meleager. Ejus cervicem Atalanta donat. Theſtiadas, avunculos ſuos id ferentes indigne, perimit.

Miſit & Æſonides jaculum, quod caſus ab illo
Vertit in immeriti fatum latrantis, & inter
Ilia conjectum, tellure per ilia fixum eſt.
At manus Oenide variat, miſſiſque duabus,
Haſta prior terra, medio ſtetit altera tergo.

Æſonides. Jaſon.

Ab illo. Ab apro fors avertit, & in immerentem canem convertit. Sic vulgatos codices emendat e ſuis Heinſius. Probe.

Latrantis. Canis.

Ilia. Viſcera.

At manus &c. Meleager diverſo caſu geminas emiſit haſtas: una fixa hæſit humi, altera in apri dorſo.

Oenide. Meleagri, qui Oenei filius.

Nec mora, dum ſævit, dum corpora verſat in orbem,
Stridentemque novo ſpumam cum ſanguine fundit,
Vulneris auctor adeſt, hoſtemque irritat ad iram,
Splendidaque adverſos venabula condit in armos.
Gaudia teſtantur ſocii clamore ſecundo,
Victricemque petunt dextræ conjungere dextram,
Immanemque feram multa tellure jacentem
Mirantes ſpectant, neque adhuc contingere tutum
Eſſe putant, ſed tela tamen ſua quiſque cruentat.
Ipſe pede impoſito, caput exitiabile preſſit:
Atque ita: Sume mei ſpolium, Nonacria, juris,
Dixit, & in partem veniat mea gloria tecum.
Protinus exuvias, rigidis horrentia ſetis
Terga, dat, & magnis inſignia dentibus ora.
Illi lætitiæ eſt, cum munere, muneris auctor,
Invidere alii, totoque erat agmine murmur.
E quibus, ingenti tendentes brachia voce,
Pone, age, nec titulos intercipe, fœmina noſtros.
Theſtiadæ clamant, nec te fiducia formæ
Decipiat, ne ſit longe tibi captus amore
Auctor: & huic adimunt munus, jus muneris illi.

Sævit. Dum aper ſe anxie huc illud torquet.

Auctor Vulneris. Meleager.

Venabula. Haſtile venatorium.

Multa tellure. Magno terræ ſpatio.

Nonacria. Atalanta, quæ Arcas erat. Nonacris, urbs Arcadiæ.

Mei juris. Caput apri, quod mihi jure debetur, qui aprum interfeci.

In partem. Partire mecum gloria hujus facinoris.

Illi. Atalantæ.

Pone. Depone, omitte, apri caput.

Titulos. Gloriam.

Intercipe. Tibi arroga: nobis adime.

Theſtiadæ. Plexippus & Toxeus, filii Theſtii.

Nec te &c. Noli te in periculum conjicere, tuæ formæ fiducia.

Ne ſit &c. Ne nos ultores ſentias: ita ut te non poſſit Meleager, tuo amore captus, & auctor muneris tibi dati, nobis eripere, ac tibi opem ferre. Sic Virg. XII. Æn. *Longe illa Dea Mater erit*: ideſt, Nihil cum juvabit Venus, non defendet:

Huic. Atalantæ.

Munus. Apri exuvias.

Illi. Meleagro. Negant illi jus eſſe muneris hujus dandi pro arbitrio; jure illum ſuo ſpoliant.

Non tulit, & tumida frendens Mavortius ira,
Diſcite raptores alieni, dixit, honoris,
Facta minis quantum diſtent: hauſitque nefando
Pectora Plexippi, nil tale timentia, ferro.
Toxea, quid faciat dubium, pariterque volentem
Ulciſci fratrem, fraternaque fata timentem,
Haud patitur dubitare diu, calidumque prioris
Cæde recalfecit conſorti ſanguine telum.

Non tulit. Non eſt paſſus eripi Atalantæ datum munus: & ſuum ſibi jus tolli. *Mavortius*. Meleager, bellica virtute præſtans. *Nefando*. Nam Theſtiadæ erant avunculi Meleagri. *Hauſit*. Aperuit, percuſſit. *Dubium quid faciat*. Toxeum dubitantem, an fugeret, an fratrem ulciſceretur: timorem inter, & iram, anxium. *Recalfecit*. Iterum calefecit. *Conſorti*. Fraterno.

X I.

Althæa, ſuos fratres a Meleagro caſos dolens, fatalem ſtipitem, quo filii vita continebatur, in ignem conjicit.

Dona Deum templis; nato victore, ferebat,
Cum videt extinctos fratres Althæa referri:
Quæ, plangore dato, mæſtis clamoribus urbem
Implet, & auratis mutavit veſtibus atras.
At ſimul eſt auctor necis editus, excidit omnis
Luctus, & a lacrymis in pœnæ verſus amorem eſt.
Stipes erat, quem, cum partus enixa jaceret
Theſtias, in flammam triplices poſuere ſorores;
Staminaque impreſſo fatalia pollice nentes,

Nato victore. Meleagro filio, victoriam conſecuto. *Fratres*. Plexippum & Toxeum. *Althæa*. Meleagri mater. *At ſimul, &c.* At ſimul atque cognovit auctorem necis. *Excidit*. Animo dolor excidit: oppreſſus eſt majori affectu, nempe ultionis cupiditate. *Pœnæ*. De Meleagro ſumendæ. Ultionis. *Stipes*. Fragmen ligni: titio. *Quem &c.* Quo tempore Theſtias, ideſt, Althæa, Theſtii filia, peperit Meleagrum, Parcæ ſtipitem in ſo-

Tempora dixerunt eadem, lignoque, tibique,
O modo nate, damus. Quo poſtquam carmine dicto.
Exceſſere Deæ, flagrantem mater ab igne
Eripuit ramum, ſparſitque liquentibus undis.
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis,
Servatuſque tuos, juvenis, ſervaverat annos.
Protulit hunc genitrix, tædaſque & fragmina poni
Imperat, & poſitis inimicos admovet ignes.
Tum conata quater flammis imponere ramum,
Cœpta quater tenuit, pugnat materque ſororque
Et diverſa trahunt unum duo nomina pectus.
Sæpe metu ſceleris pallebant ora futuri,
Sæpe ſuum fervens oculis dabat ira ruborem.
Et modo neſcio quid ſimilis crudele minanti
Vultus erat; modo quem miſereri credere poſſes:
Cumque ferus lacrymas animi ſiccaverat ardor,
Inveniebantur lacrymæ tamen, utque carina,
Quam ventus, ventoque rapit contrarius æſtus,
Vim geminam ſentit, paretque incerta duobus;
Theſtias haud aliter dubiis affectibus errat,
Inque vices ponit, poſitamque reſuſcitat iram.

focum conjecerunt, ac fatalia puero fila duxerunt e colu, hac lege, ut tandiu viveret puer, donec ſtipes conſumeretur.

O modo nate. O puer, nunc in lucem edite.

Exceſſere. Conclavi exierunt, in quo jacebat Althæa, Meleagrum enixa.

Juvenis. Meleager.

Protulit. Eduxit e loco, ubi erat abditus.

Fragmina. Minuta ligna, ſciſſa & fracta, quæ ſerviunt igni facilius excitando. Tæda eſt arbor quædam picem exudans, ac proinde apta igni concipiendo. Ex ea vulgo conficiebantur faces.

Cœpta. Quater incepto deſtitit.

Pugnat. Affectus & amor matris in filium, & ſororis in fratres, pugnant in Althææ pectore: ut mater, vellet ſervare filium; ut ſoror, vult perdere.

Duo nomina. Unum ſororis, alterum matris.

Ferus ardor. Ira; vindictæ litis.

Inveniebantur. Prorumpebant velut invitæ.

Æſtus. Maris agitatio.

XII.

Althæa, inter filiis & fratrum amorem dubia, tandem illum perdere, hos ulciſci, ſtatuit.

Incipit eſſe tamen melior germana parente,
Et conſanguineas ut ſanguine leniat umbras,
Impietate pia eſt; nam poſtquam peſtifer ignis
Convaluit, Rogus iſte cremet mea viſcera, dixit!
Utque manu dira lignum fatale tenebat,
Ante ſepulcrales infœlix adſtitit aras,
Pœnarumque Deæ triplices furialibus, inquit,
Eumenides ſacris vultus advertite veſtros:
Ulciſcor, facioque nefas; mors morte pianda eſt;
In ſcelus addendum ſcelus eſt, in funera funus;
Per coacervatos pereat domus impia luctus.
An fœlix Oeneus nato victore fruetur?
Theſtius orbus erit? melius lugebitis ambo.
Vos modo, fraterni manes, animæque recentes,
Officium ſentite meum, magnoque paratas

Incipit. Amor in fratres incipit vincere amorem maternum.

Conſanguineas. Fraternas.

Sanguine. Filii nece.

Impietate. Filium necando.

Pia eſt. Fratres ulciſcendo.

Convaluit. Accenſus omnino eſt.

Mea viſcera. Filium ex me natum.

Fatale. Quo fatum, ideſt, vita morſque Meleagri continebatur.

Sepulcrales aras. Quæ fuerant extructæ ante ſepulcra ſuorum fratrum. Aræ iſtæ ponebantur Diis inferis, ut mortuorum animabus boni ac placati eſſent.

Pœnarum Deæ triplices. O Furiæ tres, quibus data provincia pœnas a ſontibus exigendi.

Eumenides. Lib. VI. n. 10.

Advertite. Huc ora vertite: adeſte his ſacris.

Mors &c. Decet ulciſci & expiare mortem fratrum, morte filii mei.

In funera, &c. Vetant magiſtri dicendi, ne in vehementioribus affectibus, iſti verborum floſculi, & antithethorum deliciæ, quærantur.

Oeneus. Pater Meleagri.

Theſtius. Pater meus.

Ambo. Oeneus, & Theſtius.

Recentes. Quæ recens e corporibus evolaſtis.

Sentite, &c. Sit gratum, quod præſto vobis, officium.

Magno paratas. Magno pretio mihi conſtantes, quip-

Accipite inferias, uteri mala pignora noſtri.
Hei mihi! quo rapior? fratres ignoſcite matri,
Deficiunt ad cœpta manus: meruiſſe fatemur
Illum cur pereat, mortis mihi diſplicet auctor.
Ergo impune feret, vivuſque, & victor, & ipſo
Succeſſu tumidus, regnum Calydonis habebit?
Vos cinis exiguus, gelidæque jacebitis umbræ?
Haud equidem patiar, pereat ſceleratus, & ille
Spemque patris, regnumq; trahat, patriæq; ruinam.
Mens ubi materna eſt? ubi ſunt pia vota parentum?
Et quos ſuſtinui bis menſum quinque labores?
O utinam primis arſiſſes ignibus infans!
Idque ego paſſa forem! vixiſti munere noſtro,
Nunc merito moriere tuo: cape præmia facti,
Biſque datam, primum partu, mox ſtipite rapto

quippe filii vita.

Inferias. Sacrificiū in gratiam mortuorum fieri ſolitum, & ſepulchro inferri.

Pignora. Filium improbum, quem vobis immolo.

Matri. Major eſſe debet amor matris in filium, quam in fratres: quia conjunctior eſt filio, quam fratribus, mater. Jure igitur excuſat cunctationem, & veniam petit.

Ad cœpta, Ad necem filio afferendam rigent manus.

Meruiſſe &c. Sane Meleager mortem commeruit.

Mortis auctor. Mater. Ego ipſa.

Jacebitis. Sic inulti peribitis? Ille rex, vos cinis eritis.

Trahat ſpem. Eadem ſecum ruina involvat ſpes paternas, & regnum.

Patris. Quamvis alii, præter Meleagrum, Oeneo liberi ſuppeterent; in illo tamen, ob egregias dotes, præcipuam ſpem habebat.

Mens ubi, &c. At enim, ſiccine immemor ſum maternæ pietatis?

Vota parentum. Qui filios optant diu vivere.

Menſum. Pro menſium. Retinent aliqui in ipſo verſu, *menſium*, ac duarum ſyllabarum eſſe vocem hic pugnant: ſeque Virgilii tuentur exemplo, qui Lib. VI. *omnia* quaſi diſſyllabum poſuit in ſexto pede, per ſynæreſim, ſeu contractionem poeticam. Vide quæ dicemus Lib. XV. num. 14. in voce *Antium*. Alii malunt legere: *bis menſes quinque*.

Primis ignibus. Utinam extinctus fuiſſes, quando primum ſtipes a Parcis conjectus in flammas fuit; teque paſſa eſſem cum eo perire!

Labores. Cum illum geſtavi in utero, per menſes decem.

Merito. Scelere.

Facti. Criminis ſui.

Redde animam, vel me fraternis adde ſepulchris.
Et cupio, & nequeo, quid agam? modo vulnera fratrum
Ante oculos mihi ſunt, & tantæ cœdis imago:
Nunc animum pietas, maternaque nomina frangunt.
Me miſeram! male vincetis, ſed vincite, fratres,
Dummodo quæ dedero vobis ſolatia, voſque
Ipſa ſequar. Dixit, dextraque averſa trementi
Funereum torrem medios conjecit in ignes.
Aut dedit, aut viſus gemitus eſt ille dediſſe
Stipes, & invitis correptus ab ignibus arſit.

Animam. Vitam, tibi a me datam primo, deinde conſervatam, erepto flammis titione.
Vel me, &c. Vel me cum fratribus meis interfice. Non libet enim vivere fratribus invitis.
Cupio. Iram explere.
Male. Per meum ſcelus.
Solatia. Necem filii mei, qua veſtram ulciſci, & conſolari volo, ſequar. Neq; illi, neque vobis, ſuperſtes ero.
Averſa. Vultu in aliam partem converſo.

XIII.

Meleager inteſtino ardore depaſtus extinguitur. Ejus ſorores in aves Meleagrides mutantur.

Inſcius, atque abſens flamma Meleagrus ab illa
Uritur, & cæcis torreri viſcera ſentit
Ignibus, ac magnos ſuperat virtute dolores.
Quod tamen ignavo cadat, & ſine ſanguine, leto
Mœret, & Ancæi fœlicia vulnera dicit;
Grandævumque patrem, fratreſque piaſque ſorores,
Cum gemitu, ſociamque tori, vocat ore ſupremo,
Forſitan & matrem. Creſcunt ignisque, dolorque
Langueſcuntque iterum; ſimul eſt extinctus uterque,
Inque leves abiit paulatim ſpiritus auras,

Ancæi. Ab apro cæſi, in pugna. Supra n. 9.
Sociam tori. Uxorem.
Supremo ore. Noviſſimis vocibus: moriens videlicet.
Matrem. Forte matrem ipſam, necis auctorem, compellat, eique ſupremum vale, pie dicit.

Pau-

Paulatim cana prunam velante favilla.
Alta jacet Calydon, lugent juveneſque, ſeneſque
Vulguſque, proceresque gemunt, ſciſſæque capillos
Plangunt ora ſimul matres Calydonides: Oeneus
Pulvere canitiem genitor, vultuſque ſeniles
Fœdat humi fuſus, ſpatioſumque increpat ævum.
Nam de matre magnus, diri ſibi conſcia facti,
Exegit pœnas, acto per viſcera ferro.
Non mihi ſi centum Deus ora ſonantia linguis,
Ingeniumque capax, totumque Helicona dediſſet;
Triſtia perſequerer miſerarum vota ſororum.
Immemores decoris, liventia pectora tundunt:
Dumque manet corpus, corpus refoventque, fo-
ventque;
Oſcula dant ipſi, poſito dant oſcula lecto.
Poſt cinerem, cineres hauſtos ad pectora preſſant,
Affuſæque jacent tumulo, ſignataque ſaxo
Nomina complexæ, lacrymas in nomina fundunt.
Quas poſt, Oeneæ tandem Latonia clade

Paulatim, &c. Tunc animam exhalavit, quando albus cinis carbones relictos e fatali torre, texit: hoc eſt, cum penitus exuſtus fuit.

Jacet. Mœrore confecta eſt.

Plangunt ora. Everberant.

Spatioſum. Diuturnum.

Manus &c. Ipſius Althææ manus, de illa ſumpſit ſupplicium; ſibi ipſa violentas attulit manus.

Capax. Amplum, par huic argumento, & dolori, deſcribendo.

Triſtia vota ſororum. Perire cum fratre cupientium.

Perſequerer. Explicare poſſem.

Dum manet corpus. Quandiu cadaver in feretro compoſitum, necdum in pyram illatum fuit.

Ipſi. Corpori.

Lecto. Feretro.

Poſt cinerem. Poſtquam crematum eſt cadaver.

Hauſtos. E rogo in urnam abditos.

Nomina. Meleagri nomen, inſculptum tumulo.

Quas poſt. Quas deinde. Quas poſtea in aves Diana convertit.

Oneæ domus clade. Oenei filio, & conjuge, ſublatis, pro iſtis vocibus *poſt Oenea*, legendum cenſet Heinſius *Parthaoniæ* Parthaon quippe Oenei pater. Parthaoniam domum diſerte vocat Statius Theb. I. Porro Oeneæ rectius, ac verius eſt, quam Oeneiæ: nam ει vocis Græcæ Οἰνεῖος, Latine vertendum eſt in e longum: ut patet in Lyceum, Muſeum, Alpheus, &c. Idem dicito de ſequenti di-

Ex ſatiata domus, præter Gorgenque, nurumque
Nobilis Alcmeæ, natis in corpore pennis
Allevat, & longas per brachia porrigit alas,
Corneaque ora facit, verſaſque per aera mittit.

dictione Erechtheas, aliiſque ſimilibus. Vide infra, num. 15.

Præter, &c. Mutavit in aves, & alis, roſtroque corneo, inſtruxit omnes Meleagri ſorores, præter duas, Gorgen, & Dejaniram: hanc vocat nurum Alcmenæ, nempe uxorem Herculis, cujus mater Alcmena. Occaſionem fabulę dedit avium nomen, quas Meleagrides appellant. Gallinarum Africanarum eſt genus. Plinium lege Lib. X. c. 26.

X I V.

Najades in Echinadas inſulas converſæ.

Interea Theſeus ſociati parte laboris
Functus, Erechtheas Tritonidos ibat ad arces.
Clauſit iter, fecitque moras Achelous eunti,
Imbre tumens; Succede meis, ait, inclyte tectis
Cecropide, nec te committe rapacibus undis:
Ferre trabes ſolidas, obliquaque volvere magno
Murmure ſaxa ſolent; vidi contermina ripæ
Cum gregibus ſtabula alta trahi, nec fortibus illic
Profuit armentis, nec equis velocibus, eſſe.
Multa quoque hic torrens nivibus de monte ſolutis
Corpora turbineo juvenilia vertice merſit.
Tutior eſt requies, ſolito dum flumina currant

Sociati parte laboris. Perfunctus labore ſumpto ad aprum interficiendum, in quo ſocios habuerat heroas Græciæ præcipuos: & in quo ſuas egregie partes egerat.

Erechtheas arces. Athenas, quarum olim rex Erechtheus.

Tritonidos. Palladis, quæ Athenis præſidet. Cur Pallas Tritonia fuerit appellata dictum lib. II. num. 17.

Achelous. Græciæ fluvius, inter Ætoliam fluens, & Acarnaniam: nunc *Aſpropotamo*, ſeu *Carochi*, nuncupatus.

Ait. Deus hujus fluvii.

Cecropide. Theſeus Athenienſis. Cecrops Athenarum rex. *Contermina*. Vicina.

Nec armentis. Nec robur armentis, nec equis velocitas profuit, quin undis abriperentur.

Dum. Donec. Satius fuerit, & conſultius, expectare, dum aquæ reſidant.

Solito limite. Intra con-

ſue-

Limite, dum tenues capiat ſuus alveus undas.
Annuit Ægides: Utarque, Acheloe, domoque
Conſilioque tuo, reſpondit; & uſus utroque eſt.
Pumice multicavo, nec levibus atria tophs
Structa ſubit, molli tellus erat humida muſco:
Summa lacunabant alterno murice conchæ.
Jamque duas lucis partes Hyperione menſo,
Diſcubuere toris Theſeus comiteſque laborum,
Hac Ixionides, illa Trœzenius heros
Parte Lelex, raris jam ſparſus tempora canis,
Quoſque alios parili fuerat dignatus honore.
Amnis Acarnanum, lætiſſimus hoſpite tanto.
Protinus appoſitus nudæ veſtigia nymphæ
Inſtruxere epulis menſas, dapibuſque remotis
In gemma poſuere merum: tum maximus heros
Æquora proſpiciens oculis ſubjecta, Quis inquit,

ſuetas ripas.

Tenues. Minus rapidas: imminutas.

Ægides, Theſeus, Ægei filius.

Nec levibus. Non politis, non terſis, ſed aſperis, & inæqualibus. Pumex, toſus, lapides ſunt ſicci, ſcabri, multis locis pertuſi.

Atria. Domum Lib.I.n.7.

Lacunabant. In ſumma ſpeluncæ parte componebant lacunar conchæ (majora piſcium & duriora tegmina) alternis muricibus permixtæ. Murex, minor eſt concha.

Jamque. Jam Sol (Hyperionis filius: & Græca voce Hyperion, quaſi *ſublime ambulans*. dictus. Lib. XV. n.9.) emenſus erat duas diei partes, hoc eſt, inclinabat in occaſum. Primæ diei pars, ab orto ſole ad meridiem cenſetur; altera, a meridie ad veſperam. Duas illas partes vocabant Romani ſolidum diem, ac fere negotiis impendebant: veſperam dabant cœnæ, & curando corpori. Intemperantiores cibum ſumebant ante veſperam, & diem frangere dicebantur, ſive *partem ſolido demere de die*: ut canit Horat. 1. Od.

Ixionides. Pirithous. Ixionis filius.

Lelex heros Trœzenius. Filius Pitthei, qui regnavit in urbe Trœzenæ. Supra, num. 7.

Honore. Hoſpitii, & cœnæ.

Amnis Alcarnanum. Achelous, præter Acarnaniam fluens, quæ eſt Epiri pars, ſupra Peloponneſum, ad occaſum Ætoliæ, nunc *La Carnia*, & il *Deſpotato*.

Nuda veſtigia. Pedibus nudis. *Gemma*. Gemmeis poculis.

Maximus heros. Theſeus.

Oculis ſubjecta. In conſpectu poſita.

Unum.

Ille locus; (digitoque oſtendit) & inſula nomen
Quod gerat illa, doce; quamquam non una videtur.
Amnis ad hæc, Non eſt, inquit, quod cernimus, unum,
Quinque jacent terræ, ſpatium diſcrimina fallit.
Quoque minus ſpretæ factum mirere Dianæ,
Najades hæ fuerant, quæ cum bis quinque juvencos
Mactaſſent, ruriſque Deos ad ſacra vocaſſent,
Immemores noſtri feſtas duxere choreas.
Intumui, quantuſque feror, cum plurimus unquam,
Tantus eram, pariterque animis immanis, & undis,
A ſilvis ſilvas, & ab arvis arva revelli;
Cumque loco nymphas, memores tum denique noſtri,
In freta prevolvi: fluctus noſterque, mariſque,
Continuam diduxit humum, parteſque reſolvit
In totidem, mediis quot cernis Echinadas undis.

Unum. Una inſula.

Spatium. Longius, quo diſtant a nobis, intervallum fallit oculos impeditque ne animadvertatur diſcrimen, ſeu diſtantia, qua aliæ ab aliis diſtinguuntur.

Quoque minus, &c. Non miraberis Dianam ſumpſiſſe tam graves ab Oeneo, qui ſpreverat eam, pœnas: ſi audieris quo pacto Najadum arrogantiam ultus ipſe ſim.

Najades. Lib. I. n. 17.

Immemores noſtri. Me ad ſacrificium non vocato.

Intumui. In iras exarſi. Propriam fluminis vocem recte adhibuit.

Quantus. Quam violentus, quam tumidus, eſſe ſoleo, quando maxime efferor ſupra ripas.

Animis immanis. Ira elatus.

Cum loco. Nymphas, cum ipſarum ſedibus, ac domo, in mare projeci, & in inſulam ingentem mutavi: quæ poſtea diviſa eſt in quinque partes a meis, & a maris fluctibus.

Memores, &c. Quæ tunc, admonitæ ſuo periculo, meum implorabant numen.

Echinadas. Acarnaniæ adjacent illæ inſulæ, in mari Ionio: *Le Curzolari*. Quinque numerantur: in iis eſt Dulichium, Same, &c.

X V.

Philemon, & Baucis hoſpites Deos pie accipiunt.

Amnis ab his tacuit. Factum mirabile cunctos
Moverat; irridet credentes, utque Deorum
Spretor erat, mentiſque ferox, Ixione natus,
Ficta refers, nimiumque putas, Acheloe, potentes
Eſſe Deos, dixit, ſi dant, adimuntque figuras.
Obſtupuere omnes, nec talia dicta probarunt;
Ante omneſque Lelex animo maturus, & ævo,
Sic ait: Immenſa eſt, finemque potentia cœli
Non habet, & quicquid Superi voluere, peractum eſt.
Quoque minus dubites, tiliæ contermina quercus
Collibus eſt Phrygiis, modico circumdata muro,
Ipſe locum vidi; nam me Pelopeia Pitteus
Miſit in arva, ſuo quondam regnata parenti.
Haud procul hinc ſtagnum eſt, tellus habitabilis olim,
Nunc celebres mergis, fulicíſque paluſtribus, undæ.
Jupiter huc ſpecie mortali, cumque parente
Venit Atlantiades poſitis Caducifer alis.
Mille domos adire, locum, requiemque petentes,
Mille domos clauſere feræ; tamen una recepit,
Parva quidem, ſtipulis, & canna tecta paluſtri:
Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon,

Ab his. Poſt hæc narrata.

Ixione natus. Pirithous.

Tiliæ. Arbori, e fagorum genere.

Contermina. Proxima.

Collibus, &c. Viſuntur in Phrygiæ collibus tilia, & quercus, quas humilis murus, tamquam ſacras, circumdat.

Pelopeja. Phrygia. Ibi regnavit Pelops, Tantali filius. Pelopeja dicitur per diæreſim Jonicam, pro Pelopea: mutando ε in η, Πηλοπηΐα pro Πελόπεια Priamejus quinque ſyllabis effertur, & alia ejus generis. Supra num. 13.

Suo parenti. Pelopi, cujus filii Pittheus, & Træzen.

Celebres. Frequentatæ, plenæ.

Mergis. Mergi, fulicæ, aves paluſtres.

Specie mortali. Hominis forma tectus.

Atlantiades. Mercurius, Atlantis nepos.

Pa.

Illa ſunt annis juncti juvenilibus, illa
Conſenuere caſa, paupertatemque ferendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert, dominos illic, famuloſne, requiras;
Tota domus, duo ſunt: iidem parentque jubentque.
Ergo, ubi cœlicolæ parvos tetigere penates,
Submiſſoque humiles intrarunt vertice poſtes;
Membra ſenes poſito juſſit relevare ſedili,
Quod ſuper injecit textum rude ſedula Baucis.
Inde foco tepidum cinerem dimovit, & ignes
Suſcitat heſternos, foliiſque, & cortice ſicco
Nutrit, & ad flammas anima perducit anili:
Multifidaſque faces, ramaliaque arida, tecto
Detulit, & minuit, parvoque admovit aheno.
Quodque ſuus conjux riguo collegerat horto,
Truncat olus foliis, Furca levat ille bicorni
Sordida terga ſuis, nigro pendentia tigno;
Servatoque diu reſecat de tergore partem
Exiguam, ſectamque domat ferventibus undis.

Parente. Jove.
Caducifer. Lib. II. n. 16.
Alis. Vide Librum I. num. 18.
Stipulis. Culmo.
Illa caſa. In illo tugurio.
Juncti. Matrimonio.
Ferendo. Æquis animis tolerando.
Nec refert. Noli quærere quis in illa caſa dominus, famuluſque ſit.
Submiſſo. Demiſſo capite. Quia janua demiſſa.
Membra. Itinere fatigata. Juſſit eos quieſcere, appoſitis ſedilibus.
Relevare. Reficere.
Quod ſuper. Super quod ſedile, Baucis vilem pannum injecit: tum honoris ergo, tum ut mollius ſederent.
Anima &c. Flando efficit, ut ignem concipiant.
Multifidas. Multifariam fiſſas.
Minuit. In particulas comminuit.
Admovit. Subjecit.
Olus truncat. Herbas, deciſis inutilibus foliis, purgat.
Sordida. Fumo: vel ſale indito. *Domat*. Coquit.

Jupi-

X V I.

Jupiter, Mercurius, cœna ruſticana laute accepti, ſe indicant.

Interea medias fallunt ſermonibus horas,
Sentirique moram prohibent: erat alveus illic
Fagineus curva clavo ſuſpenſus ab anſa.
Is tepidis impletur aquis, artuſque fovendos
Accipit. In medio torus eſt, de mollibus ulvis,
Impoſitus lecto, ſponda, pedibuſque ſalignis,
Veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore feſto
Sternere conſuerant; ſed & hæc viliſque vetuſque
Veſtis erat, lecto non indignanda ſaligno.
Accubuere Dei: menſam ſuccincta, tremenſque
Ponit anus; menſæ ſed erat pes tertius impar;
Teſta parem fecit, quæ poſtquam ſubdita clivum
Suſtulit, æquatam menta exterſere virenti.
Ponitur hic bicolor ſinceræ bacca Minervæ,

Medias. Dum olus coquitur.
Fallunt. Occupant; colloquendo cum Jove, faciuntque ne tempus longum videatur.
Alveus. Lignum excavatum, inſtar pelvis.
Artus. Pedes Jovis lavandos.
In medio. Lectum componunt, in quo ſcilicet Dii ad menſam accumbant: lecto in medio, torum, ſeu culcitam ſternunt, non pluma vel molli tomento, fartam, ſed ulvis, quæ ſunt herbæ paluſtres, & juncis. Huic loco non belle Heinſius litem intendit.
Sponda. Sic appellatur utrumque lecti latus. Illud vero non ex arbore pretioſa conſtabat, ſed e rudi ſalice, uti & lecti pedes, ſive fulcra.
Veſtis. Stragula. Toral.
Non indignanda. Conſentanea, & congruens: qua contentus debebat eſſe talis lectus.
Impar. Brevior.
Teſta. Fragmentum ollæ fictilis.
Parem. Duobus aliis menſæ fulcris, ſeu pedibus, æqualem.
Clivum ſuſtulit. Poſtquam teſta ſubjecta menſæ, fecit ne declivis, & prona foret, ut recta, & æqualis ab omni parte eſſet, quæ antea, propter breviorem pedem, veluti claudicabat.
Menta. Herba eſt bene olens.
Bicolor, &c. Oliva, partim viridis & recens: partim nigra, & vetus; ſeu maturior, & macerata. Lib. VI. 3.
Sincera. Innuptæ, integræ.

Cor-

Conditaque in liquida corna autumnalia fœce,
Intybaque, & radix, & lactis maſſa coacti,
Ovaque, non acri leviter verſata favilla:
Omnia fictilibus. Poſt hæc celatus eodem
Siſtitur argento crater, fabricataque fago
Pocula; qua cava ſunt, flaventibus illita ceris.
Parva mora eſt, epulaſque foci miſere calentes,
Nec longæ rurſus referuntur vina ſenectæ,
Dantque locum menſis paulum ſeducta ſecundis.
Hic nux, hic miſta eſt rugoſis carica palmis,
Prunaque, & in patulis redolentia mala caniſtris,
Et de purpureis collectæ vitibus uvæ:
Candidus in medio favus eſt. Super omnia vultus
Acceſſere boni, nec iners, pauperque voluntas.
Interea quoties hauſtum cratera repleri
Sponte ſua, per ſeque vident ſuccreſcere vina:
Attoniti novitate, pavent, manibuſque ſupinis
Concipiunt Baucíſque preces, timiduſque Philemon,

Corna. Fructus ruſtici. Lib. I. num. 5.

Autumnalia. Matura.

Fæce. Muria, in qua macerantur.

Intyba. Cichoreum.

Radix. Forte rapula.

Coacti. Coagulati.

Verſata... Igne modico cocta.

Omnia fictilibus. Iſtæ dapes apponuntur in vaſis ex argilla factis.

Eodem argento. Argilla.

Cælatus. Ironice. Quod Heinſium non vidiſſe miror.

Siſtitur. In menſa ponitur.

Qua cava ſunt. Ab interiori parte flavo, e cera, tectorio ſunt incruſtata.

Epulas, &c. Olera, ova, &c. e foco in menſam illata ſunt ſtatim.

Non longe, &c. Horna, non vetuſta.

Referuntur. Primo poculo a Jove ſitiente exhauſto, aliud affertur.

Dantque &c. Remoto vino, & ferculis gravioribus, ſubeunt ſecundæ menſæ; inferuntur fructus, & bellaria.

Secundis. Tres apud Romanos quaſi menſæ partes erant, prima, ſeu potius proluſio; promulſis, ſive guſtus, vocabatur. 2. cœnæ caput, nempe carnes, piſces, &c. 3. fructus, & bellaria.

Carica. Ficus arida, & ſicca.

Palmis. Fructus palmæ vulgo dactyli vocantur: melius palmæ, aut palmulas.

Voluntas. Recte Seneca: Voluntas eſt, quæ beneficium ponit.

Hauſtum. Vacuum.

Ve-

Et veniam dapibus, nulliſque paratibus orant.
Unicus anſer erat, minimæ cuſtodia villæ,
Quem Dis hoſpitibus domini mactare parabant:
Ille celer penna tardos ætate fatigat,
Eluditque diu, tandemque eſt viſus ad ipſos
Confugiſſe Deos. Superi vetuere necari,
Dique ſumus, meritaſque luet vicinia pœnas
Impia; dixerunt: vobis immunibus hujus
Eſſe mali dabitur; modo veſtra relinquite tecta,
Ac noſtros comitate gradus, & in ardua montis
Ite ſimul. Parent, & Dis præeuntibus, ambo
Membra levant baculis, tardique ſenilibus annis,
Nituntur longo veſtigia ponere clivo,

Veniam, &c. Rogant, ut ignoſcatur ſibi, ſi tam parce, tam nullo apparatu, hoſpites tantos accipiant.

Cuſtodia villæ. Anſeres clangore, ut canes latratu, ſignificant. Ab iis olim cuſtodiebatur Capitolium; nota hoſtoria.

Vicinia impia. Quæ Deos hoſpites impie repulit.

XVII.

Urbs in ſtagnum. Philemonis & Baucidis caſa in templum: ambo in arbores, vertuntur.

Tantum aberant ſummo, quantum ſemel ire ſagitta
Miſſa poteſt; flexere oculos, & merſa palude
Cætera proſpiciunt, tantum ſua tecta manere.
Dumque ea mirantur, dum deflent fata ſuorum;
Merſa vident, quæruntque ſuæ pia culmina villæ.
Illa vetus, dominis etiam caſa parva duobus,
Vertitur in templum; furcas ſubiere columnæ:
Stramina flaveſcunt, aurataque tecta videntur,

Aberant ſummo. A ſummo monte diſtabant tanto ſpatio, quantum conficere ſagitta poteſt, arcu emiſſa.

Caſa parva. Quæ modo erat anguſta caſa, & vix duobus capiendis par, fit ingens templum.

Subiere. In locum furcarum, & tignorum, quibus caſa nitebatur, ſucceſſere.

Stramina. Culmus, quo mapale tegebatur, in aurum vertitur.

Cælatæque fores, adopertaque marmore tellus.
Talia tum placido Saturnius edidit ore:
Dicite, juſte ſenex, & fœmina conjuge juſto
Digna, quid optetis. Cum Baucide pauca locutus
Judicium Superis aperit commune Philemon:
Eſſe ſacerdotes, delubraque veſtra tueri
Poſcimus, & quoniam concordes egimus annos,
Auferat hora duos eadem, nec conjugis unquam
Buſta meæ videam, neu ſim tumulandus ab illa.
Vota fides ſequitur, templi tutela fuere,
Donec vita data eſt: annis, ævoque ſoluti,
Ante gradus ſacros cum ſtarent forte, locique
Narrarent caſus, frondere Philemona Baucis,
Baucida conſpexit ſenior frondere Philemon.
Jamque ſuper geminos creſcente cacumine vultus,
Mutua, dum licuit, reddebant dicta, valeque
O conjux, dixere ſimul, ſimul abdita texit
Ora frutex. Oſtendit adhuc Tyaneius illic
Incola, de gemino vicinos corpore truncos.
Hæc mihi non vani (nec erat cur fallere vellent?)
Narravere ſenes: equidem pendentia vidi
Serta ſuper ramos; ponenſque recentia, dixi,
Cura pii Dii ſunt: &, qui coluere, coluntur.

Tellus. Pavimentum marmore operitur.

Judicium commune. Suam, & uxoris mentem.

Buſta. Lib. IV. n. 2.

Fides. Eventus, effectus, cui maxime creditur. Voti compotes facti ſunt.

Tutela. Cuſtodes.

Frutex. Cortex. Proprie frutex, arbuſcula quælibet eſt.

Tyanejus. Tyana, urbs Cappadociæ, in Aſia minori; *Tiana*.

De gemino... Arbores, in quas converſa ſunt illorum corpora.

Mihi. Lelex ea loquitur.

Vani. Falſi, mendaces.

Ponenſque. Et ego addens veteribus ſertis nova, dixi: certe pii, & probi ſunt curæ Superis: & qui Deos coluerunt, viciſſim ab hominibus coluntur, & celebrantur.

XVIII.

Proteus in varias formas abit. Eriſichthon Cereris contemptor.

Deſierat, cunctoſque, & res, & moverat auctor:
Theſea præcipue, quem facta audire volentem
Mira Deum, nixus cubito Calydonius amnis
Talibus alloquitur: Sunt, o fortiſſime, quorum
Forma ſemel mota eſt, & in hoc renovamine manſit:
Sunt quibus in plures jus eſt tranſire figuras;
Ut tibi, complexi terram maris incola, Proteu:
Nam modo te juvenem, modo te videre leonem,
Nunc violentus aper, nunc quem tetigiſſe timerent,
Anguis eras, modo te faciebant cornua taurum;
Sæpe lapis poteras, arbor quoque ſæpe videri:
Interdum, faciem liquidarum imitatus aquarum,
Flumen eras: interdum undis contrarius ignis.
Nec minus Autolyci conjux, Eriſichthone nata;
Juris habet. Pater hujus erat, qui numina divum
Sperneret; & nullos aris adoleret honores.
Ille etiam Cereale nemus violaſſe ſecuri
Dicitur, & lucos ferro temeraſſe vetuſtos.
Stabat in his ingens annoſo robore quercus,
Una nemus; vittæ mediam, memoreſque tabellæ,

Auctor. Narrationis: nempe Lelex, cujus probitas fidem narratis rebus faciebat.

Calydonius amnis. Achelous. Supra num. 14.

Mota. Mutam.

Renovamine. Novo ſtatu ſemel accepto. Alii ſemel, alii ſe plus, formam mutant.

Complexi. Ambientis. Ut tibi, o Proteu, qui degis in mari, circa terram fuſo.

Proteu. Paſtor Neptuni. Virg. Lib. IV. Gregor. ſub finem.

Nec minus, &c. Non minorem poteſtatem, & quaſi jus habet, quam Proteus, ut in varias figuras tranſeat.

Autolici conjux. Metra, ſilia Eriſichthonis. Nupſit illa Autolyco, patri Anticleæ, quæ Ulyſſis mater fuit.

Adoleret. Incenderet.

Honores. Thaura.

Cereale. Sacrum Cereri.

Una nemus. Sola, inſtar nemoris, præ amplitudine.

Vittæ. Thæniæ, lemniſci.

Memores. Poſitæ ad con-

ſer-

Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.
Sæpe ſub hac Dryades feſtas duxere choreas,
Sæpe etiam manibus nexis ex ordine, trunci
Circumiere modum; menſuraque roboris, ulnas
Quinque ter implebat; nec non & cætera tantum
Silva ſub hac omnis, quantum fuit herba ſub illa.
Non tamen idcirco ferrum Triopeius illa
Abſtinuit; famuloſque jubet ſuccidere ſacrum
Robur, & ut juſſos cunctari vidit, ab uno
Edidit hæc, rapta ſceleratus verba ſecuri:
Non dilecta Deæ ſolum, ſed & ipſa licebit
Sit Dea, jam tanget frondente cacumine terram.

ſervandam memoriam beneficiorum a Cerere, nemoris præſide, acceptorum.

Voti &c. Monumenta votorum, quorum compotes facti erant, qui pictas ejuſmodi tabulas, ex arbore ſuſpenderant.

Modum. Molem, & craſſitudinem amplexæ ſunt.

Menſura. Trunci ambitus.

Nec non, &c. Tanto inferior, hac una quercu ſilva reliqua erat, quanto inferiores ipſis ſilvæ arboribus erant herbæ.

Nec tamen, &c. Quamvis eſſet arbor tam ſacra, tam ornata, & culta.

Triopejus. Eriſichthon: a patre Triope ſic dictus.

Ab uno &c. Sic diſtingue: Edidit hæc verba, ſecuri rapta ab uno famulo; poſtquam ſecurim unius e ſuis famulis arripuiſſet.

Non dilecta &c. Eſto ſane ſit illa non tantum Deæ Cereri cara: ſit etiam, per me licet, Dea Ceres ipſa, tamen ſuccidetur. Deas quaſdam ajebant meſſe in arboribus, cum illis naſci pariter, & mori: vocabantur illæ Deæ, ſeu nymphæ, Hamadryades. Lib. I. 18.

XIX.

Eriſichthon ſacram Cereri quercum dejicit. Ceres a nymphis orata, famem impio immittit.

Dixit, &, obliquos dum telum librat in ictus,
Contremuit, gemitumque dedit Dodonia quercus:
Et pariter frondes, pariter palleſcere glandes

Dodonia. Hanc vocem explicuimus. Lib. VII. n. 16. Non erat hæc e ſilva Dodonia, quercus: ſed ſacra, & eximia, quales Dodoniæ: Quædam exemplaria legunt *decidua*: deciſa, a cædo. Heinſius mavult Deoja, id-

eſt,

Cœpere, ac longi pallorem ducere rami.
Cujus ut in trunco fecit manus impia vulnus,
Haud aliter fluxit diſcuſſo cortice ſanguis,
Quam ſolet, ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit, abrupta cruor e cervice profundi.
Obſtupuere omnes, aliquiſque ex omnibus audet
Deterrere nefas, ſævamque inhibere bipennem:
Aſpicit hunc, mentiſque piæ cape præmia, dixit
Theſſalus, inque virum convertit ab arbore ferrum,
Detruncatque caput, repetitaque robora cædit.
Editus e medio ſonus eſt cum robore talis:
Nympha ſub hoc ego ſum, Cereri gratiſſima, ligno,
Quæ tibi factorum pœnas inſtare tuorum
Vaticinor moriens, noſtri ſolatia leti.
Perſequitur ſcelus ille ſuum, labefactaque tandem
Ictibus innumeris, adductaque funibus arbor,
Corruit, & multam proſtravit pondere ſilvam.
Attonitæ Dryades damno, nemorumque ſuoque,
Omnes germanæ, Cererem cum veſtibus atris
Mœrentes adeunt, pœnamque Eriſichthonis orant.
Annuit his, capitiſque ſui pulcherrima motu
Concuſſit gravidis oneratos meſſibus agros,
Moliturque genus pœnæ miſerabile, ſi non
Ille ſuis eſſet nulli miſerabilis actis,
Peſtifera lacerare fame: quæ, quatenus ipſi

eſt, Cerealis: ſic Lib. VI. n. 4. vocavit Proſerpinam *Deoida*. Rationem illic attuli.

Diſcuſſo. Sciſſo, diviſo.

Profundi. Manare, prorumpere.

Mentiſque, &c. Accipe mercedem tuæ iſtius præpoſteræ pietatis.

Theſſalus. Eriſichthon, oriundus e Theſſalia.

Inque virum. Securim ab arbore, quam ſuccidebat, in moleſti monitoris caput detorquet, illoque amputato, refert ſe ad cædendam quercum.

Nympha. Hamadryas. Supra 18.

Dryades. Lib. I. num. 8.

Molitur, &c. Molitur, deſtinat, fame ipſum lacerare: quod genus pœnæ miſerabile foret; niſi, eſſet Eriſichthon ob ſcelera ſua indignus omni commiſeratione.

Quæ, quatenus &c. Quæ Fames, quia non poteſt conveniri a Cerere: mittit Ceres ſuo loco unam nympham e Numinibus montanis.

Non adeunda Deæ (neque enim Cereremque Famemque,
Fata coire ſinunt) montani numinis unam
Talibus agreſtem compellat Oreada dictis.

Coire. In eodem loco eſſe jungi.

Oreada. Oreades, montium Deæ.

X X.

Fames graphice depicta.

Eſt locus extremis Scythiæ glacialis in oris
Triſte ſolum, ſterilis, ſine fruge, ſine arbore tellus;
Frigus iners, illic habitant, Pallorque, Tremorque,
Et jejuna Fames: ea ſe in præcordia condat
Sacrilegi ſcelerata, jube, nec copia rerum
Vincat eam, ſuperetque meas certamine vires:
Neve viæ ſpatium te terreat, accipe currus,
Accipe, quos frænis alte moderere, dracones:
Et dedit. Illa dato ſubvecta per aera curru,
Devenit in Scythiam, rigidique cacumine montis
(Caucaſon appellant) ſerpentum colla levavit,
Quæſitamque Famem lapidoſo vidit in agros,
Unguibus, & raras vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, cava lumine, pallor in ore,
Labra incana ſitu, ſcabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent:
Oſſa ſub incurvis extabant arida lumbis;

Scythiæ. Septemtrionalis eſt, & frigida regio, in extrema Europa, & Aſia.

Copia rerum. Abundantia dapum.

Meas. Cereris.

Vires. Alimenta.

Certamine. Mecum certando; me vincat.

Alte. Per aera.

Caucaſon. Mons eſt Scythiæ.

Levavit. Jugo exemit.

Incana ſitu. Pallida, & lurida ſqualore.

Scabri. Aſperi.

Extabant. Prominebant: ob maciem.

Ventris erat pro ventre, locus: pendere putares
Pectus, & ſpinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.
Hanc procul ut vidit (neque enim eſt accedere juxta
Auſa) refert mandata Deæ, paulumque morata,
Quamquam aberat longe, quamquam modo venerat illuc,
Viſa tamen ſenſiſſe famem, retroque dracones
Egit in Æmoniam verſis ſublimis habenis.

Pendere pectus. Nullo ventre ſubjecto, a quo ſuſtineretur. In parte corporis, quæ ab imo collo ad ſumma femora protenditur, tres ſunt veluti contignationes, tres capſæ. Summa continet cor, pulmones, jecur, &c. media, cibos: ima, inteſtina. Prima dicitur pectus; altera ſtomachus; tertia, venter.

A ſpinæ crate. A coſtis.

Auxerat. Faciebat macies, ut plures articuli, quam ſunt, eſſe viderentur, vel majores. Articuli ſunt oſſiculorum commiſſuræ, præſertim in digitis: illæ exrant in macilentis, & eminent.

Æmoniam. Theſſaliam.

X X I.

Fames Eriſichthonem invadit.

Dicta Fames Cereris (quamvis contraria ſemper
Illius eſt operi) peragit perque aera, vento
Ad juſſam delata domum eſt, & protinus intrat
Sacrilegi thalamos, altoque ſopore ſolutum
(Noctis erat tempus) geminis amplectitur ulnis,
Seque viro inſpirat, fauceſque, & pectus, & ora
Afflat, & in vacuis peragit jejunia venis:
Functaque mandato fœcundum deſerit orbem:

Vento delata. Inſtar plumæ: adeo macra erat.

Se inſpirat viro. Subit in intima præcordia, inſtar tenuis auræ, ac ſpiritus.

Peragit jejunia. Meliores libri, *ſpargit*, habet.

Fœcundum orbem. Græciam.

Inque domos inopes, aſſuetaque vertitur antra.
Lenis adhuc ſomnus placidis Eriſichthona pennis
Mulcebat: petit ille dapes ſub imagine ſomni,
Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat,
Exercetque cibo deluſum guttur inani;
Proque epulis tenues ne quicquam devorat auras.
Ut vero eſt expulſa quies, fuit ardor edendi,
Perque avidas fauces, immenſaque viſcera, regnat.
Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aer,
Poſcit, & appoſitis queritur jejunia menſis;
Inque epulis epulas quærit, quodque urbibus eſſe,
Quodque ſatis poterat populo, non ſufficit uni,
Pluſque cupit, quo plura ſuam demittit in alvum.
Utque fretum recipit de tota flumina terra,
Nec ſatiatur aquis, peregrinoſque ebibit amnes:
Utque rapax ignis non unquam alimenta recuſat,
Innumeraſque faces cremat, & quo copia major
Eſt data, plura petit, turbaque voracior ipſa eſt:
Sic epulas omnes Eriſichthonis ora profani
Accipiunt, poſcuntque ſimul: cibus omnis in illo
Cauſa cibi eſt, ſemperque locus fit inanis edendo.

Sub imagine ſomni. Inter dormiendum: ſomniat ſe comedere. Somnia dicuntur imagines ſomni, quia in ſomnis effinguntur.

Ora vana. Nihil mandentia.

Immenſa viſcera. Quæ nequeunt expleri.

Appoſitis &c. Licet appoſita ſint multa, & exquiſita fercula, queritur tamen ſe jejunum eſſe.

Turba ipſa. Ob copiam alimenti ſubminiſtrati: Quo plus ligni ſubjicis foco, eo creſcit magis, & veracior evadit.

Locus. Stomachus.

XXII.

Eriſichthonis filia, ut patrem famelicum ſuſtentet, obtinet a Neptuno poteſtatem mutandi ſe in varias formas.

Jamque fame patrias altique voragine ventris
Attenuerat opes, ſed inattenuata manebat

Inattenuata. Non imminuta.

Cen-

Tum quoque dira fames, implacatæque vigebat
Flamma gulæ; tandem demiſſo in viſcera cenſu,
Filia reſtabat, non illo digna parente.
Hanc quoque vendit inops. Dominum generoſa recuſat,
Et vicina ſuas tendens ſuper æquora palmas,
Eripe me domino, vaſti rex æquoris, inquit.
Qui, prece non ſpreta, quamvis modo viſa ſequenti.
Eſſet hero, formamque novat, vultumque virilem,
Induit, & cultus piſces capientibus aptos.
Hanc dominus ſpectans: O qui pendentia parvo
Æra cibo celas, moderator arundinis, inquit,
Sic mare compoſitum, ſic ſit tibi piſcis in unda
Credulus, & nullos niſi fixus ſentiat hamos;
Quæ modo, cum vili turbatis veſte capillis,
Littore in hoc ſteterat (nam ſtantem in littora vidi
Dic ubi ſit, neque enim veſtigia longius exſtant)
Illa Dei munus bene cedere ſenſit, & a ſe
Se quæri gaudens, his eſt reſecuta rogantem:
Quiſquis es, ignoſcas, in nullam lumina partem
Gurgite ab hoc flexi, ſtudioque oneratus, inhæſi.

Cenſu. Reditu, re familiari. *Non illo*. Non impio, & ſcelerato; ſed pio, & meliore, digna.
Dominum recuſat. Servitutem pati non poteſt, ingenua ſcilicet, ac liberaliter educata.
Eripe &c. Vindica me in libertatem. *Qui*. Neptunus.
Quamvis. Licet Metra in conſpectu eſſet Domini, cui pater ſuus illam vendiderat.
Novat. Mutat.
Et cultus. Veſtes, habitum, formam, piſcatoris illi tribuit.
Pendentia æra. Hamum æreum, filo ſuſpenſum.
Cibo. Eſca.
Sic. Utinam. Faxint Superi, ut &c.
Compoſitum. Placidum.
Fixus. Captus.
Neque enim &c. Nam abeſſe longe nequit. Vel: non eſt ulterius progreſſa; non abiit longius, quia nulla ejus ulteriora cerno veſtigia, impreſſa in littore.
Bene cedere. Se Neptuni beneficio fæliciter occultari, & latere.
A ſe, ſe quæri. Interrogari ſe, ubinam ipſa eſſet.
Reſecuta eſt. Reſpondit.
Studio oneratus. Malim, cum Heinſio, *operatus*. Intentus piſcationi, oculis defixis hæſi.

Quoque minus dubites; ſic has Deus æquoris artes
Adjuvet, ut nemo jamdudum littore in iſto,
(Me tamen excepto) nec fœmina conſtitit ulla.
Credidit, & verſo dominus pede preſſit arenam,
Eluſuſque abiit: illi ſua reddita forma eſt.
Aſt ubi habere ſuam transformia corpora ſenſit,
Sæpe pater dominis Triopeida tradit: at illa
Nunc equa, nunc ales, modo bos, modo cervus abibat,
Præbebatque avido non juſta alimenta parenti.
Vis tamen illa mali poſtquam conſumpſerat omnem
Materiam; dederatque gravi nova pabula morbo,
Ipſe ſuos artus lacero divellere morſu
Cœpit, & infelix minuendo corpus alebat.
Quid moror externis? etiam mihi ſæpe novandi
Corporis, o juvenes, numero finita poteſtas:
Nam modo qui nunc ſum, videor: modo flector in anguem,
Armenti modo dux, vires in cornua ſumo;

Sic has &c. Ita mihi, & meæ piſcationi faveat Neptunus, ut affirmare tibi verè poſſim neminem hic, præter me, fuiſſe.

Verſo &c. Retro per littus abiit.

Illi. Metræ.

Aſt ubi &c. Poſtquam intellexit Eriſichthon ſuam filiam ea præditam eſſe dote, ut in varia corpora transformare ſe poſſet.

Triopeida. Metram, Triopis neptem.

Abibat. Evadebat: dominos effugiebat.

Non juſta. Dolo quæſita: nempe nummis, quos accipiebat a dominis, tamquam pretium ſervitutis, cum tamen dominos ſemper eluderet, Vel: *non juſta*; indebita; immerenti data. Vel; illius avidi tati non paria.

Mali. Famis.

Dederatque &c. Et cibos in ventrem ingerendo, morbum, ideſt, famem, auxerat, quæ cibis, tamquam pabulo, alebatur.

Quid moror, &c. Cur exempla transformationum aliena, & peregrina, conquiro? Suppetunt mihi domeſtica.

Numero &c. Eſt mihi facultas novæ corporis formæ ſumendæ, triplicis tamen dumtaxat, is enim numerus mihi definitus a Fatis fuit: nempe hominis, anguis, aut tauri.

Qui nunc ſum. Humana ſpecie præditus.

Dux armenti. Taurus.

Vires in cornua ſumo. Arma & robur ſumo a cornibus. His tauri valent.

Cor-

Cornua dum ſumpſi, nunc pars caret altera telo
Frontis, ut ipſe vides: gemitus ſunt verba ſecuti.

Cornua dum, &c. Quando nunc mutor in taurum, uno e meis cornibus, tamquam telo, careo. Quoties nunc ſumo cornua, toties altero cornu ſpoliatus appareo. Fruſtra locum hunc ſollicitat Heinſius, & verſum per ſe liquidum obſcurat. Ac ſane interdum audet plus juſto, quæ labes criticæ nationis eſt.

Ut vides. Mutilam frontem oſtendit Achelous. Fluviis enim poetæ cornua dant, etiam cum illos humana ſpecie pingunt.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER NONUS.

SYNOPSIS.

Acheolus cum Hercule depugnat; ejus cornu mutatur in Cornu copia. Hercules veneno extinctus in Deum transformatur: Galanthis in muſtelam, Dryope in arborem, Byblis in fontem, Jolaus ſenex in adoleſcentem: Alcmaonis filii, pueri, in juvenes; Iphis ab Iſide ſervatur.

I.

Dejaniram conjugem ambit Achelous: ambit Hercules: a verbis ad pugnam uterque deſcendit.

QUæ gemitus, truncæque Deo Neptunius Heros
Cauſa rogat frontis: cum ſic Calydonius amnis
Cœpit, inornatos redimitus arundine crines.
Triſte petis munus, quis enim ſua prœlia victus
Commemorare velit? referam tamen ordine, nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendiſſe decorum eſt,
Magnaque dat nobis tantus ſolatia victor.
Nomine ſi qua ſuo tandem pervenit ad aures
Dejanira tuas, quondam pulcherrima virgo,

Qua, &c. Heros Neptunius (nempe Theſeus, Neptuni nepos) quærit ex Acheloo, quæ illi cauſa ſit gemitus, & amiſſi cornu.
Gemitus. Ultimo verſu libri ſuperioris ingemuiſſe narratur Achelous. *Calydonius* appellatur, quia per Ætoliam fluit, ubi Calydon.
Arundine. Fluvii coronantur arundinibus, quibus abundant ripæ fluminum.
Vinci. Ab Hercule.
Si qua. Si aliqua, ſi aliquando.
Dejanira. Oenei, regis Calydoniæ, filia.

Multorumque fuit ſpes invidioſa procorum.
Cum quibus ut ſoceri domus eſt intrata petiti,
Accipe me generum, dixi, Parthaone nate:
Dixit & Alcides, alii ceſſere duobus.
Ille Jovem ſocerum dare ſe, famamque laborum,
Et ſuperata ſuæ referebat juſſa novercæ.
Contra ego, Turpe Deum mortali cedere, dixi:
(Nondum erat ille Deus) dominum me cernis aquarum,
Curſibus obliquis inter tua regna fluentem,
Nec gener externis hoſpes tibi miſſus ab oris,
Sed popularis ero, & rerum pars una tuarum.
Tantum ne noceat, quod me nec regia Juno
Odit, & omnis abeſt juſſorum pœna laborum.

Multorum, &c. A multis expetita uxor fuit.

Invidioſa. Ambitioſa.

Cum quibus. Poſtquam ingreſſus ſum, una cum cæteris procis, domum Oenei, quem ſocerum habere omnes optabamus: Ne dubita, dixi, Oeneu (filius erat Parthaonis) me generum adſciſcere. Idem Hercules dixit: alii proci nobis duobus ceſſere; itaque inter me, & Herculem, ſtetit lis tota, & dimicatio.

Alcides. Hercules. Id nominis habuit ab Alcæo, avo, ſive ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, ideſt, a fortitudine. Herculis poſtea nomen eſt adeptus a vocibus Græcis, Ἥρα *Juno*, & κλέος, *gloria*, Ἡρακλῆς, quod Junonis imperiis, & odio, famam ingentem eſſet conſecutus.

Ille Jovem, &c. Hercules ſe mihi præferendum dicebat hoc nomine, quod Dejanira Jovem eſſet ſocerum habitura, quod foret collocanda heroi tam glorioſe perfuncto tantis laboribus, tot imperatis a noverca Junone periculis.

Contra ego, &c. Dicebam Oeneo, Herculem, qui nondum Deus, qui merus homo eſſet, mihi Deo præferri, ſine injuria, non poſſe.

Dominum aquarum. Nimirum, quæ in Ætolia ſunt, præter quam fluebat.

Nec gener. Altera, cur, Dejaniram Achelous poſcat ratio: Indigena ſum; Hercules vero, hoſpes & peregrinus.

Popularis. Unus e tuo populo.

Rerum tuarum. Regni tui, ac ditionis fluvius. Ille Thebanus; ego Ætolus.

Tantum &c. Diluit Herculis argumenta, contenditque rejiciendum Herculem, quia odio eſt Junoni: quia Jove natum ſe falſo dicit; aut ſi verus illi pater eſt Jupiter, hæc origo probroſa illi eſſe debet.

Omnis abeſt, &c. Non perfunctus ſum duriſſimis man-

Nam quod te jactas Alcmena matre creatum,
Jupiter aut falſus pater eſt, aut crimine verus:
Matris adulterio patrem petis: elige fictum
Eſſe Jovem malis, an te per dedecus ortum,
Talia dicentem jamdudum lumine torvo
Spectat, & accenſæ non fortiter imperat iræ
Verbaque tot reddit: Melior mihi dextera lingua:
Dummodo pugnando ſuperem, tu vince loquendo:
Congrediturque ferox. Puduit modo magna locutum
Cedere; rejeci viridem de corpore veſtem,
Brachiaque oppoſui, tenuique a pectore varas
In ſtatione manus, & pugnæ membra paravi.

datis, & laboribus, ab impotente noverca impoſitis.

Crimine. Adulterio.

Petis. Non potes patrem tibi arrogare Jovem, quin matrem tuam adulteram eſſe fatearis.

Congreditur. Accingit ſe ad certamen, ad luctationem.

Viridem. Hic fluviorum color.

Tenui. Compoſui, protuli.

Varas. Inflexas, & ad pectus reductas. Proprie, vari dicuntur, quibus introrſum obtorta, & inflexa male, crura ſunt.

A pectore. Ante pectus remotas paulum a pectore.

In ſtatione. Pugilum expeditæ ad pugnam manus, quaſi milites in ſtatione ſunt, & in excubiis.

I I.

Hercules cum Acheloo luctatur.

Ille cavis hauſto ſpargit me pulvere palmis,
Inque vicem fulvæ jactu flaveſcit arenæ.
Et modo cervicem, modo crura micantia, captat,
Aut captare putes; omnique a parte laceſſit.

[1] *Ille cavis*. Luctaturi corpus nudum oleo perfundebant, ut elabi captantibus poſſent: tum etiam, ut obductis oleo poris, ſudor non diffluerct, nam cum ſudore copioſo vires effluunt. Hercules Acheloum pulvere aſpergit, ut adhæreſcens oleo pulvis facultatem adverſarii comprehendendi præbeat, facta veluti cruſta.

Inque vicem. Ego viciſſim arena illum perfundo.

Micantia. Trepidantia: huc illuc velociter mota.

Captat. Tentat capere.

Laceſſit. Comprehendere me

Me mea defendit gravitas, fruſtraque petebar;
Haud ſecus ac moles, quam magno murmure fluctus
Oppugnant; manet illa, ſuoque eſt pondere tuta.
Digredimur paulum, rurſuſque ad bella coimus,
Inque gradu ſtetimus, certi non cedere, eratque
Cum pede pes junctus, totoque ego pectore pronus
Et digitos digitis, & frontem fronte premebam.
Non aliter vidi fortes concurrere tauros,
Cum pretium pugnæ toto nitidiſſima ſaltu
Expetitur conjux: ſpectant armenta, paventque,
Neſcia quem maneat tanti victoria regni.
Ter, ſine profecto, voluit nitentia contra
Rejicere Alcides a ſe mea pectora, quarto
Excutit amplexus, adductaque brachia ſolvit.
Impulſumque manu (certum eſt mihi vera fateri)
Protinus avertit, tergoque onerosus inhæſit.
Si qua fides (neque enim ficta mihi gloria voce
Quæritur) impoſito preſſus mihi monte videbar.
Vix tamen exſerui ſudore fluentia multo

me nititur.

Petebar. Oppugnabar.

Digredimur. A nobis invicem recedimus.

Coimus. Manus conferimus.

In gradu ſtetimus. In eodem loco erecti, ſtabileſque manſimus.

Certi. Deliberatum utrique erat, locum in quo ſteteramus non deſerere, nec adverſario cedere.

Cum pede, &c. Virgil. X. Æneid. *Hæret pede pes, deſuſque viro vir*.

Saltu. Silva.

Quem maneat. Cui obventura ſit.

Victoria regni. Uter taurus ſit regnaturus, æmulo victo.

Sine profectu. Fruſtra.

Nitentia contra. Sibi obluctantia, & valide oppoſita.

Quarto. Quarta vice, quarto impetu.

Excutit &c. Me amplectentem excutit, & mea brachia inter ſe nexa, & ſuo corpori circumjecta, ſolvit.

Certum eſt mihi. Decrevi rem, uti geſta eſt, candide referre.

Avertit. Convertit me in alteram partem, ita ut ipſi dorſum obverterem, qui prius ſtabam pectore oppoſito.

Onerofus. Tergo meo incubuit, ut me dejiceret.

Si qua fides. Si mihi creditis: & poteſtis vera dicenti credere, neque enim e mendacio captare mihi, aut Herculi, laudem velim.

Exſerui brachia. Evolvi,

Brachia, vix ſolvi duros a corpore nexus.
Inſtat anhelanti, prohibetque reſumere vires,
Et cervice mea potitur. Tum denique tellus
Preſſa genu noſtro eſt, & arenas ore momordi.

explicui.
Nexus. Brachiorum, quibus Hercules me conſtrinxerat.
Potitur. Invadit: ſtringit.
Tellus, &c. Concidi.
Arenas. Gladiatores, cum victi cadebant, humo dentes infigebant, ne quem indignum ederent gemitum.

III.

Acheolus transformat ſe in anguem, deinde in taurum: ejus alterum cornu Hercules infringit. Inde Cornu copia.

Inferior virtute, meas divertor ad artes,
Elaborque viro longum formatus in anguem.
Qui poſtquam flexos ſinuavi corpus in orbes,
Cumque fero movi linguam ſtridore biſulcam;
Riſit, & illudens noſtras Tirynthius artes,
Cunarum labor eſt angues ſuperare mearum.
Dixit; & ut vincas alios, Acheloe, dracones,
Pars quota Lernææ ſerpens eris unus Echidnæ?
Vulneribus fœcunda ſuis erat illa; nec ullum,
De centum numero caput eſt impune reciſum,
Quin gemino cervix hærede valentior eſſet.

Meas ad artes. Ad præſtigias mihi uſitatas delapſus ſum: corpus, & formam mutavi.
Biſulcam. Bifidam.
Tirynthius. Tiryns, urbs Peloponneſi, ubi Hercules educatus.
Cunarum, &c. Hercules in cunis adhuc jacens, duos angues, a Junone ad illum perdendum immiſſos, peremit.
Ut vincas. Quamvis vincas: licet ſis terribilior exteris anguibus.
Pars quanta, &c. Quam longe aberis, unus cum ſis, a viribus, & immanitate Hydræ, quæ multiplex dici videbatur poſſe, ob multa, quibus pollebat, capita, quæ ſucciſa repullulabant majori numero.
Lernæa. Lib. I. n. 16.
Echidnæ. Vox ea proprie ſignificat viperam: a poetis accipitur pro angue quolibet, ac ſæpius pro hydra Lernæa.
Impune. Sine recidentis damno: pro uno ſcilicet capite

Hanc ego ramoſam natis e cæde colubris,
Creſcentemque malo, domui, domitamque reduxi.
Quid fore te credis, falſum qui verſus in anguem
Arma aliena moves, quem forma precaria celat?
Dixerat, & ſummo digitorum vincula collo
Injicit: angebar, ceu guttura forcipe preſſus;
Pollicibuſque meas pugnabam evellere fauces.
Sic quoque devicto, reſtabat tertia tauri
Forma trucis: tauro mutatus membra, rebello.
Induit ille toris a leva parte lacertos,
Admiſſumque trahens ſequitur, depreſſaque dura
Cornua figit humo, meque alta ſternit arena.
Nec ſatis hoc fuerat, rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncaque a fronte revellit;
Najades hoc pomis, & odoro flore repletum
Sacrarunt, diveſque meo bona Copia cornu eſt.

pite reciſo, alia duo, tamquam hæredes mortuo patri, ſuccedebant, ac novo periculo, damnoque, hoſtem afficiebant.

Ramoſam. Multis capitibus, tamquam ramis, fruticantem.

Natis e cæde. Natis e capite aliquo cæſo.

Malo. Per ſua damna & vulnera.

Domui. Cervicem igne aduſſi, quo facto deſierunt ſuccreſcere nova capita.

Reduxi. Stravi. Aliis in codicibus legitur *ſubegi*: in aliis *peremi*: in aliis *præuſſi*: hoc poſtremum reliquis Heinſius anteponit.

Quid fore. Cujus roboris & animi.

Aliena arma moves. Pugnas indutus aliena forma, & adſcitia.

Precaria. Aliunde emendicata.

Pollicibus. Herculis.

Tertia. Hominis formam primo ſumpſerat: deinde ſerpentis: nunc demum bovis.

Rebello. Bellum repeto.

Induit lacertos. Injicit brachia.

Toris. Collo. Lib. VII. 11.

Admiſſum. Incitatum, impulſum.

Trunca. Mutila. Acheloum duobus alveis fluxiſſe litteris proditum eſt: unum Hercules obſtruxit, ut alter plenior flueret, utiliorque. Idcirco alterum illi cornu abſtuliſſe dicitur.

Sacrarunt. Sacrum habuerunt; tamquam rem ſacram, ſervaverunt, ac prodigii plenam; quippe nova ſemper poma, novos flores illud cornu cœpit profundere: unde cornu Copiæ eſt appellatum.

Diveſque &c. Et Copia (Dea abundantiæ præſes) dives eſt, ac opulenta, propter

Dixerat, & nymphe, ritu ſuccincta Dianæ,
Una miniſtrarum, fuſis utrimque capillis,
Inceſſit, totumque tulit prædivite cornu
Autumnum, & menſas, felicia poma, ſecundas.
Lux ſubit, & primo feriente cacumine ſole,
Diſcedunt juvenes: neque enim dum flumina pacem,
Et placidos habeant lapſus, totæque reſidant,
Opperiuntur, aquæ. Vultus Achelous agreſtes,
Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.

pter illud meum cornu: invenit uberrimam omnium frugum copiam in meo cornu. Alii poetæ dives illud Copiæ cornu tradunt fuiſſe cornu Amaltheæ capræ, Jovis nutricis, de qua dictum Lib. III. num. 10.

Et nymphe &c. Una nympha, ex iis quæ menſæ tunc miniſtrabant, proceſſit in medium, & illud cornu prædives attulit, in eoque varios fructus, qui ſecundas menſas inſtruxere.

Menſas ſecundas. Bellaria. Lib. VIII. num. 16.

Cacumina. Montium.

Neque enim opperiuntur. Non expectandum putant, donec pacata flumina ſubſidant, alveoque ſuo ſtant.

Agreſtes. Deformes, amiſſo cornu.

Lacerum. Orbatum caput uno cornu; truncum.

IV.

Neſſus, Dejaniram Herculi rapere tentans, ab eo ſagitta configitur.

Hunc tamen ablati domuit jactura decoris,
Cætera ſoſpes habet; capitis quoque fronde ſaligna;
Aut ſuperimpoſita celatur arundine damnum:
At te, Neſſe ferox, ejuſdem virginis ardor
Perdiderat, volucri trajectum terga ſagitta.
Namque nova repetens patrios cum conjuge muros,
Venerat Eveni rapidas Jove natus ad undas.

Hanc tamen, &c. Achelous ab Hercule domitus nihil amiſit præter cornu, quod ornamento corporis potius, quam integritati, ſerviebat: cætero corpore incolumnis manſit: & hanc jacturam tamen abſcondit ſalicis frondibus, &c.

At te. Tu Neſſe, non partem tantum corporis, ſed vitam ipſam perdidiſti: dum eamdem Dejaniram eripere paras Herculi.

Patrios muros. Thebas; patriam Herculis.

Uberior ſolito, nimbis hyemalibus auctus,
Vorticibuſque frequens erat, atque impervius amnis.
Intrepidum pro ſe, curam de conjuge agentem,
Neſſus adit, membriſque valens, ſcituſq; vadorum:
Officioque meo ripa ſiſtetur in illa:
Hæc, ait, Alcide; tu viribus utere nando.
Tradidit Aonius pavidam Calydonida Neſſo,
Pallentemque metu, fluviumque ipſumq; timentem.
Mox, ut erat pharetraque gravis, ſpolioque leonis
(Nam clavam, & curvos trans ripam miſerat arcus)
Quandoquidem cœpi, ſuperentur flumina, dixit.
Nec dubitat; nec qua ſit clementiſſimus amnis
Quærit, & obſequio deferri ſpernit aquarum.
Jamque tenens ripam miſſos cum tolleret arcus,
Conjugis agnovit vocem, Neſſoque paranti
Fallere depoſitum, Quo te fiducia, clamat,
Vana pedum, violente, rapit? tibi, Neſſe biformis,
Dicimus, exaudi, nec res intercipe noſtras.
Haud tamen effugies, quamvis ope fidis equina;
Vulnere, non pedibus, te conſequar; ultima dicta

Conjuge. Dejanira, quam Acheloo victo, duxerat.

Eveni. Ætoliæ fluvii.

Jove natus. Hercules.

Scitus. Gnarus, peritus.

Vadorum. Vada ſunt humiliora in fluminibus loca, quæ tranſmitti facile poſſunt.

Officioque meo. Ordo verborum eſt. Hæc Dejanira, o Alcide, inquit Neſſus, per me, cui gratum erit in ea te officium tibi præſtare, tranſportabitur in illam ripam (nempe adverſam, quam manu monſtrabat) tu, natando flumen ſupera.

Aonius. Hercules, Thebis oriundus. Thebæ ſunt in Bœotia, cujus pars Aonia.

Calydonida. Dejaniram, Oenei, Calydonis regis, filiam.

Ipſum. Neſſum. Ne ab eo raperetur.

Miſerat. Projecerat.

Dubitat. Trepidat, ut ſolent qui fluvio ſe committunt.

Obſequio aquarum. Secundo flumine.

Fallere depoſitum. Dejaniram retinere. Depoſitum eſt, quod alicujus fidei, & cuſtodiæ, reſtituendum poſtea, traditur.

Biformis. Centaure; partim humanam, partim equinam habens formam.

Tibi dicimus. Te alloquor. Ohe, ſiſte.

Intercipe. Abripi, retine.

Ope equina. Equi velocitate.

Re probat, & miſſa fugientia terga ſagitta
Trajicit: extabat ferrum de pectore aduncum;
Quod ſimul evulſum eſt, ſanguis per utrumque foramen
Emicuit, miſtus Lernæi tabe veneni.
Excipit hunc Neſſus: Neque enim moriemur inulti,
Secum ait: & calido velamina tincta cruore
Dat munus raptæ, velut irritamen amoris.

Reprobat. Factis; jaculo emiſſo.
Extabat. Trajecto tergo, cuſpis ſagittæ in pectore Neſſi eminebat.
Miſtus. Veneno Hydræ, quo Hercules olim ſagittas ſuas infecerat.
Hunc. Suum ſanguinem,
Velut.. Tamquam ſi veſtis cruore ſuo tincta vim haberet ad amorē provocandum.

V.

Dejanira tunicam peſtifero Neſſi cruore tinctam ignara mittit Herculi.

Longa fuit medii mora temporis, actaque magni
Herculis implerant terras, odiumque novercæ.
Victor ab Oechalia Cenæo ſacra parabat
Vota Jovi, cum fama loquax præceſſit ad aures
Dejanira, tuas, quæ veris addere falſa
Gaudet, & e minima ſua per mendacia creſcit,
Amphitryonjaden Joles ardore teneri.

Longa fuit &c. Longo poſt tempore. Plures anni ſubinde fluxerunt, inter Neſſi necem, & Oechaliæ excidium.
Implerant odium novercæ. Præclara Herculis facinora nihil reliquum fecerant, in quo ſuum exercere odium Juno poſſet: vel, ſatiaverant iram Junonis, & extinxerant. Herculis res geſtas lege apud Natalem. Lib. VII. Gyral. Syntag. 10. Martialem Lib. Spectac. & Lib. IX. Senecam, &c.
Oechalia. Urbe Græciæ, in Eubœa inſula. Ibi Eurytus regnavit, jaculator audax, & peritus, qui filiam Jolen ei ſe daturum promiſit, a quo ipſe vinceretur ſagitta ſcite conjicienda. Victus ab Hercule, promiſſam Jolen negavit. Hercules Oechaliam æquavit ſolo, & Jolen abſtulit.
Cenæo Jovi. Qui colebatur in Cenæo, Eubœæ promontorio.
Amphitryoniaden. Herculem, Amphitryonis, principis Thebani, filium vul-

Credit amans, Venerisque novæ preterrita fama,
Indulſit primo lacrymis, flendoque dolorem
Diffudit miſeranda ſuum: mox deinde, Quid autem
Flemus, ait? pellex lacrymis lætabitur iſtis.
Quæ quoniam adventat, properandum, aliquidque novandum eſt,
Dum licet, & thalamos nondum tenet altera noſtros.
Conquerar? an ſileam? repetam Calydona, morerne?
Excedam tectis, ac ſic nihil amplius obſtem?
Quid ſi me, Meleagre, tuam memor eſſe ſororem,
Forte paro facinus, quantumque injuria poſſit,
Fœmineuſque dolor, jugulata pellice teſtor?
In curſus animus varios abit. Omnibus illis
Prætulit imbutam Neſſeo ſanguine veſtem
Mittere, quæ vires defecto reddat amori,
Ignaroque Lichæ, quid tradat neſcia, luctus
Ipſa ſuos tradit, blandiſque miſerrima verbis
Dona det illa viro, mandat. Capit inſcius heros,
Induiturque humeris Lernææ virus echidnæ.

go creditum.

Veneris novæ. Novarum Herculis cum Jole nuptiarum.

Diffudit. Sparſit, ut minor eſſet; aut effudit.

Novandum. De integro excogitandum: aliquid novi audendum, & cito.

Calydona. Lib. IV. numero 10.

Excedam, &c. An profugiam, & ſic in mora non ſim, quin iſtæ nuptiæ fiant.

Sic. Relinquendo ſic domum.

Meleagrum. Libro VIII. num. 7.

Forte. Quid, ſi Meleagrum fratrem eſſe meum recordata, egregium aliquod tento facinus, ejus exemplo; & Jolen macto fortiter? Quo pacto Meleager Theſtiadas interfecerit habes Lib. VIII.

Teſtor. Planum omnibus facio.

Curſus. Cogitationes.

Defecto. Languenti.

Amori. Herculis erga ipſam.

Lichæ. Servo.

Luctus ſuos. Cauſam ſui doloris, quia Hercules hac veſte periturus erat.

Lernææ. Sup. nu. 3. Tunicam, hydræ in Lerna palude olim ſtabulantis, veneno imbutam.

Her-

V I.

Hercules, inteſtino veneno depaſtus, miſere lamentatur.

Thura dabat primis, & verba precantia, flammis;
Vinaque marmoreas patera fundebat in aras:
Incaluit vis illa mali, reſolutaque flammis
Herculeos abiit late diffuſa per artus.
Dum potuit, ſolita gemitum virtute repreſſit,
Victa malis poſtquam eſt patientia, repulit aras,
Implevitque ſuis nemoroſam vocibus Oeten.
Nec mora: letiferam conatur ſcindere veſtem.
Qua trahitur, trahit illa cutem (fœdumque relatu)
Aut hæret membris fruſtra tentata revelli;
Aut laceros artus, & grandia detegit oſſa.
Ipſe cruor, gelido ceu quondam lamina candens
Tincta lacu, ſtridet, coquiturque ardente veneno.
Nec modus eſt, ſorbent avidæ præcordia flammæ,
Cæruleuſque fluit toto de corpore ſudor,
Ambuſtique ſonant nervi, cæcaque medullis
Tabe liquefactis, tollens ad ſidera palmas,
Cladibus, exclamat, Saturnia, paſcere noſtris,
Paſcere, & hanc peſtem ſpecta crudelis ab alto,
Corque ferum ſatia; vel, ſi miſerandus & hoſti,

Thura, &c. Incipiebat ſacrificium, conjecto in flammas thure, fuſis precibus.

Mali. Veneni.

Reſoluta. Igne ſacrificii liquefactum virus, ſeu concretus antea Neſſi cruor, diffluxit, & exarſit.

Oeten. Montem Theſſaliæ. Cum ſentiret Hercules depaſci viſcera veneno, Delphos miſiſſe dicitur, qui conſulerent Apollinem de morbi remedio. Juſſit Apollo, ut in Oetam pergeret, ibi ſtrueret pyram: cætera Jovem curaturum. Oeta nunc *Bunina* nominatur.

Lam na. Ferri bractea.

Candens. Ardens.

Lacu. Fonte: aqua frigida.

Modus. Remedium, finis.

Sorbent. Depaſcuntur, exurunt.

Saturnia. Juno.

Paſcere. Gaude, triumpha: odium ſatia.

Vel ſi &c. Si te miſeratio aliqua mei, licet hoſtis tui, capit.

Ergo

(Hoſtis enim tibi ſum) diris cruciatibus ægram,
Inviſamque animam, natamque laboribus, aufer.
Mors mihi munus erit, decet hæc dare dona novercam.
Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore
Buſirim domui? ſævoque alimenta parentis
Antæo eripui? nec me paſtoris Iberi
Forma triplex; nec forma triplex tua, Cerbere, movit?
Voſne manus validi preſſiſtis cornua tauri?
Veſtrum opus Elis habet, veſtrũ Stymphalides undæ,

Ergo ego. Hiccine ille ſum? qui Buſirim domui, &c.

Buſirim. Tyrannum Ægypti, qui accedentes ad ſe hoſpites Jovi immolabat. Ab Hercule immolatus fuit.

Antæo. Antæus, in Libya gigas, Terræ filius, omnes ad dimicandum luctatione provocabat, victos mactabat, Nemo unus reperiebatur, qui ſuperbum gigantem poſſet ſuperare, quippe quoties proſternebatur ab adverſario, toties reſurgebat valentior, Terra matre vires novas ſuggerente. Hercules congreſſus, illum a terra ſublimem tenens, ſtrangulavit: Vide Lucan. Lib. IV.

Paſtoris Iberi. Geryonis, qui tria fertur habuiſſe corpora. Eo tempore in Hiſpania Geryon regnavit, quo regum opes gregibus maxime continebantur. Hunc & armentis, & triplici vita, ſpoliavit Hercules. Virgil. Lib. VIII. Ajunt fuiſſe tres fratres, eodem nomine, qui regnum idem adminiſtrabant tanta concordia, ut unam tribus in corporibus animam ſortiti viderentur. Concordiam hanc diſcidit Hercules.

Cerbere. Canis, inferorum cuſtos, triformis, ſive triceps, quem Hercules ab inferis extraxit. Lib. VII. 10. X. 2.

Tauri. Cretam ille devaſtabat; cum Hercules ad Euryſtheum adduxit.

Veſtrum. Voſne, o languidæ jam veneno manus, in Elide præclarum facinus ediſtis?

Elis &c. Augias, Solis filius, rex Elidis, in Peloponneſi parte occidua, ſtabulum habebat, per multos annos neglectum, & incuratum, in quo nempe tantum fimi congeſtum erat, quantum ter mille boves annis pluribus reddiderant. Cum ejus gravi odore aer inficeretur, purgandum Herculi locavit. Is immiſſo in ſtabulum Alpheo flumine, locum eluit, ac mundavit. Cum vero Augias mercedem pactam ſolvere negaret, ejecit regno perfidum Hercules, ejus urbem diripuit, Jovi certamen Olympicum inſtituit. Huccine igitur illa tot præclara facinora reciderunt, ut ſic miſere perirem!

Partheniumque nemus, veſtra virtute relatus
Thermodontiaco cælatus balteus auro,
Pomaque ab inſomni male cuſtodita dracone?
Nec mihi Centauri potuere reſiſtere; nec mi
Arcadiæ vaſtator aper; nec profuit Hydræ
Creſcere per damnum, geminaſque reſumere vires.
Quid? cum Thracis equos, humano ſanguine pingues,
Plenaque corporibus laceris præſepia vidi?
Viſaque dejeci? dominumque, ipſoſque peremi?
His eliſa jacet moles Nemæa lacertis,
Hac cœlum cervice tuli. Defeſſa jubendo eſt

Stymphalides. Stymphalus Arcadiæ fuit civitas. In ea fons, & e fonte palus, dicta pariter Stymphalis; in palude viſebantur aves miræ magnitudinis, quæ perniciem vicinis agris afferebant; imo (ſi Superis placet) viatores etiam probe armatos, invadebant, devorabantque. Ab Herule partim ſagittis confixæ ſunt, partim æreis crepitaculis fugatæ.

Parthenium nemus. In Arcadia erat. Ibi cervam eximiæ velocitatis, quæ propterea æripes dicebatur, Hercules aſſecutus, cepit.

Balteus. Thermodon, fluvius Aſiæ, in Pontum Euxinum influit; hodie *Pormon*. Hunc Amazones accoluere. Agmen fœmineum vicit Hercules, & ipſarum reginæ Hippolytæ aureum balteum detraxit, monumentum Victoriæ.

Poma. Heſperus. Atlantis frater fuit. Ejus filiæ Heſperides, colebant hortos pulcherrimos, ubi mala aurea, quæ aurantia, ſive citrea, vulgo nominantur. Ea ſuſtulit Hercules, dracone, illorum cuſtode pervigili cæſo.

Centauri. Pholus unus e Centauris, Theſſaliæ populis, Herculem hoſpitio accepit. Adfuere alii Centauri, & rixa inter ebrios coorta, cum Hercule manus conſeruerunt: a quo victi, & magna ex parte ſunt deleti.

Aper. Ab Hercule cæſus prope montem Græciæ Erimanthum, unde vicinis agris vaſtitatem, agricolis necem inferebat.

Hydra. Supra num. 3.

Thracis, &c. Diomedis: Thraciæ regis, qui lacerandos equis ſuis hoſpites objiciebat.

Moles Nemæa. Leo, ſilvæ Nemææ, inter Argos, & Cleonas, Pelopponeſi oppida, ſitæ. Hunc apprehenſum Hercules eliſis faucibus oppreſſit.

Hac cœlum &c. Hercules Atlantem Mauritaniæ regem,

Sæva Jovis conjux, ego ſum indefeſſus agendo.
Sed nova peſtis adeſt, cui nec virtute reſiſti,
Nec telis, armiſque poteſt; pulmonibus errat
Ignis edax imis, perque omnes paſcitur artus.
At valet Euriſtheus; & ſunt, qui credere poſſint
Eſſe Deos? Dixit, perque altam ſaucius Oeten
Haud aliter graditur, quam ſi venabula taurus
Corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.

gem, qui cœlum humeris ſuſtinebat, inviſens, cum hoc onere pauliſper levavit, ac ponderi tanto ſubiit. Lib. II. 7. IV. 9.

At valet. Sanus, & integer eſt.

Euryſtheus. Stheneli, Mycenarum regis, filius; qui Junone ſtimulante, Herculem varia juſſit adire pericula. Hercules ejus imperia detrectans, conſulto Delphici Apollinis oraculo, reſponſum accepit, eſſe in fatis, ut morem Euryſtheo, duriſſima quæque imperanti, gereret, eoque pacto immortalitatem conſequeretur. Sententia verſiculi eſt: Ego monſtrorum domitor, tam bene de terrarum orbe meritus, indigne pereo: Euryſtheus, homo ignavus & improbus, vivit, valet, deliciis indulget!

Et ſunt &c. Improborum fœlicitas non raro querelas, etiam probis, excuſſit. Sed impie facit, qui Divinam idcirco Providentiam aut accuſat, aut negat. Præclare in hanc ſententiam diſſerit Regius Vates Pſalm. 72.

Venabula. Tela venatoria.

Auctor. Venator.

VII.

Lichas, ab Hercule furente in æquor projectus, mutatur in ſcopulum. Pyram ſibi ſtruit Hercules.

Sæpe illum gemitus edentem, ſæpe frementem,
Sæpe retentantem totas infringere veſtes,
Sternentemque trabes, iraſcentemque videres
Montibus, aut patrio tendentem brachia cœlo.
Ecce Lichan trepidum, & latitantem rupe cavata,
Aſpicit, utque dolor rabiem collegerat omnem,
Tune, Licha, dixit, feralia dona dediſti?
Tune meæ necis auctor eris? Tremit ille, pavetque

Retentantem. Iterum, atque iterum tentantem.

Lichan. Qui veſtem a Dejanira ipſi tulerat.

Pallidus, & timide verba excuſantia dicit.
Dicentem, genibuſque manus adhibere parantem,
Corripit Alcides, & terque quaterque rotatum
Mittit in Euboicas, tormento fortius, undas.
Ille per aerias pendens induruit auras:
Utque ferunt imbres gelidis concreſcere ventis,
Inde nives fieri, nivibus quoque molle rotatis
Adſtringi, & ſpiſſa glomerari grandine, corpus:
Sic illum validis jactum per inane lacertis,
Exanguemque metu, nec quicquam humoris habentem.
In rigidos verſum ſilices prior edidit ætas.
Nunc quoque in Euboico ſcopulus brevis eminet alte
Gurgite, & humanæ ſervat veſtigia formæ.
Quem, quaſi ſenſurum, nautæ calcare verentur;
Appellantque Lichan. At tu, Jovis inclyta proles,
Arboribus cæſis, quas ardua geſſerat Oete,
Inque pyram ſtructis; arcum, pharetramque capacem,

Genibus. Amplecti genua Herculis parantem.
Euboicas. Eubœa inſula, in Ægæo mari jacet, e regione Theſſaliæ: hodie *Negroponte*.
Tormento. Murali machina, qua lapides, & glandes ferreæ, torquentur.
Imbres. Sic formatur pluvia. Solis calor ſubtiliſſimas aquarum, & madidæ telluris partes educit in aerem: illæ a ventis impulſæ circumferuntur, & aeris frigore compreſſæ denſantur in aquam, & concreſcunt: mox nativo pondere depreſſæ, in terras decidunt, & in ipſo lapſu, ab aere in guttas interciduntur.
Inde &c. Ex imbribus concretis, & adſtrictis,
Nives. Aqua e nubibus decidens, & aerem paulo frigidiorem nacta, dureſcit in nivem: nacta valde frigidum, & rigidum, concreſcit in grandinem. Rotundam grandineis globulis formam conciliat impetus, quo rotantur, ac decidunt.
Nivibus, &c. Nives, inquit, a vento in orbem agitatæ, & denſatæ, conficiunt grandinem, & illarum molle corpus adſtringitur ac denſatur. Mendoſe legitur in vulgatis *mole*.
Edidit. Memoravit.
Prior ætas. Vetuſtas.
Ardua. Oeta, cum terminatio ſpectatur, fœmineum ſortitur genus: cum montis nomen commune, maſculinum. *Pyram*. Rogum.

Re-

Regnaque viſuras iterum Trojana ſagittas,
Ferre jubes Pœante ſatum; quo flamma miniſtro
Subdita: dumque avidis comprenditur igibus agger,
Congeriem ſilvæ Nemæo vellere ſummam
Sternis, & impoſita clave cervice recumbis
Haud alio vultu, quam ſi conviva jaceres
Inter plena meri redimitus pocula ſertis.

Regnaque, &c. Hercules primo cum Telamone & Argonautis Trojam expugnavit, regnante Laomedonte. Eadem Troja, ob raptam Helenam, a Græcis, mortuo jam Hercule, obſeſſa eſt, ſub Priamo. Hanc vero ſine ſagittis Herculis capi non poſſe oraculo editum erat. Ulyſſes itaque a Græcis miſſus ad Philoctetem, Pœantis filium, qui ſagittas fatales olim acceperat ab Hercule moriente, Trojam illas attulit. Fuſius hoc idem explicatum vide initio Libri XIII.

Ferre. Habere, poſſidere.

Quo &c. Qui Philoctetes admovit ignem pyræ.

Agger. Lignorum ſtrues: rogus.

Silva. Rogi.

Nemeao vellere. Leonis Nemeæi pelle, quam ipſi detractam, Hercules, tamquam inſigne quoddam, ſemper geſſerat.

Impoſita... Clava cervici ſubjecta.

Recumbis. Jaces in hac pyra, toto corpore proſtratus.

VIII.

Hercules flammis abſumptus, in Deum vertitur.

Jamque valens, & in omne latus diffuſa ſonabat,
Securoſque artus, contemptoremque petebat
Flamma ſuum. Timuere Dei pro vindice terræ.
Quos ita (ſenſit enim) læto Saturnius ore
Jupiter alloquitur: Noſtra eſt; timor iſte voluptas:
O Superi, totoque libens mihi pectore grator,
Quod memoris populi dicor rectorque, paterque,
Et mea progenies veſtro quoque tuta favore eſt.

Valens. Aucta, validius accenſa.

Timuere Dei. Ne periret vindex terræ, is nimirum qui terras monſtris, & exitio liberabat.

Timor iſte. Veſter.

Memoris populi. Quod cælitibus impero, quos memoria beneficiorum ab Hercule acceptorum tangit.

Et mea &c. Quod favetis

Nam quamquam ipſius datis hoc immanibus actis,
Obligor ipſe tamen. Sed enim ne pectora vano
Fida metu paveant, Oetæas ſpernite flammas:
Omnia qui vicit, vincet, quos cernitis, ignes,
Nec niſi materna Vulcanum parte potentem
Sentiet; æternum eſt, a me quod traxit, & expers
Atque immune necis, nullaque domabile flamma;
Idque ego defunctum terra, cœleſtibus oris
Accipiam, cunctiſque meum letabile factum
Dis fore confido: ſi quis tamen Hercule, ſi quis
Forte Deo doliturus erit; data præmia nolet,
Sed meruiſſe dari ſciet, invituſque probabit.
Aſſenſere Dei: conjux quoque regia viſa eſt
Cætera non duro, duro tamen ultima vultu
Dicta tuliſſe Jovis, ſeque indoluiſſe notatam.
Interea quodcumque fuit populabile flamma
Mulciber abſtulerat, nec cognoſcenda remanſit
Herculis effigies, nec quicquam ab imagine ductum
Matris habet, tantumque Jovis veſtigia ſervat.
Utque novus ſerpens, poſita cum pelle ſenecta,

Herculi, meo filio, & ejus incolumitas curæ vobis eſt.

Nam &c. Quamvis enim de ſalute illius eſtis ſolliciti, ob egregia, quæ geſſit, facinora.

Immanibus. Ingentibus, admirabilibus.

Obligor ipſe tamen. Veſtram in illum pietatem, curam quam pro illo geritis, accipio tamquam beneficium mihi a vobis datum. In eo vos bene de me quoque mereri ſentio. Patri datis, quod confertis in filium.

Spernite &c. Ne vos conturbet quod illum vidiſtis in Oeta deflagrantem.

Materna parte. Ignem non ſentiet niſi corpore, quod a matre ſumpſit; animus, quem habet a me, immortalis erit.

Defunctum terra. Solutum terrena corporis mole: vita mortali perfunctum.

Si quis &c. Junonem his verbis notat. Si quis Superum dolebit Herculem in numerum Deorum relatum eſſe; is quidem tantum præmium illi datum forſan ægre feret; ſed tamen facile intelliget, dignum illo Herculem extitiſſe; &, velit nolit, Deum Herculem cernet.

Populabile. Hujuſmodi, ut igne conſumi poſſet.

Mulciber. Ignis: Vulcanus. Lib. II. nu. I.

Nec quicquam, &c. Nulla jam in re matri ſimilis eſt: in omnibus, Jovi.

Lu-

Luxuriare ſolet, ſquamaque nitere recenti;
Sic, ubi mortales Tirynthius exuit artus,
Parte ſui meliore viget, majorque videri
Cœpit, & auguſta fieri gravitate verendus.
Quem pater omnipotens, inter cava nubila raptum,
Quadrijugo curru radiantibus intulit aſtris.

Luxuriare. Pinguior, & habitior eſſe; exſilire, juveneſcere.
Tirynthius. Hercules. Lib. VII. numero 10.
Parte ſui meliore. Animo.
Quadrijugo. A quatuor equis tracto.

I X.

Galanthis in muſtelam converſa.

Senſit Atlas pondus. Neque adhuc Sthneleïus iras
Solverat Euryſtheus, odiumque in prole paternum
Exercebat atrox. At longis anxia curis
Argolis Alcmene queſtus ubi ponat aniles,
Cui referat nati teſtatos orbe labores,
Cuive ſuos caſus, Jolen habet. Herculis illam
Imperiis, thalamoque animoque receperat Hyllus.
Incipit Alcmene: Faveant tibi numina ſaltem,

Pondus. Herculis cœlo recepti.
Euryſtheus. Supra num. 6.
Solverat. Depoſuerat, ſatiaverat.
In prole. Hyllos, Herculis filio: quem ad necem depoſcebat, confugit ille ad Athenienſes, & eorum ope Euryſtheum profligavit.
Paternum. Quo Herculem Hyli patrem proſequutus erat.
Argolis. Græca, Argolica. Argos, clariſſima Græciæ civitas, in Peloponneſo.
Alcmene. Herculis mater.
Quæſtus. Dolorem & querelas, de morte filii. Alcmena ſolatium hoc ſui doloris habet, quod hunc communicare cum Jole poſſit; cumque illa colloqui de rebus præclare geſtis ab Hercule.
Teſtatos. Spectatos, cognitos.
Cuive. Et cui ſuas calamitates renarret.
Jolen. Supra, n. 3. Conjux fuit primum Herculis: deinde Hylli, Herculis filii.
Imperiis. Juſſu.
Saltem. Duplex poteſt eſſe huius loci ſententia: Tu, o Jole, amiſiſti Herculem, multas ærumnas pertuliſti, faxint ſaltem Superi, ut fœlix tibi partus contin-

Corripiantque moras tunc, cum matura vocabis
Præpoſitam timidis parientibus Ilithyam,
Quam mihi difficilem Junonis gratia fecit.
Namque laboriferi cum jam natalis adeſſet
Herculis, & decimum premeretur ſidere ſignum,
Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Feſſa malis, tendenſque ad cœlum brachia, magno
Lucinam ad nexos partus clamore vocabam.
Illa quidem venit, ſed præcorrupta, meumque
Quæ donare caput Junoni vellet iniquæ;
Utque meos audit gemitus, ſubſedit in illa
Ante fores ara, dextroque eſt poplite lævum,

gat, Vel: Mihi olim Herculem parturienti non faverunt Superi, tibi ſaltem propitii, & boni ſint.

Corripiant moras. Faciant ut brevi, & facili partu defungaris.

Tunc, cum, &c. Quando adventabit pariendi tempus. Tunc Lucina invocabatur a parientibus.

Ilithyiam. Lucinam. Vide Horatium, in carmine Sæculari. Εἰλυθυῖα ducitur ab ἐλεύθω, *venio*, quia venientibus in lucem pueris favebat; veniebat, opem latura parturientibus.

Difficilem. Infenſam, & adverſam.

Junonis gratia. Ironice: hoc eſt, odium & invidia.

Natalis. Dies.

Et decimum. Et flueret menſis decimus. Sol ſingulis menſibus unum Zodiaci ſignum percurrit. Lib. II. n. 3.

Sidere. Sole: ſic appellatur ἀντονομαστικῶς.

Nexos partus. Impeditos, qui ſolvi non poterant. Emendat Heinſius: *Lucinam, Nixoſque pari...*

Nixi Dii, ut docet Feſtus, præerant parientibus.

Præcorrupta. A Junone prius corrupta, & orata ut partum impediret. Hercules & Euryſtheus eodem tempore in lucem edendi erant. Jupiter edixit, ut qui prior naſceretur, alteri imperitaret: prior natus eſt Euryſtheus, Junone id agente. Hercules morem illi gerere coactus, immortalitatem famoſis laboribus ſibi peperit.

Caput. Vitam. Quæ me, in gratiam Junonis, perdere ſtatuerat, & in partu enecare.

In illa ara. Alcmene, dum hæc loqueretur, monſtrabat aram.

Dextroque &c. Impoſuit dextrum genu ſupra ſiniſtrum. Plinius: *Aſſidere gravidis, vel cum remedium alicui ægrotanti adhibetur, digitis pectinatim inter ſe ſe amplexis, veneficium eſt. Item, poplites genibus alternis imponere. Ideoque hæc in conſiliis fieri vetuere majores, aut ſacris*

ſimili,

Preſſa genu; digitiſque inter ſe pectine junctis,
Suſtinuit partus: tacita quoque carmina voce
Dixit, & inceptos tenuerunt carmina partus.
Una miniſtrarum, media de plebe, Galanthis,
Flava comas, aderat; faciendis ſtrenua juſſis,
Officiis dilecta ſuis: ea ſenſit, iniqua
Neſcio quid Junone, geri; dumque exit, & intrat
Sæpe fores, divam reſidentem vidit in ara,
Brachiaque in genibus digitis connexa tenentem.
Et, Quæcumque es, ait, dominæ gratare, levata eſt
Argolis, Alcmene, potiturque puerpera voto.
Exſiliit, junctaſque manus paveſacta remiſit
Diva potens uteri, vinclis levor ipſa remiſſis.
Numine decepto riſiſſe Galanthida fama eſt.
Ridentem, prenſamque ipſis Dea ſæva capillis
Traxit, & e terra corpus relevare volentem
Arcuit, inque pedes mutavit brachia primos.
Strenuitas antiqua manet, nec terga colorem
Amiſere ſuum; forma eſt diverſa priori.

ſimili modò intereſſe. Lib. XXVIII. cap. 6.

Pectine. Pectinatim, cancellatim.

Suſtinuit. Morata eſt.

Miniſtrarum. Famularum.

Media de plebe. Ignobilis, obſcura: vel, e mediaſtinis una, ideſt, ex infimo ſervorum ordine.

Faciendis. Mulier impigra.

Officiis dilecta. Mihi cara ob officioſam ſedulitatem: ob diligentiam in officio faciendo.

Iniqua. Adverſa: irata. Suſpicata eſt per Junonem ſtare quominus Alcmena partu levaretur: Junonem aliquid mali ſtruere.

Connexa brachia. Brachia genibus appoſita, digitis inter ſe implicatis, tenentem.

Dominæ. Alcmenæ.

Levata eſt. Partu.

Potitur voto. Prolem edidit.

Remiſit. Solvit manus: alteram ab altera disjunxit, divellitque.

Diva potens uteri. Lucina: quæ parientibus præeſſe dicebatur.

Vinclis &c. Tunc ſolutis, quæ partum impediebant, vinculis, obice ſublato, fetum enitor.

Dea ſæva. Lucina.

Arcuit. Prohibuit.

Inque pedes, &c. Et brachia mutavit in primos beſtiolæ pedes, adeo ut jam quaternis pedibus incederet.

Strenuitas. Agilitas, ſolertia. Muſtela eſt animalculum ſolers colore fuſco: inſidiatur gallinis, &c.

X.

Dryope mutata in arborem.

Dixit, & admonitu veteris commota miniſtræ
Ingemuit: quam ſic nurus eſt affata dolentem:
Te tamen, o genitrix, aliena a ſanguine veſtro
Rapta movet facies! quid? ſi tibi mira ſororis
Fata meæ referam? quanquam, lacrymæque, dolorque
Impediunt, prohibentque loqui. Fuit unica matri
(Me pater ex alia genuit) notiſſima forma.
Eſt lacus acclivis, devexo margine formam
Littoris efficiens, ſummum myrteta coronant.
Venerat huc Dryope fatorum neſcia, quoque
Indignere magis, nymphis latura coronas:
Inque ſinu puerum, qui nondum impleverat annum,
Dulce ferebat onus, tepidique ope lactis alebat;
Haud procul a ſtagno, Tyrios imitata colores,
In ſpem baccarum florebat aquatica lotos.
Carpſerat hinc Dryope, quos oblectamina nato,
Porrigeret flores, & idem factura videbar,
(Namque aderam) vidi guttas e flore cruentas
Decidere, & tremulo ramos horrore moveri.

Admonitu. Recordatione. *Miniſtræ*. Galanthidis. *Nurus*. Jole. Hylli, Herculis filii uxor.
O genitrix. O Alcmena. Matrem vocat, honoris cauſa, quæ ſocrus eſt.
Aliena, &c. Si te commovet erepta famula, quæ te nulla cognatione attingebat, humana facies; quanto magis movere me debet eadem ſorori meæ adempta?
Fuit unica, &c. Hæc mea ſoror, filia unica ſuæ matris erat: nam ego ex alia matre ſum nata.

Devexo. Prono, declivi. *Summum*. Summam partem marginis, ſeu ripæ.
Dryope. Soror Joles, Euryti filia.
Fatorum neſcia. Necis, & metamorphoſis, quæ ſibi imminebat.
Quoque &c. Dolendum magis, quod eam calamitatem Dryope fit paſſa, cum pietatis officio fungebatur.
In ſpem Baccarum. Baccæ ſunt fructus minores pomis: Lotus, arbor aquis gaudens, & ripis fluminum; e ceraſorum genere. Hæc igitur lotus flores emiſerat, qui ſpem præ-

Scilicet, ut referunt tardi nunc denique agreſtes;
Lotos in hanc nymphe, fugiens per rura Priapum,
Contulerat verſos, ſervato nomine, vultus.
Neſcierat ſoror hoc: quæ cum perterrita retro
Iret, & oratis vellet diſcedere nymphis,
Hæſerunt radice pedes, convellere pugnat;
Nec quicquam, niſi ſumma, movet; ſuccreſcit ab imo,
Totaque paulatim cicumdat pectora cortex.
Ut vidit, conata manu laniare capillos,
Fronde manum implevit, frondes caput omne tegebant.
At puer Amphiſſus (namque hoc avus Eurytus illi
Addiderat nomen) materna rigeſcere ſenſit
Ubera, nec ſequitur ducentem lacteus humor.
Spectatrix aderam fati crudelis, opemque
Non poteram tibi ferre, ſoror; quantumq; valebant
Creſcentem truncum, ramoſque amplexa, morabar:
Et, fateor, volui ſub eodem cortice condi.
Ecce vir Andræmon genitorq; miſerrimus, adſunt,
Et quærunt Dryopen. Dryopen quærentibus illis
Oſtendi loton. Tepido dant oſcula ligno,

præbebant fructuum egregiam.

Tardi &c. Ut narrant ruſtici, qui ſerius id nobis narraverunt; hoc enim ſi ſoror mea ſciviſſet, non decerpſiſſet flores, neque hanc luiſſet pœnam.

Priapum. Deum, hortorum præſidem: Bacchi & Veneris filium.

Contulerat, &c. Mutaverat nympha, Lotos dicta, in hanc arborem ſuos vultus, nomen tamen idem retinebat, nempe loti. Nympha lotos in arborem loton a Priapo mutata fuerat.

Soror. Dryope.

Hoc. Iſtam nymphæ Loti mutationem in arborem. Non enim fuiſſet auſa flores decerpere.

Oratis. Ut ignoſcerent; quod flores imprudens, & inſcia decerpſiſſet.

Summa. Brachia, caput, &c. *Avus*. Pater Dryopes. pueri avus. Supra, n.5.

Ducentem. Trahentem ubera: lactentem: non exprimebat lac puer e ligneis uberibus.

Morabar. Impediebam ne truncus creſceret: efficere conabar, ut tardius mutaretur ſoror in arborem.

Vir. Maritus Dryopes.

Genitor. Eurytus.

Loton. In quam modo

Affuſique ſuæ radicibus arboris hærent.
Nil niſi jam faciem, quod non foret arbor, habebas
Cara ſoror. Lacrymæ miſero de corpore factis
Irrorant foliis; &, dum licet, oraque præſtant
Vocis iter, tales effundit in aera quæſtus:
Si qua fides miſeris, hoc me per numina juro
Non meruiſſe nefas, patior ſine crimine pœnam;
Viximus innocuæ: ſi mentior, arida perdam
Quas habeo frondes, & cæſa ſecuribus urar.
Hunc tamen infantem maternis demite ramis,
Et date nutrici, noſtraque ſub arbore ſæpe
Lac facitote bibat, noſtraque ſub arbore ludat:
Cumque loqui poterit, matrem facitote ſalutet,
Et triſtis dicat, Latet hoc in ſtipite mater.
Stagna tamen timeat, nec carpat ab arbore flores.
Care vale conjux; & tu, germana, paterque:
Et, ſi qua eſt pietas, ab acutæ vulnere falcis,
A pecoris morſu, frondes defendite noſtras.
Et quoniam mihi fas ad vos incumbere non eſt,
Erigite huc artus, & ad oſcula noſtra venite,
Dum tangi poſſum, parvumque attollite natum.
Plura loqui nequeo; nam jam per candida mollis
Colla liber ſerpit, ſummoque cacumine condor.
Ex oculis removete manus, ſine munere veſtro
Contegit inductus morientia lumina cortex.
Deſierat ſimul ore loqui, ſimul eſſe, diuque
Corpore mutato rami caluere recentes.

erat mutata.

Factis. Recens natis.

Irrorant. Stillant, depluunt, roris inſtar, in folia.

Præſtant. Præbent, aperiunt. Dum illi adhuc licet loqui.

Si qua &c. Si miſeris creditur. Illi parum vulgo creduntur eſſe veraces.

Nefas. Pœnam.

Innocuæ. Neminem hominem, aut Deum, offendi.

Incumbere. Inflectere me, ac demittere non poſſum, ut vos complectar.

Liber. Cortex.

Condor. Involvitur cortice meum caput.

Sine munere &c. Solent affines, parentes, amici, morientium oculos claudere: Non eſt opus, inquit, ut id faciatis, hoc præſtat cortex.

Eſſe. Humanam formam habere.

Jo-

X I.

Jolaus, e ſene decrepito, puer. Filii Alcmaonis e pueris, viri

Dumque refert Jole factum mirabile, dumque
Eurytidos lacrymas admoto pollice ſiccat
Alcmene: flet & ipſa tamen; compeſcuit omnem
Res nova triſtitiam: nam limine conſtitit alto
Pene puer, dubiaque tegens lanugine malas,
Ora reformatus primos Jolaus in annos.
Hoc illi dederat Junonia muneris Hebe,
Victa viri precibus: quæ cum jurare pararet
Dona tributuram, poſt hunc, ſe talia nulli,
Non eſt paſſa Themis; Nam jam diſcordia Thebæ
Bella movent, dixit, Capaneuſque niſi ab Jove vinci

Euritydos. Joles, Euryt filiæ, ſuæ nurus.

Compeſcuit. Suſtulit, ſedavit.

Limine conſtitit. Domum, ubi Alcmena cum Jole degebat, eſt ingreſſus Jolaus, e ſene ſic mutatus, ut propemodum puer videretur, & genas tegeret lanugo. Eſt primula, quæ mentum inficit, barba, dubiam vocat, quia tam tenuis erat, vix ut appareret.

Ora reformatus &c. Vultum habens reſtitutum in priſtinam formam, & juventutem.

Jolaus. Iphicli filius, fratris Herculis.

Hebe. Junonis filia, Dea juventutis præſes, quæ Herculi, recepto in cœlum, nupſiſſe canitur.

Viri. Herculis, mariti ſui.

Quæ &c. Cum jurare vellet Hebe, nullum deinceps a ſe, tali munere, nimirum juventute, donatum iri: Themis vetuit ne juraret, affirmavitque in fatis eſſe, ut aliis quibuſdam juventus concederetur. Themis, utpote Dea iuſtitiæ præſes, præſidet pactis, juramentis, &c.

Diſcordia bella, &c. Orietur brevi Thebanum bellum, inquit Themis. Eteocles & Polynices, Oedipi filii, regnum Thebarum inter ſe ita partiti erant, ut alternis annis imperarent. Eteocles regnum, utpote natu major, capeſſivit anno primo. Eo exacto, cum fratri nollet cedere, pactiſque ſtare, Polynices ad regem Adraſtum ſe contulit & ad oppugnandas Thebas, cum eodem Adraſto, Tydeo, Amphiarao, Capaneo, Hippomedonte, & Parthenopæo eſt reverſus. Illi *Septem ad Thebas*, vulgo appellantur.

Niſi ab Jove vinci, &c. Vinci mortalium armis, ob

Haud poterit, ibuntque pares in vulnera fratres:
Subductaque ſuos manes tellure videbit
Vivus adhuc vates; ultuſque parente parentem
Natus, erit facto pius & ſceleratus eodem,
Attonituſque malis, exul mentiſque, domuſque,

fortitudinem, non poterit; ſed ſolo Jovis fulmine. Capaneus, ob impietatem fulmine percuſſus eſt a Jove, cum Thebas obſideret.

Pares. Eteocles & Polynices mutuis vulneribus pariter peribunt. Hæc fuſius explicata vide in Append. cap. 20. 21.

Subducta &c. Subtracta, & hiante ſub pedibus terra, vates abſorptus, antea inferos cernet vivus, quam illos adeat mortuus.

Suos manes. Locum ſibi apud Manes, in inferis, deſtinatum.

Vates. Amphiaraus, Oiclei filius, vates clariſſimus, cum prævideret ſe in Thebano bello periturum, nullis precibus adduci, ut illud capeſſeret, poterat. Polynices ejus uxorem Eriphilen aurei monilis munere induxit, ut virum de ſententia dimoveret. Dimovit. Profectus Thebas Amphiaraus, una cum curru & equis hiatu terræ hauſtus eſt. Prius tamen, proditum ſe ab uxore intelligens, Alcmæoni filio mandavit, ut Eriphylen, poſt obitum ſuum, interficeret. Alcmæon perempta matre, correptus inſania, & furiis agitatus, in Acarnaniam ad Phegeum, ſacerdotem, ſeu hariolum, ut expiaretur, confugit: ejuſque filiam Alpheſibæam duxit. Cum morbi remedium apud Phegeum non inveniret, ab oraculo monitus contulit ſe ad Acheloum: e cujus filia Callirhoe duos ſuſcepit liberos. Ab eo petierat Callirhoe aureum monile, olim Eriphilæ datum a Polynice. Hoc jam tribuerat Alcmæon Alpheſibœæ: ad eam rediit, ut monile ipſi eriperet. Sed Alpheſibœæ fratres, filii Phegei, ægre ferentes deſertam ab Alcmæone, & contemptam ſororem ſuam, ipſum e medio ſuſtulerunt. Callirhoe, ut maritum Alcmæonem ulciſceretur a Phegei filiis occiſum, rogavit Jovem, ut quos ex Alcmæone ſuſceperat liberos, adhuc impuberes, augeret annis, & juvenes efficeret: uti contigit. Hoc eventurum Themis prædicit.

Ultuſque. Et filius nece matris ulciſcetur patris mortem.

Natus. Alcmæon.

Parente. Matre cæſa.

Parentem. Patrem Amphiaraum.

Pius. Qui patrem vindicaverit.

Sceleratus. Qui matri necem attulerit.

Exul mentis. Inſania correptus.

Exul domus. Domo profugus in Acarnaniam, ad Phegeum.

Vultibus Eumenidum, matriſque agitabitur umbris,
Donec eum conjux fatale popoſcerit aurum,
Cognatumque latus Phegeius hauſerit enſis;
Tum demum magno petet hoc Acheloia ſupplex
Ab Jove Callirhoe, natis infantibus annos
Addat, neve necem ſinat eſſe ultoris inultam.
Jupiter his motus privignæ dona, nuruſque,
Præcipiet, facietque viros impubibus annis.

Eumenidum. Lib. VI. n. 10.
Conjux. Callirhoe. Donec uxorem ducat Callirhoen, promiſſo, quod illa petierat, inſtar dotis, monili exitiali.
Fatale aurum. Aureum monile, quod qui poſſidebat, infortuniis omnibus, fatorum lege, premebatur.
Cognatum &c. Poſtquam Alcmæon fuerit mactatus a Phegei filiis. Ipſorum ſoror Alpheſibœa nupſerat Alcmæoni, ante Callirhoen: itaque eorum cognatus, ſeu affinis, Alcmæon erat.
Acheloia. Acheloi filia. Callirhoe.
Ultoris. Alcmæonis, qui patrem ultus fuerat.
His. Callirhoes precibus.
Dona præcipiet privignæ. Imperabit Hebæ, ut donum juventutis concedat ante ſolitum tempus filiis Callirhoes. Dona Hebes ſunt anni juveniles, & robur. Præcipere, eſt ante tempus capere; vel, imperare.
Privignæ, nuruſque. Hebe filia Junonis, non item Jovis, fuit: hinc Jovis dicitur privigna: eadem erat Herculis, filii Jovis, uxor; ita Jovis nurus recte appellatur.
Viros. Ætate virili, ac robore præditos.
Impubibus annis. Quamvis ſint adhuc pueri, & impuberes. Tales appellantur qui nondum ætatis annum 14. attigerunt.

XII.

Byblis in fontem verſa.

Hæc ubi faticano venturi præſcia dixit
Ore Themis, vario Superi ſermone fremebant;
Et cur non aliis eadem dare dona liceret,
Murmur erat. Queritur veteres Pallantias annos
Conjugis eſſe ſui; queritur caneſcere mitem

Faticano. Canente fata.
Eadem dona. Juventutem.
Pallantias. Aurora, Pallantis ſoror, vel filia.
Conjugis ſui. Tithoni, qui ſenio confectus oravit ut in cicadam mutaretur, & exoravit.

Jaſiona Ceres; repetitum Mulciber ævum
Poſcit Erichthonio: Venerem quoque cura futuri
Tangit, & Anchiſæ renovare paciſcitur annos.
Cui ſtudeat, Deus omnis habet: creſcitque favore
Turbida ſeditio; donec ſua Jupiter ora
Solvit, &, O, noſtri ſi qua eſt reverentia, dixit,
Quo ruitis? tantumne aliquis ſibi poſſe videtur
Fata quoque ut ſuperet? fatis Jolaus in annos,
Quos egit, rediit: fatis juveneſcere debent
Callirhoe geniti, non ambitione, nec armis
Vos etiam (quoque hoc animo meliore feratis)
Me quoque fata regunt, quæ ſi mutare valerem,
Nec noſtrum ſeri curvarent Æacon anni,
Perpetuumque ævi florem Rhadamanthus haberet,
Cum Minoe meo: qui propter amara ſenectæ
Pondera deſpicitur, nec, quo prius, ordine regnat.
Dicta Jovis movere Deos, nec ſuſtinet ullus,
Cum videat feſſos Rhadamanthon, & Æacon, annis,
Et Minoa, queri; qui, dum fuit integer ævi,

Jaſiona. Cereris maritum. De quo meminit Heſiodus in Theogonia, Homerus Odyſ. V. *Erichthonio*. Suo filio.

Mulciber. Vulcanus.

Ævum repetitum. Renovatum. Juventutem.

Paciſcitur. Deſtinat certis conditionibus.

Cui ſtudeat &c. Nullus eſt Superum, qui non alicui faveat homini, eumque juveneſcere non optet: dumque in eorum quibus favent ſinguli, gratiam, altercantur, pene ſeditionem movent.

O noſtri &c. O Superi, per eam, quam debetis mihi reverentiam, & obſequium, oro vos, attendite quid agatis.

Fatis. Fatorum immutabili decreto.

Callirhoe. Supra num. 11.

Non ambitione. Non id fit cujuſquam precibus, aut per vim, & armis: non favori datur hoc, non bellicæ virtuti: ſed quia ſic fatis conſtitutum eſt.

Vos etiam. Accerſendum e ſequenti verſu. Fata regunt.

Quoque hoc. Utque animo æquiori hoc toleretis.

Noſtrum Æacon. Æacum, filium meum.

Rhadamanthon. Rhadamanthus, rex Lyciæ, rigidus juſtitiæ cultor extitit: & a Jove juri dicundo præpoſitus eſt in inferis.

Nec quo &c. Non regnat eadem qua prius auctoritate, ob ſenium.

Minoa. Lib. VII. nu. 12.

Queri. Nemo ſuperum audet queri, quod non reſtitua-

Terruerat magnas ipſo quoque nomine gentes:
Tunc erat invalidus, Dejonidemque juventæ
Robore Miletum, Phœboque parente ſuperbum,
Pertimuit, credenſque ſuis inſurgere regnis,
Haud tamen eſt patriis arcere penatibus auſus.
Sponte fugis, Milete, tua, celerique carina
Ægeas metiris aquas, & in Aſide terra
Mœnia conſtituis, poſitoris habentia nomen.
Hic tibi, dum ſequitur patriæ curvamina ripæ,
Filia Mæandri, toties redeuntis eodem,
Byblida cum Cauno prolem eſt enixa gemellam.
Byblis Apollinei correpta cupidine fratris
Non ſoror ut fratrem, nec qua debebat, amavit.
Utque tuo motæ, proles Semeleia, thyrſo
Iſmariæ celebrant repetita triennia Bacchæ;

tuatur juventus amicis & clientibus ſuis, cum videat ſenectutis onere moleſto premi Jovis ipſius filios, Æacum, Minoem, &c.

Qui dum, &c. Qui Minos.

Dejonidem. Dejones, & Phœbi, filium.

Miletum. Fratrem Paſiphaes; hæc Minois uxor. Miletus Minoem ſenio confectum cernens, eum ſolio deturbare tentavit. Nihilominus, injecto metu, vel ſceleris conſcientia, fugit in Aſiam, ubi Miletum urbem (*Melaſſo*) condidit, & e Mæandri filia ſuſcepit Byblidem & Caunum. Byblis fratrem amore pravo dum deperit, in fontem eſt converſa.

Credenſque &c. Quamvis Minos non temere crederet Miletum inhiare ſuis regnis, & ea velle invadere, non tamen auſus eſt cum armis & palam expellere, ſuam obſoleviſſe auctoritatem cernens, & natura timidior, ut fere ſenes.

Sponte fugis. Miletus patere ſua conſilia ſentiens, & exitum ancipitem belli reformidans, maluit, re adhuc integra, fugere.

Metiris. Tranſmittis Ægeum mare Græciam ab Aſia minori ſeparat.

Mœnia. Urbem Miletum, a conditore ſic dictam.

Dum ſequitur. Dum ripis inambulat.

Toties. Mæander, fluvius Aſiæ, variis flexibus eadem arva luſtrat, & recurrens in ſua fere veſtigia, redit eo, unde diſceſſerat.

Apollinei. Phœbi nepotis. Miletus, Cauni pater, Apollinis filius erat.

Qua debebat. Qua caritate, qua moderatione.

Proles Semeleja. Bacche, Lib. III. num. 9.

Thyrſo. Lib. III. num. 9.

Iſmariæ. Thraciæ. Iſmarus mons in Thracia.

Triennia. Sacra tertio quoque anno celebrari ſolita.

Byblida non aliter latos ululaſſe per agros
Bubaſides videre nurus: quibus illa relictis,
Caras, & armiferos Lelegas, Lyciamque pererrat.
Jam Cragon, & Lymiren, Xanthique reliquerat undas,
Quoque Chimæra jugo mediis in partibus ignem,
Pectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat.
Muta jacet, virideſque ſuis terit unguibus herbas
Byblis, & humectat lacrymarum gramina rivo.
Najadas his venam, quæ numquam areſcere poſſet,
Suppoſuiſſe ferunt: quid enim dare majus habebant?
Protinus, ut ſecto piceæ de cortice guttæ,
Utve tenax gravida manat tellure bitumen;
Utque ſub adventum ſpirantis lene Favoni
Sole remolleſcit, quæ frigore conſtitit, unda:
Sic lacrymis conſumpta ſuis Phœbeia Byblis
Vertitur in fontem, qui nunc quoque vallibus illis
Nomen habet dominæ, nigraque ſub ilice manat.

Trieterica. Lib. VI. num. 13.

Bubaſides nurus. Cariæ matronæ. Caria, minoris Aſiæ regio; ejus incolæ Cares appellabantur: ejuſdem pars erat Bubaſus. Leleges partem Throadis obtinuere, ad ſinum Adramyttenum.

Lyciam. Partem Aſiæ minoris: inter Phrygiam, Pamphyliam, & Cariam: ejus mons Gragus; civitas Limyre: Xanthus vero fluvius duplex iſtius nominis fuit, alter in Lycia, alter in Troade.

Chimæra. Reliquerat jugum, ſeu montem, in quo Chimæra degebat: quæ habebat ignem, flammas evomebat, in medio, (legunt plerique, nec male, *hircum*, pro *ignem*) leonem gerebat in ore, & pectore; ſerpentem in cauda. Ideſt: quod monſtrum ſumma corporis parte leo, media, hircus, ima, ſerpens erat. Lib. VI. num. 8.

Najadas. Ajunt Najadas feciſſe, ut iſtæ lacrymæ perenni vena fluerent: ut ipſa in fontem liqueſceret.

Quid enim, &c. Quod illi majus conferre poterant beneficium, quam ei doloris ſenſum & vitam adimere?

Ut ſecto &c. Manavit aqua de Byblidis corpore, ut ex picea (arbor eſt) fluit guttatim reſina, ſecto cortice piceæ: ut bitumen (picis quoddam genus) ſcaturit ex humo: ut glacies liquatur Zephyro ſpirante.

Conſtitit. Adſtricta eſt: induruit.

Phœbeja. Phœbi neptis.

Dominæ nomen. Qui fons etiam nunc vocatur Byblis,

Iphis,

XIII.

Iphis, quam pater necari juſſerat, Iſidis beneficio ſervatur.

Fama novi centum Cretæas forſitan urbes
Impleſſet monſtri, ſi non miracula nuper
Iphide ſervata, Crete propiora tuliſſet.
Proxima Gnoſſiaco nam quondam Phœſtia regno
Progenuit tellus ignotum nomine Lyctum,
Ingenua de plebe virum; nec cenſus in illo
Nobilitate ſua major: ſed vita fideſque
Inculpata fuit, gravidæ qui conjugis aures
Vocibus his monuit, cum jam prope partus adeſſet:
Edita forte tuo fuerit ſi fœmina partu,
Invitus mando (pietas ignoſce) necetur.
Dixerat & lacrymis vultum lavere profuſis
Tam qui mandabat, quam cui mandata dabantur.
Sed tamen uſque ſuum vanis Telethuſa maritum
Sollicitat precibus, ne ſpem ſibi ponat in arcto.
Certa ſua eſt Lycto ſententia. Jamque ferendo
Vix erat illa gravem maturo pondere ventrem:
Cum medio noctis ſpatio ſub imagine ſomni

Centum. Totidem in Creta urbes fuiſſe traduntur.

Si non &c. Byblidis in fontem mutatio mira Cretenſibus accidiſſet, niſi rem quoque miram, ſed domeſticam, ac propiorem, quam mirarentur, habuiſſent.

Phœſtia tellus. Phæſtus, Cretæ civitas, vicina Gnoſſo, ejuſdem Cretæ oppido, civem habuit Lyctum, hominem e media plebe: honeſtæ tamen fortis.

Ingenua. Vocantur ingenui qui e liberis nati ſunt parentibus, qui liberaliter & honeſte ſunt educati.

Cenſus. Opes.

Invitus. Scilicet repugnante paterno in liberos amore.

Mando. Jubeo.

Uſque. Semper.

Ne ſpem &c. Ne timidior ſit, ne parcius, anguſtiuſque, ſperet: ut prolem quæcumque fuerit, educare ſe poſſe confidat.

Certa &c. Perſtat Lyctus in ſententia mactandæ prolis.

Jamque. Jam inſtabat pariendi tempus. Vix par erat fetui maturo diutius geſtando.

Ina-

Inachis ante torum, pompa comitata ſacrorum,
Aut ſtetit, aut viſa eſt, inerant lunaria fronti
Cornua, cum ſpicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus; cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubaſtis, variiſque coloribus Apis,
Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet;
Siſtraque erant, numquamque ſatis quæſitus Oſiris,

Inachis. Iſis, Ægyptiorum Dea, olim Io, filia Inachi, Vide Lib. I. n. 19.

Pompa ſacrorum. Inſignibus ſacris ornata: ſtipata comitatu Deorum Ægyptiorum, Heinſio placet *Suorum*.

Viſa eſt. Stetiſſe.

Cornua. Iſis pingebatur cum cornibus, quia putabatur eadem eſſe ac luna, ſeu Diana; imo eadem, ac Ceres: itaque ſpicis ornabatur.

Regale decus. Diadema.

Anubis. Deus Ægyptiorum, ſub canis figura cultus: ſolebant enim animalia, unde utilitas aliqua peteretur, colere.

Bubaſtis. Dea quædam Ægypti, comes Iſidis, culta præcipue in urbe Ægypti Bubaſto, a qua nomen Bubaſtidis habuit.

Apis. Ægyptiorum numen præcipuum fuit: bos nempe bicolor, inſignis nota alba, in dextro latere, ad ſimilitudinem lunæ creſcentis, aut in fronte: nigrum reliquo corpore fuiſſe ſcribit Herodotus. Statutum illi certum vivendi tempus; quo elapſo, necabatur, aliuſq; vitulus, eadem inſignitus nota, ingenti omnium luctu quærebatur: inventus ducebatur Memphim a ſacerdotibus centum, triumphantis ritu. Litteris proditum eſt, Oſirim, ſive Apim, ut ſcribit Auguſtinus Lib. 18. de Civitate Dei, Argis in Græcia imperitaſſe; & regno in Ægialeum fratrem tranſmiſſo, Ægyptum petiiſſe; ac multis beneficiis Ægyptios ornaviſſe. Ab iis poſt mortem cultum ſub imagine bovis, quia vocabulum Apis Ægyptiorum lingua bovem ſignificat: deinde quia bos conſpectus fuerat, cum Oſiridis a ſicario cæſi, ac diu quæſiti cadaver in ſepulcrum inferretur: poſtremo, quoniam id animal hominum generi eſt utiliſſimum. Quia vero in veſtigando Oſiridis cadavere adhibitus fœliciter canis fuerat, eam ob rem canis inter Deos relatus pariter fuit, & Anubis dictus.

Quique premit, &c. Harpocrates, Deus item Ægyptiorum, ſilentii præſes, pingebatur cum digito indice ori admoto. Cautum quippe apud illos lege lata erat, ne quis Oſirim fuiſſe mortalem diceret; hinc illa ſilentii religio.

Siſtra. Ænea crepitacula, uſitata in ſacris Iſidis.

Erant. Hæc omnia erant cum Iſide; illam comitabantur.

Oſiris. Maritus Iſidis, quem a Triphone quodam occiſum luxit

Plenaque ſomniferis ſerpens peregrina venenis.
Tum velut excuſſam ſomno, & manifeſta videntem
Sic affata Dea eſt: Pars, o Telethuſa, mearum,
Pone graves curas, mandataque falle mariti:
Nec dubita, cum te partu Lucina levarit,
Tollere quicquid erit: Dea ſum auxiliaris, opemque
Exorata fero, nec te coluiſſe quereris
Ingratum numen. Monuit, thalamoque receſſit;
Læta toro ſurgit, puraſque ad ſidera ſupplex
Creſſa manus tollens, rata ſint ſua viſa precatur.
Ut dolor increvit, ſeque ipſum pondus in auras
Expulit, & nata eſt ignaro fœmina patre:
Juſſit ali mater, puerum mentita, fidemque
Res habuit, neque erat facti niſi conſcia nutrix.
Vota pater ſolvit, nomenque imponit avitum,
Iphis avus fuerat; gaviſa eſt nomine mater,
Quod commune foret, nec quemquam falleret illo.
Impercepta pia mendacia fraude latebant.

luxit diu, & laniati corporis reliquias tandem repertas magnifico tumulo incluſit. Ejus luctum imitantes Ægyptii, obibant Ægyptum ſingulis annis flentes, quaſi Oſirim quærerent. Quia vero τοφὸς ſepulcrum ſignificat, hinc factum ut Oſiris, ſeu Apis, Sorapis, ſive Serapis, quoque diceretur.

Serpens peregrina. Angues ignoti ſæpe naſcebantur e limo, poſt Nilum alveo receptum, relicto. Ii ne nocerent, honoribus divinis a ſtulta gente colebantur.

Excuſſam. Excitatam.

Mearum. Curarum: vel, comitum, ſive clientium.

Lucina. Supra, num. 9.

Tollere. Educare. Natos infantes deponebant humi: deinde tollebant, ſi alendos judicarent: ſi necandos, deſtituebant.

Puras manus. Recte P. Syrus: *Puras Deus, non plenas aſpicit manus.*

Creſſa. Cretenſis. Cres, vir: Creſſa, mulier Cretenſis.

Rata ſint. Vera, fœlicia: exitu comprobata.

Pondus Fetus maturus.

Vota. Pro nato, ut putabat, filio, pro matre incolumi.

Commune. Puero & puellæ: quo vocari puer, æque ac puella, poſſet.

Impercepta. Ignota, & occulta.

Mendacia. Materna fraus, quæ puerum a ſe mentiebatur editum.

Fraude. Nomine, veſte.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER DECIMUS.

SYNOPSIS.

ORpheus Inferos petit : recipit conjugem , & amittit . Amiſſam lugubri cantu deflet . Accurrunt ad canentem feræ , ſilvæque , Metamorphoſes , Atys in pinum , Cypariſſi in cupreſſum , Hyacinti in florem , Ceraſtarum in boves , Hippomenis in leonem , Athalantæ in leænam ; Adonidis in anemonen , & Menthes in mentam .

I.

Orpheus a Plutone reditum Eurydices exorat .

INde per immenſum croceo velatus amictu
Aera digreditur, Ciconumque Hymenæus ad oras,
Tendit , & Orphea nequicquam voce vocatur.
Adfuit ille quidem ; ſed nec ſolemnia verba ,
Nec lætos vultus, nec felix attulit omen.
Fax quoque quam tenuit, lacrymoſo ſtridula fumo
Uſque fuit, nulloſque invenit motibus ignes.
Exitus auſpicio gravior ; nam nupta per herbas

Inde . A Creta , ubi nuptiis Lycti & Telethuſæ (Lib.IX. n.13.) præfuerat.
Ciconam. Cicones, Thraciæ populus.
Hymenæus . Deus præſes nuptiarum .
Solemnia verba . Quibus precabantur , ut fælix , fauſtumque conjugium eſſet , non ita precatus eſt Hymenæus Orpheo Eurydicen ducenti .
Omen . Lib.V. n.14. Nihil egit, unde augurari liceret fælices fore nuptias .
Fax. Hymenæo datur, quia ſponſa noctu ducebatur domum ſponſi, prælatis facibus.
Uſque. Semper .
Nulloſque &c. Fax , licet mota & agitata , ignem non concepit .
Exitus &c. Iſta quidem omnia , quod triſtis eſſet Hymenæus; quod fax ejus fumoſa ,

Dum nova, Naiadum turba comitata, vagatur,
Occidit, in talum ſerpentis dente recepto.
Quam ſatis ad ſuperas poſtquam Rhodopeius auras
Deflevit vates: ne non tentaret & umbras,
Ad Styga, Tænaria eſt auſus deſcendere porta:
Perque leves populos, ſimulacraque functa ſepulchris,
Perſephonen adiit, inamœnaque regna tenentem
Umbrarum dominum; pulſiſque ad carmina nervis,
Sic ait: O poſiti ſub terra numina mundi,
In quem decidimus quicquid mortale creamur;
Si licet, & falſis poſitis ambagibus oris,
Vera loqui ſinitis; non huc, ut opaca viderem
Tartara, deſcendi; nec uti villoſa colubris
Terna Meduſei vincirem guttura monſtri:
Cauſa viæ eſt conjux, in quam calcata venenum
Vipera diffudit, creſcenteſque abſtulit annos
Poſſe pati volui, nec me tentaſſe negabo:

moſa, &c. præbebant triſte auſpicium, & conjecturam nuptiarum infælicium: at exitus earum, & finis, triſtior fuit.

Auſpicio. Auſpicium vulgo petebatur ex aſpectu avium volantium, quæ ſi eſſent fauſtæ, ſi certa in parte cœli volarent, fœlix erat auſpicium; ſin contra, infœlix, & ſiniſtrum. Lib. V. n. 5. VI. 10. Sæpe iſta nomina, auſpicium, omen, augurium, promiſcue uſurpantur, ad ſignificandam rei futuræ præſagitionem.

Nova nupta. Eurydice. Virgil. IV. Georg. ſub finem.

Ad ſuperas auras. In terris.

Vates Rhodopeius. Orpheus. Rhodope mons Thraciæ, quæ Orphei patria.

Tænaria. Prope Tænarum, Laconiæ in Græcia promontorium, viſebatur ingens ſpecus, oſtium inferorum, ut rebantur.

Leves populos. Mortuorum umbras, quas Virgilius vocat *Tenues ſine corpore vitas*. VI. Æneid.

Simulacra. Imagines hominum in inferis ponebant ethnici: ſive umbras. Vide Lacerdam in VI. Æn. verſu 293. Horat. Lib. I. Od. *Quis*.

Functa &c. Explicui vocem hanc Lib. IV. n. 4.

Perſephonem. Proſerpinam. Lib. V. 13.

Quicquid &c. Quicumque mortales naſcimur.

Poſitis... Si mihi per vos licet candide, ac ſine fuco, loqui.

Meduſæi monſtri. Cerberi, cujus mater fuit Echidna, Meduſæ filia, teſte Heſiodo.

Poſſe pati volui. Equidem volui dolorem de illius morte pati poſſe; hunc lenire

Vicit amor. Sed vos per ego hæc loca plena timoris,
Per chaos hoc ingens, vaſtique ſilentia regni,
Eurydices, oro, properata retexite fata.
Omnia debentur vobis: paulumque morati,
Serius, aut citius, ſedem properamus ad unam;
Tendimus huc omnes, hæc eſt domus ultima, voſque
Humani generis longiſſima regna tenetis.
Hæc quoque, cum juſtos matura peregerit annos,
Juris erit veſtri; pro munere poſcimus uſum.
Quod ſi fata negant veniam pro conjuge, certum eſt
Nolle redire mihi, leto gaudete duorum.

re ſum conatus: at in mea poteſtate non fuit: fruſtra fortis eſſe tentavi.

Chaos. Lib. I. nu. I. Sic inferos vocat: *Ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*. Uti ſanctius ſacer vates canit.

Retexite. Diſſolvite, diffingite. Refigite fatorum, quæ vitam illi præpropere ademerunt, edicta. Jubete ut Parcæ nova illi texant ſtamina.

Omnia. Genus omne hominum veſtri juris, ac ditionis, eſt.

Paulum morati. Poſt brevem vitæ mortalis morem.

Sedem ad unam. Orcum.

Longiſſima. Latiſſime patentia; ampliſſima.

Hæc. Eurydice.

Juſtos annos. Sat longos, quam diu vulgo vivitur.

Matura. Senior.

Uſum. Vitæ brevem uſuram, quam uxori meæ concedetis, magni beneficii loco ducam. Uſus vitæ, ſive uſusfructus datur cunctis, inquit Lucretius, mancipium, ſive dominium, nulli.

Veniam. Facultatem recipiendæ uxoris. Immunitatem a communi lege.

II.

Orpheus receptam uxorem iterum amittit, ac deflet.

Talia dicentem, nervoſque ad verba moventem
Exangues flebant animæ: nec Tantalus undam
Captavit refugam: ſtupuitque Ixionis orbis;

Nervos. Fides citharæ.

Tantalus, &c. Ea omnia vide explanata. Lib. IV.

Stupuit. Conſtitit immota rota.

Je-

Nec carpſere jecur volucres, urniſque vacarunt
Belides, inque tuo ſediſti, Siſyphe, ſaxo.
Tunc primum lacrymis victarum carmina fama eſt
Eumenidum maduiſſe genas. Nec regia conjux
Suſtinet oranti, nec qui regit ima, negare;
Eurydicenque vocant. Umbras erat illa recentes
Inter; & inceſſit paſſu, de vulnere, tardo.
Hanc ſimul, & legem, Rhodopeius accipit Orpheus,
Ne flectat retro ſua lumina, donec Avernas
Exierit valles, aut irrita dona futura.
Carpitur acclivis per muta ſilentia trames,
Arduus, obſcurus, caligine denſus opaca.
Ne procul abfuerant telluris margine ſummæ:
Hic, ne deficeret metuens, aviduſque videndi,
Flexit amans oculos, & protinus illa relapſa eſt,
Brachiaque intendens, prendique & pendere certans,
Nil niſi cedentes infelix arripit auras.
Jamq; iterum moriens, non eſt de conjuge quicquam
Queſta ſuo: quid enim niſi ſe quereretur amatam?
Supremumque vale, quod jam vix auribus ille

Jecur. Titii.

Urnis vacarunt. Vacuas urnis manus habuerunt. Eas depoſuerunt.

Belides. Lib. IV. nu. 5.

Sediſti. Non promoviſti tuum ſaxum in montis cacumen, ut ſoles: ſed in illo, ut Orpheum audires, ſediſti.

Eumenidum. Furiarum. Sic appellantur per antiphraſim, ideſt, per contrarium, ipſi vocabulo ſenſum: uti monuimus. Lib. IV. n. 5. Tunc primum delinitæ cantu, genas lacrymis imbuerunt.

Suſtinet negare. Ejus preces repudiare non poteſt: facere non poteſt, quin oranti annuat.

Qui regit ima. Pluto.

De vulnere. Anguis talum momorderat.

Hanc, &c. Uxorem accipit, ea lege, ut &c.

Avernas valles. Avernus, Campaniæ Italæ lacus erat, ſulphureos emittens vapores. Hinc Plutoni ſacer. Pro inferis accipitur.

Aut &c. Si ſecus faxit, ipſum conceſſo munere ſpoliandum.

Carpitur. Ambo, Orpheus & Eurydice, arduum carpunt iter, &c.

Hic &c. In hac ultima parte itineris tam ardui, metuens Orpheus, ne &c.

Deficeret. Ne abeſſet, ne non ſequeretur: ne defecta viribus, propter itineris difficultatem, conſiſteret.

Quod jam. Quod ſupremum vale Orpheus, propter diſtantiam, audire vix potuit.

Eo.

Acciperet, dixit: revolutaque rurſus eodem eſt.
Non aliter ſtupuit gemina nece conjugis Orpheus,
Quam tria qui timidus, medio portante catenas,
Colla canis vidit, quem non pavor ante reliquit,
Quam natura prior; ſaxo per corpus oborto.
Quique in ſe traxit crimen, voluitque videri
Olenus eſſe nocens: tuque o confiſa figura,
Infelix Lathæa, tua; junctiſſima quondam
Pectora, nunc lapides, quos humida ſuſtinet Ide.
Orantem, fruſtraque iterum tranſire volentem,
Portitor arcuerat: ſeptem tamen ille diebus
Squalidus, in ripa, Cereris ſine munere, ſedit:
Cura, dolorq; animi, lacrymæque alimenta fuere.
Eſſe Deos Erebi crudeles queſtus, in altam
Se recipit Rhodopen, pulſumque Aquilonibus Hæmum.
Tertius æquoreis incluſum Piſcibus annum

Eodem. In Orcum.

Quam tria, &c. Fabulas obiter duas, & metamorphoſes inſerit Ovidius. Cum Hercules Cerberum traxit ab inferis, vidit Avernalem illum canem neſcio quis, & metu obriguit in ſaxum. Olenus quidam uxorem ſuperbam duxerat. Hanc Deæ, quibus auſa erat ſe præferre, cum punire ſtatuiſſent, Olenus, vir ejus, crimen uxoris in ſe ſe, pœnamque transferre tentavit, ſeque in lapidem ſubito, cum ea, converſum ſenſit.

Qui timidus &c. Non aliter ſtupuit Orpheus, atque iſte timidus, qui vidit tria colla canis Tartarei ab Hercule ſic ligati, ut medium collum catenam ſolum ferret: alia autem duo colla Cerberi, & capita, ſine vinculis eſſent.

Natura prior. Non prius illum reliquit pavor, quam humana forma & natura: non antea timere, quam eſſe homo, deſiit: utrumque ſimul perdidit, & metum, & formam hominis, quam prius habebat.

Quique &c. Perinde ſtupuit Orpheus, atque Olenus, &c. *Figura*. Pulchritudine.

Lathæa. Conjux Oleni.

Junctiſſima, &c. Amore mutuo conjuncti (Olenus & Lathæa) nunc omni ſenſu deſtituti: nunc ſaxa.

Ide. Mons Phrygiæ, fontibus ſcatens.

Orantem. Orpheum.

Portitor. Charon.

Cereris &c. Impaſtus.

Rhodopen. Thraciæ mons eſt. Item Hæmus.

Pulſum. Verberatum.

Tertius, &c. Anni tres fluxerant.

Piſcibus. Ultimus anni aſtronomici menſis, & clauſula

Finierat Titan, omnemque refugerat Orpheus
Fœmineam Venerem, ſeu quod male ceſſerat illi:
Sive fidem dederat. Multæ doluere repulſa.

ſula, eſt Februarius, quo menſe Sol Piſces, poſtremum Zodiaci ſignum, ingreditur. Vide Libro II. num. 2.

Omnemque. Nuptias Orpheus oderat, utpote, quæ ſibi male ſucceſſerant, uxore amiſſa.

Fidem dederat. Conjugi. Ipſi promiſerat fore, ut aliam nullam duceret.

Multæ, &c. Complures fœminæ doluerunt ſe ab Orpheo, cui nubere cupiebant, ſpretas.

III.

Atys in pinum, Cypariſſus in cupreſſum, mutati.

Collis erat, collemque ſuper planiſſima campi
Area, quam viridem faciebant graminis herbæ.
Umbra loco deerat: qua poſtquam parte reſedit
Dis genitus vates, & fila ſonantia movit:
Umbra loco venit: Non Chaonis abſuit arbor,
Non nemus Heliadum, non frondibus eſculus altis,
Nec tiliæ molles, nec fagus, & innuba laurus:
Et coryli fragiles, & fraxinus utilis haſtis,
Enodiſque abies, curvataque glandibus ilex,
Et platanus genialis, acerque coloribus impar;
Amnicolæque ſimul ſalices, & aquatica lotos,
Perpetuoque virens buxus; tenueſque myricæ,

Dis genitus. Orpheus, Apollinis, & Calliopes filius.

Umbra venit. Accurrentibus ad Orpheum audiendum arboribus.

Chaonis arbor. Quercus: quæ optima, & plurima creſcebat in Chaonia, Epiri regione, a Chaone Trojano ſic appellata.

Nemus Heliadum. Populi, arbores, in quas Heliades mutatæ. Lib. II. num. 9.

Eſculus. Arbor glandifera.

Innuba. Laurus, in quam eſt mutata Daphne nympha, nuptias Apollinis fugiens. Lib. I. 15.

Enodis. Nodis carens.

Genialis. Genio & hortorum deliciis, non utilitati ſerviens. Sub ejus umbra ſæpe comporabant.

Acer. Cujus lignum venis verſicoloribus pictum eſt.

Aquatica. Locis humidis gaudens. Lib. X. n. 10.

Myrica. Arbuſcula: vulgo, *du Tamarin*, *Tamarice*. Ejus ſyl-

Et bicolor myrtus, & baccis cęrula ficus.
Vos quoque flexipedes hederæ veniſtis, & una
Pampineæ vites, & amictæ vitibus ulmi,
Ornique, & piceæ, pomoque onerata rubenti
Arbutus; & lentæ, victoris præmia, palmæ;
Et ſuccincta comas, hirſutaque vertice pinus,
Grata Deum matri, ſiquidem Cybeleius Atys
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.
Adfuit huic turbæ metas imitata cupreſſus,
Nunc arbor, puer ante, Deo dilectus ab illo
Qui citharam nervis, & nervis temperat arcum.
Namque ſacer nymphis Carthæa tenentibus arva
Ingens cervus erat, lateque patentibus altas
Ipſe ſuo capiti præbebat cornibus umbras:
Cornua fulgebant auro, demiſſaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.

ſylveſtræ quoddam eſt genus, quod paſcuis, & arvis incultis, innaſcitur: Gallice *de la bruyere*.

Bicolor myrtus. Alia alba, alia nigricans: vel, cujus frondes adverſa parte virides: averſa, pallidæ.

Baccis. Lib. VI. num. 3. Ficus, cum matureſcunt, colorem induunt cæruleum.

Flexipedes. Quæ nimirum intortis ramulis, & flexuoſis, quaſi pedibus, ſerpunt ad arborum aliarum cacumen.

Amicta. Veſtitæ: applicantur ulmis vites, ut ab iis ſuſtententur.

Arbutus. Lib. I. num. 5.

Lentæ Palmæ. Palma non facile frangitur, nec oneri impoſito cedit. Eam ob rem victoribus datur palmæ ramus, quippe qui hoſtibus non ceſſerint. Lentus hic opponitur fragili, & cedenti: alias ſtrenuo, & agili. Vide Plin. Lib. XVI. cap. 42. & ejus eximium interpretem P. Joan. Harduinum.

Succincta comas. Ramos gerens quaſi collectos in cacumine. Pinus frondes in ſolo vertice effert, procero trunco, & nudo.

Deum matri. Cybele.

Cybeleius. Hunc Cybele ſuo templo edituum perfecerat, ſed oblitum officii, & pietatis in pinum mutavit.

Exuit hac hominem. Hominis formam hac mutavit.

Metas. Cupreſſus, inſtar metæ rotundæ, in acumen creſcit.

Deo ab illo qui . . . Ab Apolline, qui cithara, & arcu ſcite utitur.

Carthæa. Erat urbs inſulæ Ceæ, in mari Ægæo; patria Cypariſſi.

Armos. Humeros.

Bull.

Bullâ ſuper frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur, parileſque ætate nitebant
Auribus e geminis, circum cava tempora, baccæ.
Iſque metu vacuus, naturalique pavore
Depoſito, celebrare domos, mulcendaque colla
Quamlibet ignotis manibus præbere ſolebat.
Sed tamen ante alios, Ceæ pulcherrime gentis,
Gratus erat, Cypariſſe tibi; tu pabula cervum
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undas:
Tu modo texebas varios per cornua flores,
Nunc eques in tergo reſidens, huc latus, & illuc,
Mollia purpureis frænabas ora capiſtris.
Æſtus erat, mediuſque dies, ſoliſque vapore
Concava littorei fervebant brachia Cancri.
Feſſus in herboſâ poſuit ſua corpora terra
Cervus, & arborea frigus ducebat ab umbra.
Hunc puer imprudens jaculo Cypariſſus acuto
Fixit, & ut ſævo morientem vulnere vidit,
Velle mori ſtatuit. Quæ non ſolatia Phœbus
Dixit? & ut leviter, pro materiaque, doleret
Admonuit. Gemit ille tamen, munuſque ſupremum
Hoc petit a Superis, ut tempore lugeat omni.
Jamque, per immenſos egeſto ſanguine fletus,
In viridem verti cœperunt membra colorem:
Et modo qui nivea pendebant fronte capilli,

Bullâ. Lamina quædam aurea, argentea, &c. umbonis, globuli, annuli, aut corculi, figuram exprimens.

Parili ætate. Uniones pariter nati atque adeo æqualis molis. Variant hic codices vetuſti: aliis *parilique ex arte*; aliis *parilique ex ære* ſcribentibus. *Baccæ*. Gemmæ.

Celebrare. Frequentare.

Pabula nova. Alia atque alia. Vel: *nova*: ideſt, recentia, nondum depaſta: roſcida, & matutina.

Latus. Delatus, vectus.

Capiſtris. Capiſtra equorum collo inſeruntur: ſunt capitis vincula, & lora, quibus trahuntur jumenta, aut alligantur. Cervum cicurem deſcribit ſimiliter Virgilius Lib. VII. verſu 483.

Concava. Cancer ſignum celeſte, quartum in Zodiaco. Lib. II. 21 Lib. IV. 9. in eo ſigno Sol verſatur menſe Julio, cum æſtus ingraveſcit.

Littorei. In ripis fluminum latitant cancri.

Pro materia. Ut dignum erat, ut iſta jactura poſcebat, quæ levis.

Egeſto. Emiſſo, exauſto.

Fixo-

Horrida cæſaries fieri, ſumptoque rigore
Sidereum gracili ſpectare cacumine cœlum.
Ingemuit, triſtiſque Deus, lugebere nobis,
Lugebiſque alios, aderiſque dolentibus, inquit.

Fieri. Subaudi, cœperunt. *Lugebis alios*. Cupreſſus Romanis erat arbor funeſta, & in funeribus adhiberi ſolita: numquam enim, ut ajunt, revireſcit, ſemel cæſa. Sic vita ſemel amiſſa, reparari nequit.

I V.

Hyacinthus in florem cognomine ab Apolline converſus.

Tale nemus vates attraxerat; inque ferarum
Concilio medius; turba volucrumque, ſedebat.
Ut ſatis impulſas tentavit pollice chordas,
Et ſenſit varios, quamvis diverſa ſonarent,
Concordare modos, hoc vocem carmine movit:
Ab Jove, muſa parens (cedunt Jovis omnia regno)
Carmina noſtra move: Jovis eſt mihi ſæpe poteſtas
Dicta prius: cecini plectro graviore Gigantes
Sparſaque Phlegræis victricia fulmina campis:
Nunc opus eſt leviore lyra. Quondam alite verti
Dignatus, ſed quæ portat ſua fulmina terræ,
Iliaden rapuit, qui nunc quoque pocula miſcet,

Medius &c. Sedebat medius in ferarum cœtu, & volucrum turba.

Tentavit. Leviter chordas percurrens, ſonum ſingularum exploravit, quis & quantus foret.

Diverſa. Diverſo modo: Neutrum pro adverbio poſitum.

Muſa parens. Calliope, Orphei mater. Eam invocat. Move, ait, inchoa, mea carmina a Jove. Ab illo fiat canendi exordium.

Plectro. Lib. II. num. 13. *Gigantes*. Lib. I. num. 6.

Plægræis campis. In Macedonia, ubi gigantes victi a Jove. Iidem campi ab aliis in Theſſalia; imo in Italia, prope Cumas, ponuntur.

Alite, &c. Jupiter in aquilam mutatus Ganymedem filium Trois, regis Trojæ, rapuit, ut nectar Superis in cœlo miniſtraret.

Sed quæ &c. Non alia, niſi quæ portat fulmen, nempe nobiliſſima aquila.

Iliadem. Ganymedem. Ili fratrem, Trojanum: Trojæ enim

Te quoque Amyclide, poſuiſſet in æthere Phœbus,
Triſtia ſi ſpatium ponendi fata dediſſent.
Qua licet, æternus tamen es: quotieſque repellit
Ver hyemem, Piſcique Aries ſuccedit aquoſo
Tu toties oreris, viridiſque in ceſpite flores.
Te meus ante omnes genitor dilexit, & orbe
In medio poſiti caruerunt præſide Delphi:
Dum Deus Eurotan; immunitamque frequentat
Spartem, nec citharæ, nec ſunt in honore ſagittæ
Immemor ipſe ſui non retia ferre recuſat.
Non tenuiſſe canes: non per juga montis iniqui
Ire comes. Medius Titan venientis, & actæ,

enim dicta fuit Ilium ab Ilo.

Amyclide. Hyacinthe. Amyclas Hyacinthi fuit pater; Amyclarum, urbis Græciæ, conditor.

Si ſpatium. Si vita longior ſuppeditaſſet, quæ occaſionem dediſſet Phœbo transferendi te in cœlum.

Qua licet... Quam potuit æternitatem, & immortalitatem tibi Phœbus dedit, nempe qualem habent flores, qui ſingulis annis veluti renaſcuntur, verno tempore, cum Sol, relictis Piſcibus, Arietem ingreditur.

Piſci. Piſces ſignum Zodiaci, hibernum: Aries, vernum. Lib. II. n. 1.

Meus genitor. Apollo canit hæc Orpheus.

Orbe &c. Delphi, medio in orbe poſiti, parumper caruerunt ſuo præſide, ni mirum Apolline; Delphos deſeruit, ut Spartam ſe conferret, venaturus, & luſurus cum Hyacintho.

Delphi. Urbs Phocidis, in Græcia, Apollinis templo, & oraculo, inclyta. Hanc in orbis umbilico collocabant, ob loci dignitatem. Lib. XV. num. 13. Append. cap. 5.

Eurotam. Fluvium Græciæ, in Peloponneſo. Lacedæmonem alluebat: nunc *Baſilipotamo* vocatur.

Sparten. Sparta, ſeu Lacedæmon, hodie *Miſitra*, civitas erat Peloponneſi primaria. Immunita dicitur, ſive non munita, neque enim cincta muris erat, & propugnaculis: dictitabant Lacedæmonii, hominum fortitudine, non lapidibus, urbes eſſe muniendas.

Nec citharæ... Et citharam ſuam, ſagittaſque; artem canendi, & jaculandi omittit, ac veluti deſpicit.

Sui. Suæ divinitatis, & gravitatis.

Retia. Dum Hyacinthus venabatur.

Iniqui. Aſperi, prærupti.

Medius. Sol pari intervallo diſtabat a nocte præterita, & inſtante; hoc eſt, meridies erat.

B Leo

Noctis erat, ſpatioque pari diſtabat utrimque:
Corpora veſte levant, & ſucco pinguis olivæ
Splendeſcunt, latique ineunt certamina diſci.
Quem prius aerias libratum Phœbus in auras
Miſit, & oppoſitas disjecit pondere nubes.
Recidit in ſolidam longo poſt tempore terram
Pondus, & exhibuit injunctam cum viribus artem.
Protinus imprudens, actuſque cupidine ludi,
Tollere Tænarides orbem properabat: at illum
Dura repercuſſum ſubjecit in aera tellus,
In vultus, Hyacinthe, tuos. Expalluit æque
Ac puer, ipſe Deus, collapſoſque excipit artus;
Et modo te refovet, modo triſtia vulnera ſiccat:
Nunc animam admotus fugientem ſuſtinet herbis.
Nil proſunt artes, erat immedicabile vulnus.
Ut ſiquis violas, riguoque papavera in horto,
Liliaque infringat, fulvis hærentia virgis,
Marcida demittant ſubito caput illa gravatum;
Nec ſe ſuſtineant, ſpectantque cacumine terram:
Sic vultus moriens jacet, & defecta vigore

Levant. Apollo, & Hyacinthus, deponunt veſtes, ut ſint ad ludum expeditiores.

Et ſucco, &c. Non modo luctaturi, ſed etiam luſuri, corpus oleo inungebant. Hinc vigor membris, & alacritas.

Diſci. Diſcus erat maſſa plumbea, ærea, vel ſaxea, rotunda & lata, ſive plana, in morem circuli: hanc ad certam metam projiciebant.

Recidit. Monuimus jam, in hoc, & ſimilibus verbis, primam ſyllabam, vulgo, & recte produci.

Exhibuit, *&c.* Oſtendit ejus, a quo projectum erat, vires & induſtriam: nempe Apollinis.

Protinus &c. Diſcum a Phœbo projectum attollere ab humo feſtinabat Hyacinthus; reſiliit in ejus frontem.

Tænarides. Hyacinthus, cujus patria Laconia: promontorium vero Laconiæ, eſt Tænarium (*Il Capo Matapan*) & urbs vicina, Tænarus; *Caibares*.

Orbem. Lapideum. Diſcum.

Subjecit. Subjicio ſignificat interdum, ut hic, attollo, emitto. Subjecit, rejecit, terra in aerem, & in vultum Hyacinthi, diſcum repercuſſum. Alii poetæ volunt, diſcum fuiſſe rejectum in frontem Hyacinthi, a Zephyro, dolente Apollinem ſibi ab Hyacintho præferri.

Virgis. Claudicibus; ramulis.

Defecta. Deſtituta.

Qeba-

Ipſa ſibi eſt oneri cervix, humeroque recumbit .
Laberis, Oebalide, prima fraudate juventa,
Phœbus ait, videoque tuum, mea crimina, vulnus:
Tu dolor es, facinuſque meum ; mea dextera leto
Inſcribenda tuo eſt; ego ſum tibi funeris auctor.
Quæ mea culpa tamen? niſi ſi luſiſſe, vocari
Culpa poteſt ? niſi culpa poteſt, & amaſſe, vocari.
Atque utinam pro te vitam, tecumque liceret
Reddere! quod quoniam fatali lege vetamur,
Semper eris mecum, memorique hærebis in ore :
Te lyra pulſa manu, te carmina noſtra ſonabunt,
Floſque novus ſcripto gemitus imitabere noſtros .
Tempus & illud erit, quo ſe fortiſſimus herus
Addat in hunc florem, ſolioque legatur eodem.
Talia dum vero memorantur Apollinis ore,
Ecce cruor, qui fuſus humi ſignaverat herbas,
Deſinit eſſe cruor, Tyrioque nitentior oſtro
Flos oritur, formamque capit, quam lilia; ſi non
Purpureus color huic, argenteus eſſet in illis.

Oebalide . Hyacinthe . Oebalia erat Laconiæ civitas, & ipſa Laconia, Servio teſte, Oebalia quoque vocabatur. Hyacinthus autem ex ea Peloponneſi parte oriundus fuit.

Mea dextera &c. Scribendum erit in tuo monumento, te mea manu periiſſe. Vel : Aſcribendum, & attribuendum, tuum letum meæ dexteræ.

Quod quoniam, &c. Et quoniam mori pro te non poſſum, quippe Deus, quem fata mori non ſinunt; moriendi ſolutus lege : &c.

Scripto . Litteris exaratis. Hæc ſyllaba *Ai*, in hyacinthi foliis dicitur legi ; aut olim legebatur . Eſt autem *Ai* apud Græcos, vox dolentis, & funeſta littera .

Fortiſſimus heros . Ajax Telamonius, furore ob Achillis arma ſibi negata, correptus, in hyacinthum florem eſt converſus, Lib. XIII. num. 11.

Addat . Mutet .

Folio &c. Duo prima elementa Ajacis, ſunt *Ai*, quæ ut dixi, olim in hyacinthi foliis legebantur : & forte a verſicoloribus foliorum venis adhuc efficiuntur . Plin. Lib. XXI . c. 11.

Vero . Res futuras vere canente.

Signaverat . Tinxerat.

Oſtro . Purpura violacei coloris.

Quam lilia . Eamdem, atque lilia. Hyacinthi floris forma eſt eadem fere ac li-

Non ſatis hoc Phœbo eſt (is enim fuit auctor honoris.
Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit, & ai, ai,
Flos habet inſcriptum, funeſtaque littera ducta eſt.
Nec genuiſſe pudet Sparten Hyacinthon, honorque
Durat in hoc ævi, celebrandaque more priorum
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.

lii, ſed purpurei: moles multo minor.

Sparten. Lacedæmona. Non fuit oriundus Hyacinthus Lacedæmoniæ, ſed Amyclis: quia tamen utraque civitas eſt in Laconia, parte Peloponneſi, cujus caput Lacedæmon, altera ponitur alterius loco. Scribit Pauſanias aviam Hyacinthi vocatam fuiſſe Spartam.

In hoc ævi. Uſque in hoc tempus.

Honor. Fama, celebritas.

Prælata. Præcedente.

Redeunt. Singulis annis recurrunt, ac celebrantur.

Hyacinthia. Feſta in Hyacinthi honorem inſtituta. Hujus fabulæ, aliarumque ſimilium, interpretatio longius accerſenda non eſt. Hyacinthus adoleſcens litterarum ſtudio deditus, dum ſtudendi laborem ludo levat, diſco temere conjecto vulneratus obiit. Hinc Apollo, litterarum præſes, ejus necis fuiſſe cauſa fertur.

V.

Coraſte in juvencos, Propetides in ſaxa.

At ſi forte roges fecunda Amathunta metallis,
An genuiſſe velit Propœtidas, abnuat æque,
Atque illos, gemino quondam quibus aſpera cornu

At ſi forte roges &c. Id vinculum eſt hujus fabulæ cum ſuperiori. Non puduit Sparten genuiſſe Hyacinthum, imo id honori ſibi ducit: ſi vero petas ab Amathunte, an glorietur & gaudeat genuiſſe Propætidas, negabit; idque ſibi pudori eſſe reſpondebit.

Amathunta. Amathus, ſive Amathuſia, oppidum Cypri, quæ abundas ære: nunc *Limiſſa*.

Propætidas. Libidinoſas mulieres, in ſaxa induruiſſe dictas, quia omnem pudoris ſenſum abjeciſſe videbantur.

Abnuat æque &c. Perinde negabit Cyprus lætari ſe ob editas Propætidas, atque ob Ceraſtas, quorum fronti addita fuere cornua, ideſt, qui mutati ſunt in boves. Ceraſtas æque, ac Propætidas, odio ſibi, ac probro, eſſe fatebitur.

Ce-

Fons erat, unde etiam nomen traxere Ceraſtæ.
Ante fores horum ſtabat Jovis hoſpitis ara
Lugubris ſceleris, quam ſi quis ſanguine tinctam
Advena vidiſſet, mactatos crederet illic
Lactentes vitulos, Amathuſiacaſve bidentes;
Hoſpes erat cæſus. Sacris offenſa nefandis
Ipſa ſuas urbes, Ophiuſiaque arva parabat
Deſerere alma Venus. Sed qui loca grata? quid urbes
Peccavere meæ? quod, dixit, crimen in illis?
Exilio pœnam potius gens impia pendat,
Vel nece; vel, ſi quid medium eſt, mortiſque fugæque,
Idque quid eſſe poteſt, niſi verſæ pœna figuræ?
Dum dubitat quo mutet eos, ad cornua vultum
Flexit, & admonita eſt hæc illis poſſe relinqui,
Grandiaque in torvos transformat membra juvencos,

Ceraſtæ. Cypri incolæ, vocati reperiuntur Ceraſtæ, ideſt, cornuti, quia Cyprus multa, cornuum inſtar, habet promontoria. Hinc fabulæ data occaſio, ut naſci cum gemino in fronte cornu dicerentur.

Jovis hoſpitis. Qui præſidebat hoſpitibus, cujus in tutela erant, quique idcirco Xenius dicebatur. Lib. V. num. I.

Lugubris ſceleris. Ara luctuoſi ſceleris, altare infandum ob ſcelera, quæ in eo admittebantur, mactatis hoſpitibus.

Quam ſi quis, &c. Hanc aram ſanguine natantem ſi quis peregrinus vidiſſet, ignarus barbaræ crudelitatis, putaſſet in ea cæſas oves, aut vitulos; ille ſanguis hominum erat.

Amathuſiacas. Cyprias.

Suas urbes. Cyprus Veneri ſacra, & cara fuit.

Ophiuſia. Rhodus, vicina Cypro, dicta fuit olim Ophiuſa: itemque alia inſula in eodem mari Carpathio, quæ Græca vox *anguineam*, ſive ſerpentibus abundantem, ſonat. Ceraſtæ etiam, quo nomine appellatos incolas Cypri diximus, ſunt ſerpentum genus, quod forte vates per voces *Ophiuſia arva* expreſſerit.

Medium &c. Si quod pœnæ genus eſt medium inter necem & exilium; nece levius, exilio gravius, nempe metamorphoſis.

Ad cornua &c. Reſpexit cornua, quæ illis jam erant in fronte: hæc reliquit; corpus reliquum, in bubulum vertit.

V I.

Venus cum Adonide feras ſectatur.

Capta viri forma, non jam Cythereia curat
Littora, non alto repetit Paphon æquore cinctam,
Piſcoſamque Cnidon, gravidamque Amathunta metallis.
Abſtinet & cœlo; cœlo præfertur Adonis.
Per juga, per ſilvas, dumoſaque ſaxa, vagatur
Nuda genu, veſtem ritu ſuccincta Dianæ;
Hortaturque canes: tutæque animalia prædæ,
Aut pronos lepores, aut celſum in cornua cervum,
Aut agitat damas, a fortibus abſtinet apris,
Raptoreſque lupos, armatoſque unguibus urſos,
Vitat, & armenti ſaturatos cæde leones.
Te quoque ut hos timeas (ſiquid prodeſſe monendo
Poſſet) Adoni, monet; Fortiſque fugacibus eſto,
Inquit, in audaces non eſt audacia tuta.
Parce meo juvenis temerarius eſſe periclo,
Neve feras, quibus arma dedit natura, laceſſe:
Stet mihi ne magno tua gloria: non movet ætas,
Nec facies, nec quæ Venerem movere, leones,
Setigeroſque ſues, oculoſque, animoſque ferarum.

Capta viri forma. Nexus hic eſt hujus fabulæ cum ſuperiori: Venus, quæ ob Ceraſtas, licet eorum crudelitati jure ſuccenſeret, noluerat Cyprum, & urbes ſibi caras, deſerere: jam illas, ut ſequatur Adonidem, relinquit.

Viri. Adonidis.

Cithereia. Cythera, inſula Veneri ſacra, in ora Peloponneſi, ad occaſum, in aditu Ægæi maris: nunc appellatur *Cerigo.* Cnidus, ſeu Gnidus, urbs Cariæ: *Gnido.*

Paphon. Paphus, & Amathus, oppida ſunt Cypri. Supra, num. 5.

Succincta. Alte præcincta.

Tutæ prædæ. Quæ tuto agitantur; ſine periculo venatorum & exitio capiuntur.

Pronos. Anteriora crura ſunt leporibus breviora, ut expediti ſint ad fugam:

Fortis fugacibus. Eſto fortis adverſus belluas fugaces.

Meo periculo. Quæ te amitterem.

Magno. Pretio, nece tua.

Nec quæ &c. Non leones movet ætas, forma, aut aliæ dotes egregiæ tuæ, quæ Venerem ipſam moverunt.

Ful-

Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri :
Impetus eſt fulvis, & vaſta leonibus ira,
Inviſumque mihi genus eſt. Quæ cauſa, roganti;
Dicam, ait, & veteris monſtrum mirabere culpæ.

Fulmen, &c. Aprorum dentes pares ſunt fulminibus. *Quæ cauſa* . . . Petenti donidi, quam ob cauſam odiſſet Venus leones, Dicam, inquit illa: & miraberis quam graviter olim in me peccaverint.

VII.

Atalanta cum viris de pedum velocitate certat.

Forſitan audieris aliquam certamine curſus
Veloces ſuperaſſe viros: non fabula rumor
Ille fuit: ſuperabat enim, nec dicere poſſis
Laude Atalanta pedum, an forma præſtantior eſſet.
Illa viros fugiens, per opacas innuba ſilvas
Vivit, & inſtantem turbam violenta procorum
Conditione fugat: Nec ſum potiunda, niſi, inquit,
Victa prius curſu; pedibus contendite mecum:
Præmia veloci conjux, thalamique dabuntur,
Mors pretium tardis: ea lex certaminis eſto.
Venit ad hanc legem temeraria turba procorum.
Sederat Hippomenes curſus ſpectator iniqui,
Et ne quis juvenum currat velocius optat:
Invidiaque timet. Sed cur certaminis hujus

Forſitan &c. Forte audiviſti, viros ab aliqua fœmina currendi velocitate fuiſſe ſuperatos; res vera eſt, non fabuloſa, non rumor falſus. Atalanta viros ſuperavit celeritate.
Inſtantem. Moleſtam, urgentem.
Violenta. Crudelis, dura.
Conditione. Propoſita lege iſta, & conditione.
Thalami. Meæ nuptiæ. Illi nubam, qui erit me velocior.
Venit. Acceſſit, ut ea conditione, ac lege cum Atalanta certaret.
Hippomenes. Megarei filius, e Neptuni ſtirpe.
Iniqui. Quia lex & conditio crudelis: nempe amittendæ vitæ, ſi quis tardius curreret.
Invidiaque timet. Metuit, ne alii Atalantam vincant: illis enim invidet, quia cupit eam ſolus vincere.

Intentata mihi fortuna relinquitur? inquit:
Audentes Deus ipſe juvat. Dum talia ſecum
Exigit Hyppomenes; paſſu volat alite virgo:
Et tegitur feſta victrix Atalanta corona.
Dant gemitum victi, penduntque ex fœdere pœnas.

Sed cur &c. Cur autem aleam hujus certaminis ipſe quoque non tento? cur ſedeo ſpectator otioſus?

Exigit. Animo verſat: cogitat.

Pœnas. Mortem.

Ex fœdere. Ex lege. Hac enim conditione certabant.

VIII.

Hyppomenes certamen cum Atalanta ſuſcipit.

Non tamen eventu juvenis deterritus horum,
Conſtitit in medio, vultuque in virgine fixo,
Quid facilem titulum ſuperando quæris inertes?
Mecum confer, ait: ſeu me fortuna potentem
Fecerit, a tanto non indignabere vinci.
Namque mihi genitor Megareus, Oncheſtius illi:
Eſt Neptunus avus, pronepos ego regis aquarum
Nec virtus citra genus eſt: ſeu vincar, habebis
Hyppomenes victo magnum, & memorabile nomen.
Talia dicentem molli Schœneia vultu
Aſpicit, & dubitat ſuperari; an vincere, malit.
Dum licet, hoſpes, abi, thalamoſque relinque
cruentos.
Conjugium crudele meum eſt: tibi nubere nulla

Eventu horum. Illorum, qui fuerant ab Atalanta victi, nece.

Titulum. Gloriam. Facile eſt ignavos, quales iſti ſunt, vincere: non tam facile vincar.

Confer. Pugnam. Dimica mecum.

Seu me &c. Si vincam, & me fortuna voti compotem fecerit.

Oncheſtius illi. Megareo pater fuit Oncheſtius; Oncheſtio Neptunus, qui proinde meus eſt proavus.

Citra. Infra. Fortitudo mea nobilitati par eſt.

Habebis &c. Erit tibi glorioſum vincere Hipponenem. Si vicero, non erit tibi turpe a me vinci: Si vincar, pulcrum tibi erit vincere me.

Schœneia. Atalanta, Schœnei filia.

Tibi &c. Reperies alias puellas, quæ tuas ultro nuptias ambiant.

Vide.

Nolet, & optari potes a ſapiente puella.
Cum tamen eſt mihi cura tui; tot jam ante peremptis?
Viderit; intereat, quoniam tot cæde procorum
Admonitus non eſt, agiturque in tædia vitæ.
Occidet hic igitur, voluit, quia vivere mecum?
Non erit invidiæ victoria noſtra ferendæ.
Sed non culpa mea eſt: utinam deſiſtere velles!
Aut quoniam es demens, utinam velocior eſſes.
Jam ſolitos poſcunt curſus populuſque, patreſque,
Cum me ſollicita proles Neptunia voce
Invocat Hippomenes; Cythereia comprecor auſis
Adſit, ait, noſtris; & quos dedit, adjuvet ignes.
Detulit aura preces ad me non invida blandas,
Motaque ſum, fateor: nec opis mora longa dabatur.
Eſt ager (indigenæ Tamaſenum nomine dicunt)
Telluris Cypriæ pars optima, quem mihi priſci
Sacravere ſenes, templiſque accedere dotem
Hanc juſſere meis: medio nitet arbor in arvo
Fulva comas, fulvo ramis crepitantibus auro.
Hinc tria forte mea veniens decerpta ferebam
Aurea poma manu; nullique videnda, niſi ipſi,
Hippomenen adii, docuique quis uſus in illis.

Viderit. Ipſe ſibi conſulat: ſui curam gerat. Hoc tacita, & ſecum, loquitur.
Agitur &c. Vult mori, tædet illum vitæ.
Non erit. Mea victoria me inviſam omnibus faciet. Non ero par invidiæ ferendæ.
Sed non &c. In culpa tamen non ero, ſi pereat.
Patreſque. Proceres.
Cum me. Narrat hæc Adonidi Venus.
Proles Neptunia. Hippomenes, Neptuni pronepos.
Comprecor. Verba ſunt Hippomenis. Venus, precor, adſit noſtris auſis, inquit.
Nec opis. Non mihi ſuppetebat multum temporis ad opem illi ferendam, inſtabat quippe certamen.
Indigenæ. Cyprii, incolæ Cypri. Indigena, is proprie dicitur, qui eum, ubi natus eſt, locum habitat: quaſi, inde genitus.
Tamaſenum. In Cypro Tamaſus, civitas fuit antiqua. Virgilius canit hæc mala ex hortis Heſperidum fuiſſe ſumpta, Ecloga VI.
Dotem. Agrum illum templo meo addixerunt, ut ex eo ſumerentur vectigalia, ad ſarta tecta templi, ad alendos ſacerdotes, &c. inſtar dotis, quæ mulieri, cum nubit, datur.
Ipſi. Hippomeni.
Quis uſus. Quo pacto utendum pomis illis eſſet.

I X.

Athalantam Hippomenes vincit.

Signa tubæ dederant, cum carcere pronus uterque
Emicat, & ſummam celeri pede libat arenam:
Poſſe putes illos ſicco freta radere paſſu,
Et ſegetis canæ ſtantes percurrere ariſtas.
Adjiciunt animos juveni clamorque, favorque,
Verbaq; dicentum: Nunc, nunc incumbere tempus;
Hippomene propera, nunc viribus utere totis.
Aridus a laſſo veniebat anhelitus ore;
Metaque erat longe. Tum denique de tribus unum
Fetibus arboreis proles Neptunia miſit.
Obſtupuit virgo, nitidique cupidine pomi
Declinat curſus, aurumque volubile tollit.
Præterit Hippomenes, reſonant ſpectacula plauſu.
Illa mora celeri, ceſſataque tempora, curſu
Corrigit, atq; iterum juvenem poſt terga relinquit.
Et rurſus pomi jactu remorata ſecundi,
Conſequitur, tranſitque virum. Pars ultima curſus
Reſtabat: Nunc, inquit, ades, Dea muneris auctor:
Inque latus campi, quo tardius illa rediret,
Jecit ab obliquo nitidum juveniliter aurum.

Carcere. Carceres uſitatius numero multitudinis, appellantur ea repagula, quæ circum, ſeu ſtadium, claudunt, quibus apertis initium currendi fit. Lib. II. n. 4.

Pronus. Ut currentes ſolent.

Libat. Perſtringit, delibat.

Ore. Ab ore Hippomenis, qui longe aberat a meta, quam Atalanta fere tangebat.

Fetibus arboreis. Aureis pomis.

Proles Neptunia. Hippomenes, Neptuni pronepos.

Volubile aurum. Malum aureum, quod humi volvebatur, ab Hippomene projectum.

Spectacula. Ea vox videtur hic ſignificare loca, unde ſpectatur: interdum pro ſpectatoribus accipitur.

Ceſſata tempora. Quibus ceſſaverat a curſu: & curſum inſtitutum abruperat, colligendi pomi ſtudio.

Corrigit. Reparat: compenſat.

Remorata. Paulum cunctata.

Dea. Venus.

Juveniliter. Ludentis in modum, & aliud agentis.

Coegi.

An peteret virgo viſa eſt dubitare, coegi.
Tollere, & adjeci ſublato pondera malo,
Impediique oneris pariter gravitate, moraque.
Neve meus ſermo curſu ſit tardior ipſo,
Præterita eſt virgo, duxit ſua prœmia victor.

Coegi. Ego Venus. Narrat hæc Adonidi.
Adjeci pondera. Effeci ut ſolito gravius eſſet pomum, quod Atlanta ſuſtulerat. Auxi ejus pondus.
Impedii. Illam retardavi.
Præterita. Curſu victa.
Sua præmia. Atalantam.

X.

Hippomenes mutatur in leonem. Atalanta in leænam.

Dignane cui grates ageret, cui thuris honorem
Ferret, Adoni, fui? nec grates immemor egit,
Nec mihi thura dedit. Subitam convertor in iram,
Contemnique dolens, ne ſim ſpernenda futuris,
Exemplo caveo, meque ipſam exhortor in ambos.
In promptu pœna eſt. Ergo, modo levia, fulvæ
Colla jubæ velant, digiti curvantur in ungues,
Ex humeris armi fiunt, in pectora totum
Pondus abit, ſummæ cauda verruntur arenæ.
Iram vultus habet, pro verbis murmura reddunt:
Pro thalamis, celebrant ſilvas: aliſque timendi
Dente premunt domito Cybeleia fræna leones.
Hos tu, care mihi, cumque his genus omne ferarum,
Quod non terga fugæ, ſed pugnæ pectora præbet,

Dignane &c. An non eram promerita, o Adoni, ut mihi grates ageret Hippomenes?
Futuris. Poſteris.
Caveo. Provideo: curo.
Me exhortor in ambos. Excito me ad pœnas de ambobus ſumendas; quæ cæteris exemplo ſint.
Modo... Prius: antea.
Levia colla. Sine pilis.
In pectora. Amplum leoni pectus eſt.
Pro thalamis. Cubilia, ferarum aliarum ritu, in ſilvis habent.
Dente domito. Inſertum ori frænum dentes equorum premit, ac linguam mordet, eoſque ſic obſequi cogit.
Cybeleia. Currus Cybeles a leonibus trahitur.
Hos. Leones.
Tu. Adoni.

Effuge, ne virtus tua ſit damnoſa duobus.
Illa quidem monuit, junctiſque per aera cycnis,
Carpit iter: ſed ſtat monitis contraria virtus.

Duobus. Mihi, & tibi.
Sed ſtat &c. Sed ardor venandi, & induſtria, non patitur Adonim obtemperare monitis Veneris.

I X.

Vertitur Adonis in florem. Menthe in mentam.

Forte ſuem latebris veſtigia certa ſecuti
Excivere canes, ſilviſque exire parantem
Fixerat obliquo juvenis Cynireius ictu.
Protinus excuſſit pando venabula roſtro,
Sanguine tincta ſuo; trepidumque, & tuta petentem.
Trux aper inſequitur, totoſque ſub inguine dentes
Abdidit, & fulva moribundum ſtravit arena.
Vecta levi curru medias Cytherea per auras.
Cypron olorinis nondum pervenerat alis:
Agnovit longe gemitum morientis, & albas
Flexit aves illuc: utque æthere vidit ab alto
Exanimem, inque ſuo jactantem ſanguine corpus,
Deſiliit, pariterque ſinum, pariterque capillos
Rupit, & indignis percuſſit pectora palmis.
Queſtaque cum fatis: At non tamen omnia veſtri
Juris erunt, dixit; luctus monimenta manebunt
Semper, Adoni, mei; repetitaque mortis imago

Excivere. Excitaverunt, expulerunt.
Juvenis Cinyreius. Adonis, Cinyræ filius.
Excuſſit. Repulit: disjecit, aper ſcilicet.
Venabula. Venatorum haſtilia.
Pando. Recurvo: falcatis dentibus.
Inguine. Inter ſummum femur, & ventrem.
Olorinis. Cycneis. Currum Veneris cycni trahunt.
Sinum. Veſtes, quæ velabant ſinum.
Rupit. Venus.
Indignis palmis. Contra, ac Deam decebat.
At non &c. Vobis tamen, o Fata, non licebit Adonin omnino perdere.
Repetitaque &c. Et feſti dies, anno vertente repetiti, tuæ mortis, o Adoni, ac mei luctus, memoriam reno-

Annua plangoris peraget ſimulamina noſtri:
At cruor in florem mutabitur. An tibi quondam
Fœmineos artus inolentes vertere mentas,
Perſephone, licuit? nobis Cinyreius heros
Invidiæ mutatus erit? Sic fata cruorem
Nectare odorato ſparſit, qui tactus ab illo
Intumuit, ſicut pluvio perlucida cœlo
Surgere bulla ſolet: nec plena longior ora
Facta mora eſt, cum flos de ſanguine concolor ortus,
Qualem, quæ lento celant ſub cortice granum
Punica ferre ſolent: brevis eſt tamen uſus in illo:
Namque male hærentem, & nimia levitate caducum
Excutiunt iidem, qui perdant omnia, venti.

novabunt. Hæc feſta vocabantur Adonia.

Perſephone. Proſerpina. Hæc Menthen, Plutonis pellicem, in hortenſem herbam gravis odoris, quam vocant mentam commutavit.

Invidiæ erit. An reprehendar, ſi novam Adonidi formam dedero?

Bulla. Aquæ ſpuma intumeſcens, & in rotundum orbem vacuumque aſſurgens.

Flos. Anemone.

Concolor. Rubri coloris.

Qualem &c. Similis eſt anemone flori malorum granatorum.

Uſus brevis. Flos ille minime diuturnus eſt.

Qui perfluant omnia. Qui omnia excutiunt. Veteres libri, *Qui præſtant nomina venti*. Iidem venti dejiciunt anemonem, qui nomen huic præbent. Anemona quippe nomen habet *ἀπὸ τῦ ἀνέμου*, ideſt, a vento. Plinius Libro XXI. cap. 23.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER UNDECIMUS.

SYNOPSIS.

Orpheus a Baccantibus diſcerptus : anguis converſus in ſaxum . Manades in arbores : Midas omnia in aurum vertit. Ejus aures aſininæ . Arena Pactoli aurea . Troja muri a Neptuno & Apolline ædificati . Laomedon perjurus . Heſione liberata . Lupus ſaxo mutatus ; Dædalion accipitre ; Ceyx & ejus conjux , Halcyonibus ; Æſacus mergo . Somni domus , & familia.

I.

Orpheum perimunt Mænades.

Carmine dum tali ſilvas , animoſque ferarum
Threicius vates , & ſaxa ſequentia , ducit :
Ecce nurus Ciconum , tectæ lymphata ferinis
Pectora velleribus , tumuli de vertice cernunt
Orphea , percuſſis ſociantem carmina nervis.
E quibus una , leves jactato crine per auras ,
En , ait , en hic eſt , noſtri contemptor ; & haſtam
Vatis Apollinei vocalia miſit in ora ;
Quæ foliis præſuta , notam ſine vulnere fecit.

Threicius vates. Orpheus e Thracia oriundus.

Nurus. Matronæ , Bacchantes.

Ciconum. Populus eſt Thraciæ.

Tectæ. Velatæ.

Lymphata. Furioſa. Fanatici ad lymphæ , ideſt , aquæ , aſpectum maxime efferantur.

Tumuli. Collis.

Noſtri contemptor. Cælebs enim eſſe , poſt raptam ſibi Eurydicen , ſtatuerat.

Vocalia. Canentia.

Quæ. Haſta.

Præſuta foliis. Cuſpidem habens o natam frondibus hederæ ſubtilibus.

Notam &c. Quia foliis erat implicata haſta , cica-tri-

Alteriùs telum lapis eſt, qui miſſus, in ipſo
Aere, concentu victus vociſque, lyræque, eſt,
Ac, veluti ſupplex pro tam furialibus auſis,
Ante pedes jacuit. Sed enim temeraria creſcunt
Bella; moduſque abiit, inſanaque regnat Erinnys:
Cunctaque tela forent cantu mollita; ſed ingens
Clamor, & inflato Berecynthia tibia cornu,
Tympanaque, & plauſus, & Bacchei ululatus,
Obſtrepuere ſono citharæ; tum denique ſaxa
Non exauditi rubuerunt ſanguine vatis.
Ac primum attonitas etiamnum voce canentis
Innumeras volucres, angueſque agmenque ferarum,
Mænades Orphei titulum rapuere theatri;
Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris,
Et coeunt; ut aves, ſi quando luce vagantem
Noctis avem cernunt; ſtructoque utrumq; theatro
Ut matutina cervus periturus arena,

tricem, & ſignum vulneris potiùs, quam vulnus, fecit. Lib. IV. num. 1. 3.

Victus. Suſpenſus aliquandiu lapis decidit: neque ictum pertulit.

Modus abiit. Sine modo, ac lege, ſæviunt.

Erinnys. Furia. Lib. I. n. 9.

Obſtrepuere ſono. Impedivere quominus ſaxa concentum audirent.

Berecynthia. Tibia primum eſt adhiberi cæpta in ſacris Cybeles, quæ Berecynthia vocabatur a Berecyntho, oppido, & monte Phrygiæ, ipſi dicato.

Mænades. Ita vocantur a μαίνομαι, quod furere ſignificat.

Orphei. In fugam conjecere volucres ac feras, quæ glorioſum Orpheo theatrum conficiebant. Orphei hoc in loco nomen adjectivum eſt; ab Orpheus, ſive Orphejus. De iſtis adjectivis vide dicta Lib. VII. num. 13. & 15.

Titulum. Decus, ornamentum.

Rapuere. Fugavere interfecerunt, disjecerunt.

Coeunt. Congregantur.

Noctis avem. Noctuam.

Structoque &c. Et Orpheum cingentes, petunt, ac feriunt, tamquam cervum, qui productus in arenam, & incluſus theatro hinc inde ædificato: fit præda canibus.

Matutina arena. Mane, in amphiteatrum Romæ producebantur feræ notæ, & cicures: fero, peregrinæ. Lege Martialem Lib. Spectac. Mane etiam dimicabant homines cum beſtiis: poſt meridiem, qui ex hac ferarum pugna ſupererant, depugnabant inter ſe ſe, & meridiani gladiatores vocabantur.

Præda canum eſt; vatemq; petunt, & fronde virentes
Conjiciunt thyrſos, non hæc in munera factos,
Hæ glebas, illæ direptos arbore ramos,
Pars torquent ſilices: neu deſint tela furori,
Forte boves preſſo ſubigebant vomere terram;
Nec procul hinc, multo fructum ſudore parantes,
Dura lacertoſi fodiebant arva coloni.
Agmine qui viſo fugiunt, operiſque relinquunt
Arma ſui, vacuoſque jacent diſperſa per agros
Sarculaque, raſtrique graves, longique ligones.
Quæ poſtquam rapuere feræ, cornuque minaci
Divulſere boves, ad vatis fata recurrunt:
Tendentemque manus; atque illo tempore primum
Irrita dicentem, nec quicquam voce moventem,
Sacrilegæ perimunt, perque os proh Jupiter! illud
Auditum ſaxis, intellectumque ferarum
Senſibus, in ventos anima exhalata receſſit.

Conjiciunt. Vibrant in Orpheum.
Thyrſos. Haſtas pampinis involutas.
In hæc munera. Ad hanc lanienam.
Fructum. Meſſem.
Lacertoſi. Robuſti.
Vacuos. Colonis deſtitutos.
Arma. Inſtrumenta: aratra, raſtros.
Feræ. Bacchantes efferatæ.
Cornu &c. Boves cornibus minitantes.
Divulſere. Ab aratro abjunxerunt: aut, mactatos diſcerpſere.
Fata. Necem Orpheo inferendam.
Illo tempore &c. Qui ſuis antea carminibus neminem non movebat; ſed tunc primum fruſtra loquentem, & ſurdis canentem.
Moventem. Proficientem, promoventem.

II.

Luctus de Orphei nece. Anguis, reciſum ejus caput admordere auſus, fit ſaxum.

Te mœſta volucres; Orphen, te turba ferarum,
Te rigidi ſilices, tua carmina ſæpe ſecutæ
Fleverunt ſilvæ; poſitis te frondibus, arbos
Tonſa comas, luxit, lacrymis quoque flumina dicunt

Poſitis frondibus. Folia quaſi arborum capilli ſunt: in luctu autem crines tondebantur.

Ob-

Increviſſe ſuis: obſcuraque carbaſa pullo
Najades, & Dryades, paſſoſque habuere capillos:
Membra jacent diverſa locis: caput, Hebre, lyramq;
Excipis, & (mirum) medio dum labitur amne,
Flebile neſcio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis; reſpondent flebile ripæ.
Jamque mare invectæ flumen populare relinquunt,
Et Methymnææ potiuntur littore Lesbi.
Hic ferus expoſitum peregrinis anguis arenis
Os petit, & ſparſos ſtillanti rore capillos
Lambit, & hymniferos inhiat divellere vultus.
Tandem Phœbus adeſt, morſuſque inferre parantem
Arcet, & in lapidem rictus ſerpentis apertos
Congelat, & patulos (ut erant) indurat hiatus.
Umbra ſubit terras; & quæ loca viderat ante,
Cuncta recognoſcit, quærenſque per arva piorum
Invenit Eurydicem, cupidiſque amplectitur ulnis.
Hic modo conjunctis ſpatiantur paſſibus ambo:
Nunc præcedentem ſequitur, nunc prævius anteit;
Eurydicemque ſuam jam tuto reſpicit Orpheus.

Obſcura. Atra, lugubria. *Carbaſa*. Veſtes, pepla. *Pullo*. Atro. Subaudi, colore.

Paſſos. Temere ſparſos, neglectos. Habuerunt veſtes nigro colore infectas; & ſolutos, ut in luctu, crines.

Hebre. Hebrus, fluvius eſt Thraciæ.

Reſpondent flebile. Reſonant, ac reddunt luctuoſam vocem: triſti murmure accinunt.

Invectæ. Lyra, & lingua, Orphei.

Flumen populare. Hebrum, qui ejuſdem atque Orpheus populi, & nationis erat, nempe Thrax.

Lesbi. Lesbos, ſive Mitylene, inſula maris Ægæi: urbem Methymnam habebat unam e præcipuis.

Expoſitum. Ejectum in ripam. *Rore*. Cruore.

Hymniferos. Hymnis concinendis aſſuetos.

Inhiat. Hianti ore tentat.

Divellere. Lacerare.

Umbra. Orphei.

Ante. Cum inferos vivus adiit. Lib. X.

Arva piorum. Campos Elyſios.

Spatiantur. Deambulant.

Sequitur. Cum primum inferos adiit, juſſus fuerat Eurydicem ſemper anteire: nunc, modo præit, modo ſequitur impune.

Jam tuto. Legem hanc Orpheo dixerat Pluto, ne uxorem reſpiceret, niſi ex inferis emerſam. Non paruit; reſpexit, amiſit. Nulla jam ejuſmodi lex illi eſt impoſita.

Bac-

III.

Bacchas, a quibus Orpheus perierat, in arbores Bacchus mutat.

Non impune tamen ſcelus hoc ſinit eſſe Lyæus,
Amiſſoque dolens ſacrorum vate ſuorum,
Protinus in ſilvis matres Edonidas omnes,
Quæ fecere nefas, torta radice ligavit.
Quippe pedum digitos, in quantum eſt quæq; ſecuta,
Traxit, & in ſolidam detruſit acumine terram.
Utque ſuum laqueis, quos callidus abdidit auceps,
Crus ubi commiſit volucris, ſenſitque teneri,
Plangitur, ac trepidans adſtringit vincula motu:
Sic quæcumque ſolo defixa cohæſerat harum,
Externata fugam fruſtra tentabat; at illam
Lenta tenet radix, exultantemque coercet:
Dumq; ubi ſint digiti, dum pes ubi quærit, & unguis;
Aſpicit in teretes lignum ſuccedere ſuras,
Et conata femur mœrenti plangere dextra,
Robora percuſſit; pectus quoque robora fiunt:
Robora ſunt humeri, porrectaque brachia veros
Eſſe putes ramos, & non fallare putando.

Scelus hoc. Orphei cædem non inultam patitur.

Lyæus. Bacchus. Lib. IV. num. I.

Vate ſuorum ſacrorum. Orpheo, qui ſua, Bacchi, ſacra cecinerat, ornaverat verſibus.

Edonidas. Thracias. Edoni, Thraciæ gens.

Quæ.. Quæ interfecerunt Orpheum.

Ligavit. Mutatas in arbores radicibus affixit humi.

In quantum... Tanto altius uniuſcujuſque pedes terræ defixit, quanto ardentius & furioſius Orpheum ſecuta fuerat: quanto celerior ad eum perdendum extiterat. Vel; *in quantum &c.* explica ſic: Ut quæque præcedit aliam, aut ſequitur: ita ut, quo quæque loco ſtat, in eo hæreat.

Et in ſolidam. Attenuavit digitos, & detraxit in humum; ut eſſent radicum fibræ.

Plangitur. Se ipſa percutit, agitat, alis everberat.

Externata. Exterrita, conſternata.

Exſultantem. Subſilientem fruſtra: trepidantem.

Suras. Crurum poſteriorem partem: anterior dicitur tibia. Videt lignum a pedibus produci, & ſerpere ad crura.

Hoc.

I V.

Midas in aurum omnia convertit.

Nec ſatis hoc Baccho eſt, ipſos quoque deſerit agros,
Cumque choro meliore ſui vineta Timoli,
Pactolonque petit: quamvis non aureus illo
Tempore, nec caris erat invidioſus arenis.
Hunc aſſueta cohors, Satyri, Bacchæq; frequentant:
At Silenus abeſt, titubantem, annisque, meroque
Ruricolæ cepere Phryges, victumque coronis
Ad regem duxere Midam, cui Thracius Orpheus
Orgia tradiderat, cum Cecropio Eumolpo.
Qui ſimul agnovit ſocium, comitemque ſacrorum,
Hoſpitis adventu feſtum genialiter egit
Per bis quinque dies, & junctas ordine noctes.
Et jam ſtellarum ſublime coegerat agmen

Hoc. Mutaſſe Bacchas in arbores.

Agros. Thraciam, ubi Orpheus laceratus.

Meliore. Minus furioſo: cum novo Mænadum agmine: aliæ enim in arbores erant mutatæ.

Timoli. Montis Phrygiæ magnæ: in Lydiæ finibus: Dicitur etiam, Tmolus: hodie, *Tomalitze*.

Sui. Timolus vitibus abundabat, & Baccho erat ſacer.

Pactolon. Fluvium ejuſdem Lydiæ.

Caris. Auriferis.

Invidioſus. Dignus cui invideretur; inclytus.

Hunc &c. In Timolo, & Pactoli ripis frequentes degunt Satyri &c. Vel: Bacchum comitantur aſſidui ejus comites. Satyri &c.

Satyri. *Silenus*. Lib. I. num. 8. Lib. IV. numer. 1.

Coronis. Potantes caput ornabant coronis floreis: iis non carebat iſte Silenus, potatorum pater: iſtis coronis, tamquam vinculis, ligatus eſt.

Orgia tradiderat. Modum Orgia (Lib. IV. n. 1.) celebrandi docuerat. Non ſolum Orpheus Midam illis myſteriis initiaverat, ſed illi præterea donaverat Eumolpum, Muſæi filium, ſuum diſcipulum, a quo plenius erudiretur.

Cecropio. Athenienſi.

Qui ſimul. Statim atque agnovit Midas Silenum, ſuum in colendo Baccho ſocium, & eorumdem ſacrorum participem.

Genialiter. Diem hunc conviviis & inſigni lætitia, tamquam feſtum, celebravit.

Et jam.. Jam undecima lux fulſerat.

Luci-

Lucifer undecimus; Lydos cum lætus in agros
Rex venit, & juveni Silenum reddit alumno.
Huic Deus optandi gratum, ſed inutile, fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
Ille male uſurus donis ait: Effice, quicquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.
Annuit optatis, nocituraque munera ſolvit
Liber, & indoluit quod non meliora petiſſet.
Lætus abit, gaudetque malo Berecynthius heros,
Pollicitique fidem tangendo ſingula tentat;
Vixque ſibi credens, non alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam, virga aurea facta eſt:
Tollit humo ſaxum, ſaxum quoque palluit auro:
Contigit & glebam, contactu gleba potenti
Maſſa fit: arentes Cereris decerpſit ariſtas;
Aurea meſſis erat: demptum tenet arbore pomum;
Heſperidas donaſſe putes: ſi poſtibus altis
Admovit digitos, poſtes radiare videntur.
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Unda fluens palmis Danaen eludere poſſet.

Lucifer. Lib. II. num. 3.
Lydos. Midas in Lydiam, ubi tunc verſabatur Bacchus, venit, ut illi Silenum redderet.
Juveni alumno. Baccho, cujus educator Silenus, & altor erat.
Arbitrium muneris. Poteſtatem eligendi arbitratu ſuo, & petendi munus quodcumque vellet.
Altore. Sileno.
Solvit. Perſolvit: dedit, ut promiſerat.
Abit. In ſuam Phrygiam, unde in Lydiam, ad Bacchum venerat.
Gaudet malo. Lætatur exitiali munere.
Berecynthius heros. Midas Phrygiæ rex, ubi mons Berecynthus.
Polliciti &c. Explorat promiſſi veritatem.
Non alta. Humili.
Glebam. Ceſpitem: terræ fruſtum.
Maſſa. Auri moles.
Heſperidas. Erant Heſperi filiæ: Heſperus Atlantis frater. In earum hortis poma aurea. Lib. IX. 6.
Poſtibus. Januæ.
Fluens palmis. E manibus defluens.
Danaen. Lib. IV. nu. 9.

V.

Midam voti pœnitet. Jubetur abluere ſe undis Pactoli; qui auro exinde fluxit.

Vix ſpes ipſe ſuas animo capit, aurea fingens
Omnia. Gaudenti menſas poſuere miniſtri
Extructas dapibus, nec toſtæ frugis egentes.
Tum vero, ſive illa ſua Cerealia dextra
Munera contigerat, Cerealia dona rigebant:
Sive dapes avido convellere dente parabat,
Lamina fulva, dapes, admoto dente premebat.
Miſcuerat puris auctorem muneris undis;
Fuſile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus novitate mali, diveſque, miſerque,
Effugere optat opes; & quæ modo voverat, odit.
Copia nulla famem relevat, ſitis arida guttur
Urit, & inviſo meritus torquetur ab auro:
Ad cœlumque manus, & ſplendida brachia tollens,
Da veniam, Lenæe pater; peccavimus, inquit:
Sed miſerere, precor, ſpecioſoque eripe damno.
Mite Deum numen. Bacchus peccaſſe fatentem
Reſtituit; factique fide, data munera ſolvit.

Spes. Magnarum opum hac arte comparandarum.

Fingens. Dum cogitat ſe in aurum poſſe omnia vertere.

Exſtructas. Refertas.

Toſtæ frugis. Panis. Abundantes pane.

Rigebant. Panes in aurum ſolidum convertebantur.

Lamina &c. Aurea lamina, ſeu maſſa, in quam erant mutatæ dapes, premebat Midæ dentes. Eſt ſcriptum in codicibus aliquot manu exaratis, *negabat*: in aliis, *nitebant*.

Auctorem muneris. Bacchum: vinum.

Fuſile. Liquidum.

Rictus. Os, labra.

Voverat. Optarat.

Meritus. Dat meritas avaritiæ pœnas.

Splendida. Aurea: præclaram auri efficiendi vim habentia.

Lenæe. Lib. IV. 1.

Mite &c. Superi facile mortalibus ignoſcunt.

Facti fide. Sive, ut legitur in bonis codicibus, *facta fide*, hoc eſt, Poſtquam probaverat ipſo facto, & fidem fecerat, ſe vera pollicitum fuiſſe.

Solvit. Deſtruit, retexit, quæ dederat: trita facit data munera, fidemque factis ipſis facit, nempe annuendo,

uk

Neve malo optato maneat circumlitus auro;
Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem,
Perque jugum ripæ labentibus obvius undis
Carpe viam; donec venias ad fluminis ortus:
Spumigeroque tuum fonti, qua plurimus exit,
Subde caput, corpuſque ſimul, ſimul elue crimen.
Rex juſſæ ſuccedit aquæ, vis aurea tinxit
Flumen, & humano de corpore ceſſit in amnem.
Nunc quoque jam veteris percepto ſemine venæ
Arva rigent, auro madidis pallentia glebis.

ut in aurum reipſa non converterentur, quæ Midas tangeret. Teſtatur Heinſius reperiri antiquis in exemplaribus *pactamque fidem*. Reſolvit munera, quæ fideliter pactus, & pollicitus fuerat.

Amnem. Pactolum: (*Sarabat*) qui ex monte Tmolo, Sardibus vicino, profluit. Sardes autem, Lydiæ primaria civitas.

Jugum ripæ. Declivem marginem: partem ripæ altiorem, & crepidinem.

Crimen. Avaritiam: auri ſitim.

Succedit. Corpus ſubjicit: in flumen ſe demittit.

Ceſſit. Tranſivit. Profluit.

Nunc quoque &c. Etiam nunc aurea vis illa, olim percepta, & hauſta, de vena fluminis auriferi: a fluvio, per venas, & occultos meatus, terram pervadente, ducta, tamquam relicto ſemine, manet in agris, qui rigent auro, aurum ceſpiti admixtum ferunt.

V I.

Pana Phœbo præfert Midas: ejus ſtoliditatem aures aſinina plectunt.

Ille peroſus opes, ſilvas, & rura colebat,
Panaque montanis habitantem ſemper in antris.
Pingue ſed ingenium manſit, nocituraque ut ante,
Rurſus erant domino ſtolidæ præcordia mentis.
Nam freta proſpiciens late riget arduus alto
Tmolus in aſcenſu, clivoque extenſus utroque,

Ille. Midas.

Peroſus. Deteſtatus.

Pingue. Hebes, obtuſum.

Ut ante. Cum optavit ut omnia mutaret auro. Tarditatem ingenii Pactolus non abſterſit, quæ iterum illi exitio fuit.

Freta. Mare Carpathium.

Sar-

Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.
Pan ibi dum teneris jactat ſua carmina nymphis,
Et leve cerata modulatur arundine carmen:
Auſus Apollineos præ ſe contemnere cantus,
Judice ſub Tmolo certamen venit ad impar.
Monte ſuo ſenior judex conſedit, & aures
Liberat arboribus; quercu coma cærula tantum
Cingitur, & pendent circum cava tempora glandes.
Iſque Deum pecoris ſpectans, In judice, dixit,
Nulla mora eſt. Calamis agreſtibus inſonat ille,
Barbaricoque Midan (aderat nam forte canenti)
Carmine delinit. Poſt hunc ſacer ora retorſit
Tmolus ad os Phœbi, vultum ſua ſilva ſecuta eſt.
Ille caput flavum lauro Parnaſſide vinctus
Verrit humum Tyrio ſaturata murice palla;
Diſtinctamque lyram gemmis, & dentibus Indis
Suſtinet a læva; tenuit manus altera plectrum:
Artificis ſtatus ipſe fuit. Tum ſtamina docto

Sardibus. Supra num. 5.

Hypepis. Urbe Lydiæ. Lib. VI. num. 1.

Cerata arundine. Arundinibus cera compactis.

Tmolo. Deo, montis ſui præſide. Montes quippe, & flumina ſuos habere Deos credebantur. Tmolum igitur judicem Pan elegit, certaturus cum Phœbo, cui par profecto non erat.

Aures. Montani Dii coronabantur arboribus, ſeu frondibus arborum: eas Tmolus ab auribus ſuis removet, ut Apollinem & Pana cantu certantes, attentius audiat.

Quercu. Ramo querceo.

Deum pecoris. Pana.

In judice &c. In me. Potes canere; paratus ſum ad audiendum.

Barbarico. Phrygio, populari, ruſtico. Phryges a Græcis proprio quodam nomine Barbari vocabantur.

Poſt hunc &c. Poſtquam cecinit Pan, convertit vultum Tmolus ad ora Phœbi, ut eum viciſſim canentem audiret.

Vultum &c. Convertente os ad Phœbum Tmolo, arbores montis in eamdem partem ſunt converſæ.

Ille. Phœbus.

Verrit humum. Procedit in medium, purpuream longo ſyrmate veſtem trahens.

Dentibus Indis. Ebore.

Plectrum. Inſtrumentum, quo percutiuntur chordæ. Lib. II. num. 13.

Artificis ſtatus ipſe fuit. In ipſo ſtatu, geſtu, inceſſu, Apollinis, multum artificii, dignitatiſque fuit: adeo ut magiſtrum, & ſummum canendi artificem ſentires.

Stamina. Fila lyræ, nervos. Lib. VI. num. 2.

Sol-

Pollice ſollicitat, quorum dulcedine captus
Pana jubet Tmolus citharæ ſubmittere cannas.
Judicium, ſanctique placet ſententia montis
Omnibus: arguitur tamen, atque injuſta vocatur
Unius ſermone Midæ: nec Delius aures
Humanam ſtolidas patitur retinere figuram;
Sed trahit in ſpatium, villiſque albentibus implet,
Inſtabileſque illas facit, & dat poſſe moveri.
Cætera ſunt hominis, partem damnatur in unam,
Induiturque aures lente gradientis aſelli.

Sollicitat. Tangit, percutit.
Submittere. Quaſi inferiores. Victum ſe fateri.
Cannas. Fiſtulam e cannis, ſeu calamis, confectam.
Delius. Apollo: in inſula Delo natus.
Trahit in ſpatium. In longitudinem producit, protrahit.
Villis, &c. Pars interior aſininæ auris albicat pilis candidis.
Inſtabiles. Uni hoc aſino conceſſum ajunt, ut aures habeat fluitantes, & vagas.
Partem &c. Una corporis parte mulctatur, qua nimirum peccaverat, perperam audiendo. Cæteras humani corporis partes retinet eaſdem.

VII.

Longas Midæ aures famulus detegit, ac promulgat.

Ille quidem celare cupit, turpique pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris:
Sed, ſolitus longos ferro reſecare capillos,
Viderat hoc famulus: qui, cum nec prodere viſum
Dedecus auderet, cupiens efferre ſub auras,
Nec poſſet reticere tamen; ſecedit, humumque
Effodit, & domini quales aſpexerit aures,
Voce refert parva, terræque immurmurat hauſtæ:
Indiciumque ſuæ vocis tellure regeſta
Obruit: & ſcrobibus tacitus diſcedit opertis.

Tiaris. Tiara, capitis tegmen regium.
Prodere. Aperire, palam facere: meta domini ſcilicet.
Secedit. In locum ab arbitris remotum ſe contulit.
Hauſtæ. Effoſſæ: apertæ.
Indicium ſuæ vocis. Voces, quibus Midam aures aſini habere, tacitus inſuſurrave.

Creber arundinibus tremulis ibi ſurgere lucus
Cœpit; &, ut primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam: leni nam motus ab Auſtro
Obruta verba refert, dominique coarguit aures.

verat, immittit in ſcrobem, quam operit, regeſta humo & repoſita.

Lucus. Multitudo arundinum.

Prodidit agricolam. Detexit famulum, qui hanc humum, hanc ſcrobem, veluti coluerat. Non detexit nomine, inquit Pontanus, ſed re. Cum enim arundines vento motæ verba illa *Midas aſini aures habet*, ſcrobi commiſſa, repeterent, intellectum fuit quod res erat, nempe aliquem arcanum hoc terræ commendaſſe, & conſignaſſe.

Coarguit. Prodit, indicat. Lege Perſium Sat. 1.

VIII.

Troja ab Apolline, & Neptuno ædificata. Eadem bis everſa.

Ultus abit Tmolo, liquidumque per aera vectus,
Anguſtum citra pontum Nepheleidos Helles,
Laomedonteis Latoius adſtitit arvis.

Ultus. Subaudi, Midam. Poſtquam igitur pœnas a Mida repetiit Phœbus, Tmolum deſeruit.

Anguſtum &c. Venit in agrum Trojanum, qui jacet paulo citra Helleſpontum, ſi ſpectes Lydiam, unde Apollo veniebat. Porro Helleſpontus fretum eſt in extremo, verſus orientem, & ſeptemtrionem, Ægæo mari, cui nomen dedit Helle in mare delapſa, dum fugeret novercam Ino. Lib. VI. n. 15.

Nepheleidos. Filiæ Nepheles, & Athamantis.

Laomedonteis. Laomedon, rex Trojæ, Priami pater, Trojæ mœnia condebat, cum Apollo, & Neptunus operam illi ſuam, pacto pretio, locaverunt.

Latoius. Apollo, filius Latonæ.

Sigæi &c. Sigæum, & Rhœteum, duo ſunt Troadis promontoria. Inter illa eſt altare, quod eſt dextrum Sigæi, ideſt, quod reſpicit dextram partem Sigæi promontorii: & partem ſiniſtram Rhœtei: eſt autem hoc altare dedicatum Jovi Panomphæo. Vox Græca πανομφαῖος, ſignificat, omnia audientem: πᾶν, *omne*: ὀμφὴ, *vox*; vel, Qui omnium vocibus colitur. Venit ad hanc aram Phœbus, ex eaque vidit Trojam recens a Laomedonte conditam, nondum tamen cinctam mœnibus.

S Rhæ-

Dextera Sigei, Rhœtei læva profundi,
Ara Panomphæo vetus eſt ſacrata tonanti.
Inde novæ primum moliri mœnia Trojæ
Laomedonta videt, ſuſceptaque magna labore
Creſcere difficili, nec opes expoſcere parvas.
Cumque tridentigero tumidi genitore profundi,
Mortalem induitur formam, Phrygiæque tyranno
Ædificat muros; pactus pro mœnibus aurum.
Stabat opus: pretium rex inficiatur; & addit
Perfidiæ cumulum, falſis perjuria verbis.
Non impune feres, rector maris inquit; & omnes
Inclinavit aquas ad avaræ littora Trojæ,
Inque freti formam terras convertit; opeſque
Abſtulit agricolis, & fluctibus obruit agros.
Pœna neque hæc ſatis eſt; regis quoque filia monſtro
Poſcitur æquoreo, quam dura ad ſaxa revinctam
Vindicat Alcides, promiſſaque munera dictos,

Rhœtei profunda lævi. Jacens ad ſiniſtram æquoris Rhœtei.

Suſcepta. Initia; opus inchoatum: mœnia ædificari cœpta.

Genitori profundi. Deorum marinorum multorum patre, vel, *genitorem*, pro rectore, & gubernatore, poſuit.

Phrygiæ tyranno. Laomedonti, regi Phrygiæ.

Stabat opus. Ædificati muri ſtabant, Trojæ murorum altitudo viſenda, & moles erat, quia magnis aggeribus contra vim aquarum fuerant muniendi, qua demum everſi ſunt. Datus hinc fabulæ locus, eſt, ut extructi ab Apolline atrium Deo præſide; a Neptuno deſtructi, dicerentur.

Inficiatur. Negat.

Perjuria addit. Confirmans jurejurando ſe nihil ipſis promiſiſſe. Mendacium perjurio cumulat. Pejerat, qui ſciens & volens falſum jurat.

Freti. Maris: ita undis terram obruit, ut mari ſimillima videretur.

Regis filia. Heſione. Poſtulavit Neptunus, ut Heſione ceto devoranda objiceretur; negans alia ratione placari ſe poſſe.

Vindicat. Liberat.

Alcides. Hercules Heſionem ea conditione liberaturum ſe ſpopondit, ſi Laomedon equos præſtantes ipſi donaret, promiſit Laomedon, at Heſione liberata, fidem iterum perjurus fefellit. Hercules Trojam expugnavit, Heſionem amico Telamoni, periculorum omnium, & ejus præſertim expeditionis, ſocio, uxorem dedit.

Dictos. Promiſſos.

Bis

Poſcit equos: tantique operis mercede negata,
Bis perjura capit ſuperatæ mœnia Trojæ.
Nec pars militiæ Telamon ſine honore receſſit,
Heſioneque data potitur. Nam conjuge Peleus
Clarus erat diva; nec avi magis ille ſuperbit
Nomine, quam ſoceri: ſiquidem Jovis eſſe nepotem
Contigit haud uni; conjux Dea contigit uni.

Bis perjura. Laomedon bis jusjurandum violavit; primum Neptuno & Apollini datum, poſt ædificata Trojæ mœnia; deinde Herculi, poſt liberatam & receptam Heſionen.

Telamon. Æaci filius.

Nam, &c. Peleus, alter Æaci filius, Thetidem habebat conjugem. Herculem ille pariter comitatus in hac Trojana expeditione fuerat. Quonam igitur honore, quo præmio, illum affecit Hercules, qui Telamoni ejus fratri Heſionem dederat: quam illi regiam virginem dedit? nam ex præda uxores, vulgo ſibi legebant. Reſpondet Ovidius, Peleum ejuſmodi præmio non indiguiſſe, quippe qui Deam uxorem jam haberet; nempe Thetidem.

Avi. Jovis. Sententia eſt: Non majori gloriæ ſibi ducit Peleus, quod ſit Jovis nepos quam quod ſit Nerei gener: mavult habere Thetidem conjugem, & Nereum ſocerum, quam avum Jovem. Cauſam addit, quia multi ſunt nepotes Jovis: unus eſt Peleus, maritus Deæ. At; inquies, Anchiſes fuit etiam maritus Veneris? Reſponderi poteſt, Æneam ex adulterio potius, quam e legitimo conjugio natum, ut alios quoſdam. Tum, ut legitimæ fuerint nuptiæ Veneris cum Anchiſa; poſteriores tamen fuere nuptiis Pelei cum Thetide: certe obſcuriores.

Dea contigit uni. Thetis: legitimis nuptiis, annuente Jove, juncta Peleo. Erat in fatis, ut Thetidis filius patre major, & illuſtrior foret. Hoc ubi reſcivit Jupiter, qui oculos ad Thetidem adjecerat, eam Peleo conceſſit uxorem. Natus inde Achilles, Peleo major fuit.

IX.

Dædalion accipiter factus.

Felix & nato, felix & conjuge, Peleus;
Et cui, ſi demas jugulati crimina Phoci,

Nato. Achille.
Conjuge. Thetide.

Et cui &c. Felix ab omni parte, excepto quod fra-

Omnia contigerant. Fraterno ſanguine ſontem?
Expulſumque domo patria, Trachinia tellus
Accipit. Hic regnum ſine vi, ſine cæde regebat
Lucifero genitore ſatus, patriumque nitorem
Ore ferens Ceyx; illo qui tempore mœſtus,
Diſſimiliſque ſui, fratrem lugebat ademptum.
Quo poſtquam Æacides, feſſus curaque viaque,
Venit, & intravit paucis comitantibus urbem,
Quoſque greges pecorum, quæ ſecum armenta trahebat,
Haud procul a muris ſub opaca valle reliquit:
Copia cum facta eſt adeundi tecta tyranni;
Velamenta manu prætendens ſupplice, quis ſit
Quoque ſatus, memorat: tantum ſua crimina celat;
Mentiturque fugæ cauſam; petit urbe, vel agro,
Se juvet. Hunc contra placido Trachinius ore
Talibus alloquitur: Mediæ quoque commoda plebi
Noſtra patent, Peleu, nec inhoſpita regna tenemus;
Adjicis huic animo momenta potentia, clarum

fratrem interemerat.

Expulſumque, &c. Peleus ab Æaco patre in exilium ejectus, ob cæſum fratrem, ad Ceycem Trachinis regem confugit.

Domo. Ægina. Lib. VII n. 12

Omnia. Corporis, animi, & fortunæ, bona.

Trachinia tellus. Trachin, urbs Theſſaliæ: ad montem Oetam. Heraclea quoque vocabatur.

Patrium nitorem &c. Exhibens ipſo vultu, Luciferi patris ſerenitatem, ac pulchritudinem. Lucifer, ſtella diei prænuntia. Lib. II. n. 3.

Diſſimilis ſui. Non, ut antea, lætus, ac ſereno vultu, ſed triſti & obſcuro; propter fratrem Dædalionem ademptum.

Æacides. Peleus, Æaci filius.

Greges. Eos ducebat, ut ipſis aleretur, fugiens iratum patrē, per avia, & inculta loca.

Copia &c. Cum primum regis domum inire licuit.

Velamenta. Ramum olivæ, laneis tæniis involutum: Virgil. XI. Æn. *Velati ramis oleæ.*

Sua crimina. Fratrem Phocum a ſe occiſum. Fingit aliam, & leviorem exilii ſui cauſam.

Urbe, vel agro, ſe juvet. Partem ſibi urbis aliquam, aut agri, donet habitandam.

Trachinius. Ceyx, Trachinis rex.

Mediæ. Obſcuræ, ignobili.

Patent. Parata ſunt. Noſtras opes cum infimis civibus communicamus.

Inhoſpita. Hoſpitibus inimica: barbara.

Huic animo. Meo, liberali

per

Nomen, avumque Jovem: nec tempora perde precando,
Quod petis omne feres, tuaque hæc pro parte vocato,
Qualiacumque vides; utinam meliora videres!
Et flebat. Moveat quæ tantos cauſa dolores,
Peleuſque, comiteſque rogant, quibus ille profatur:
Forſitan hanc volucrem, rapto quæ vivit, & omnes
Terret aves, ſemper pennas habuiſſe putatis;
Vir fuit, & tanta eſt animi conſtantia, quantum
Acer erat, belloque ferox, ad vimque paratus,
Nomine Dædalion, illo genitore creatus
Qui vocat Auroram, cœloque noviſſimus exit:
Culta mihi pax eſt, pacis mihi cura tuendæ,
Conjugiique fuit: ſi fratri fera bella placebant.
Illius virtus reges, genteſque ſubegit,
Quæ nunc Thisbæas agitat mutata columbas.
Nata erat huic Chione, quæ ſe præferre Dianæ
Suſtinuit, faciemque Deæ culpavit: at illi
Ira ferox mota eſt, factiſque placebimus, inquit.

per ſe ſe, & humano. Addis argumenta, rationeſque potentiſſimas, ad liberalitatem meam ſtimulandam, nempe tuum nomen ac genus, quod a Jove ducis.

Feres. Obtinebis.

Vocato. Appella: puta, hæc quæ vides, tua eſſe: *pro parte*, ideſt, ita, ut ea mecum partiaris. Partem iſtorum quam volueris, habe tibi, tuam voca.

Peleuſque, comiteſque. Nihil mutandum in hoc verſu. Particula *que* hic producitur licentia: ut in hoc Virgiliano, *Liminaque, lauruſque Dei*.

Hanc volucrem. Accipitrem.

Et tanta, &c. Manet eadem in accipitre fortitudo, quæ in viro fuit.

Illo. Lucifero. Præcedit hæc ſtella ſolem orientem, & ultima omnium evaneſcit.

Culta mihi &c. Pax mihi placebat: bellum fratri.

Illius virtus. Fortitudo, & bellicus vigor Dædalionis, mei fratris, gentes integras, potentiſſimos reges, domuit, qua nunc fortitudine utitur ad columbas inſectandas, mutatus in accipitrem. Fortis in reges olim nunc fortis eſt adverſus aves timidas.

Thisbæas. Thisbe, civitas Bœotiæ, columbis abundans.

Culpavit. Contempſit, quaſi deteriorem ſua.

Illi. Dianæ.

Factis placebimus. Me tan-

Nec mora; curvavit cornu, nervoque ſagittam
Impulit, & meritam trajecit arundine linguam.
Lingua jacet, nec vox, tentataque verba ſequuntur,
Conantemque loqui, cum ſanguine vita reliquit.
Quam miſer amplexans ego tunc, patrioq; dolorem
Corde tuli, fratrique pio ſolatia dixi.
Quæ pater haud aliter, quam cautes murmura ponti,
Accipit, & natam delamentatur ademptam.
Ut vero ardentem vidit, quater impetus illi
In medios fuit ire rogos: quater inde repulſus
Concita membra fugæ mandat; ſimiliſque juvenco
Spicula crabronum preſſa cervice gerenti,
Qua via nulla ruit: jam tum mihi currere viſus
Plus homine eſt, alaſque pedes ſumpſiſſe putares.
Effugit ergo omnes, veloxque cupidine leti
Vertice Parnaſſi potitur. Miſeratus Apollo,
Cum ſe Dædalion ſaxo miſiſſet ab alto,
Fecit avem, & ſubitis pendentem ſuſtulit alis,
Oraque adunca dedit, curvos dedit unguibus hamos
Virtutem antiquam, majores corpore vires,

tamquam informem ſpernis: timebis vindicem: diſplicet mea tibi forma; placebit potentia ſaltem, & ultio. Ironja.

Cornu. Arcum corneum.

Linguam. Chiones.

Tentata verba. Quæ proferre tentabat.

Quam miſer amplexans. Quam ego morientem, & cadentem amplectens, &c.

Patrioque &c. Et inſtar patris, necem ejus & calamitatem ſenſi: ac fratrem meum ſolari conatus ſum: at fruſtra: nam ſolatia hæc, ſurdior cautibus, accepit: Non deſunt codices, ubi legatur: *Quem (miſera o pietas!) ego tunc patruoque dolorem corde tuli!* Ut ego tunc dolui, ut fratrem ſolatus ſum! Hoc ſi arridet, interpretaberis: *Patruo corde*: Eo dolore, qui patruum decebat.

Pater. Chiones: Dædalion.

Delamentatur. Summopere luget.

Ardentem. Rogo impoſitam.

Repulſus. Retractus a rogo.

Crabronum. Crabro, muſcæ majoris eſt genus, tauris infeſtum.

Preſſa. Depreſſa, vexata.

Qua via nulla. Per loca invia ruit.

Plus. Velocius.

Majores corpore. Quam pro corporis modo & mole. Accipiter quippe molis magnæ non eſt.

De-

Et nunc accipiter nulli ſatis æquus, in omnes
Sævit aves, aliiſque dolens fit cauſa dolendi.

Dolens. Ipſe mœſtus ob ereptam olim filiam. *Fit cauſa dolendi*. Aliis nimirum avibus, quas dilaniat ac devorat, quibus dolori & exitio eſt.

X.

Lupi mutatio in ſaxum.

Quæ dum Lucifero genitus miracula narrat
De conſorte ſuo; curſu feſtinus anhelo
Advolat armenti cuſtos Phocæus Anetor,
Et, Peleu, Peleu, magnæ tibi nuncius adſum
Cladis, ait. Quodcumq; ferat, jubet edere Peleus:
Pendet, & ipſe metu trepidat Trachinius heros.
Ille refert: Feſſos ad littora curva juvencos
Appuleram; medio cum ſol altiſſimus orbe
Tantum reſpiceret, quantum ſupereſſe videret:
Parſque boum fulvis genua inclinarat arenis,
Latarumque jacens campos ſpectabat aquarum:
Pars gradibus tardis illuc errabat, & illuc;
Nant alii, celſoque exſtant ſuper æquora collo.
Templa mari ſubſunt, nec marmore clara, nec auro;
Sed trabibus denſis, locoque umbroſa vetuſto,
Nereides, Nereuſque tenent: hos navita, templi

Conſorte. Fratre.
Armenti. Paulo ante dixit adductos a Peleo greges, & in opaca valle, prope urbem, relictos.
Phocæus. Oriundus Phocea. Lib. VI. num. I. vel, e Phocide. Lib. I. n. II.
Ferat. Novi apportet.
Edere. Dicere.
Pendet &c. Ipſe Ceyx ſuſpenſus eſt metu. Si retineas, ut vulgo legitur, *Metu trepidi Trachinius oris*, explicabis hunc in modum: Ceyx ob metum quem in ore trepido Anetoris videt, ſuſpenſus & anxius eſt.
Ille. Nuntius. Anetor.
Appuleram. Admoveram.
Tantum &c. Tantum ſupereſſe ſpatium cœli cerneret ad occaſum, quantum ab ortu decurſum retro aſpiciebat.
Mari ſubſunt. Prope mare, in littore, extructum eſt templum.
Hos, &c. Illos Deus hujus templi eſſe præſides, nempe Nereum, & Nereides, mihi renunciarunt nautæ, quos retia ſiccantes interrogavi.

Edidit eſſe Deos, dum retia littore ſiccat.
Juncta palus huic eſt, denſis obſeſſa ſalictis,
Quam reſtagnantis fecit maris unda paludem.
Inde fragore gravi ſtrepitans loca proxima terret
Bellua vaſta lupus, ſilviſque paluſtribus exit,
Oblitus & ſpumis, & craſſo ſanguine, rictus
Fulmineos: rubra ſuffuſus lumine flamma.
Qui quamquam ſævit pariter rabieque, fameque,
Acrior eſt rabie, neque enim jejunia curat
Cæde boum, diramque famem finire; ſed omne
Vulnerat armentum, ſternitque hoſtiliter omne.
Pars quoque de nobis funeſto ſaucia morſu,
Dum defenſamus, leto eſt data: ſanguine littus
Undaque prima rubent, demugitæque paludes:
Sed mora damnoſa eſt, nec res dubitare remittit:
Dum ſupereſt aliquid, cuncti coeamus ad arma:
Arma capeſſamus, conjunctaque tela feramus.
Dixerat agreſtis: nec Pelea damna movebant;
Sed memor admiſſi, Nereida colligit orbam

Juncta &c. Juxta templum eſt palus, cincta ſalicibus. Salictum eſt locus ſalicibus conſitus, ſalicum ſilva.

Reſtagnantis. Redundantis.

Oblitus. Tinctus, madens: habens rictus, ſeu dentes fulmineos, infectos cruore ac ſpuma.

Acrior eſt rabie. Rabidus ille lupus, non eſt contentus devorare boves, iiſque famem explere; ſed rabie & crudelitate impulſus, omnes eneeat.

Dum defenſamus. Dum nos ipſi, gregemque, defendere conamur.

Unda prima. Littori vicinior.

Demugitæ. Mugitibus impletæ, ac reſonantes.

Res. Periculum reliquis gregibus imminens.

Dubitare. Deliberare, moras nectere.

Remittit. Patitur, permittit.

Aliquid. De armentis.

Damna, &c. Jactura pecorum, quam paſtor ille narrabat, non movet Peleum: ſed memor, & conſcius criminis a ſe commiſi, cogitat, ac timet, ne ſit hæc admiſſi ſceleris, & fraternæ cædis, pœna: ne ſie fratris mater, una e Nereidibus, orbata ſuo filio, illum ulciſcatur, & hoc veluti boum ſacrificio, his damnis, Manes ejus placare velit.

Nereida. Pſamathen vocant.

Orbam. Phoco filio orbatam.

Colligit. Secum reputat.

Suo.

Damna ſuo inferias extincto mittere Phoco.
Induere arma viros, violentaque ſumere tela
Rex jubet Oetæus, cum quis ſimul ipſe parabat
Ire: ſed Halcyione conjux, excita tumultu,
Proſilit, & nondum totos ornata capillos,
Disjicit hos ipſos, colloque infuſa mariti,
Mittat ut auxilium, ſine ſe, verbiſque precatur
Et lacrymis, animaſque duas ut ſervet in una.
Æacides illi: Pulchros, regina, pioſque
Pone metus, plena eſt promiſſi gratia veſtri:
Non placet arma mihi contra nova monſtra movere;
Numen adorandum pelagi eſt. Erat ardua turris
Arce locus ſumma, feſſis loca grata carinis.
Aſcendunt illuc, ſtratoſque in littore tauros
Cum gemitu aſpiciunt, vaſtatoremque cruento.

Suo. Filio.

Inferias. Sacrificium placandis mortuorum Manibus inventum.

Phoco. Fratri Pelei, quem Peleus ipſe interfecerat.

Rex Oetæus. Ceyx, rex Trachinis, ad montis Oetæ radices ſitæ in Pithiotide, Græciæ tractu.

Disjicit. Illam ipſam capillorum partem, quam ornaverat, diſturbat, permiſcet, effundit ſine lege, ut fit in luctu.

Sine ſe. Ita ut ipſe arma non induat.

Animas duas. Suam & conjugis vitam.

In una. Suo unius capiti, & vitæ, conſulendo.

Æacides. Peleus.

Plena eſt &c. Satis habeo, & inſtar plenæ cumulatæque gratiæ, ac beneficii ampliſſimi, eſſe arbitror id, quod mihi promiſiſtis, nempe hoſpitium, & auxilium: nolo abuti veſtra erga me benignitate; nolo vos orare, ut arma pro tutandis meis gregibus capiatis. Tum, nihil opus armis eſt, ſed ſacrificiis & precibus, ad placandam pelagi Deam, quæ irata mihi, hoc monſtrum immiſit.

Nova monſtra. Lupum ferocem.

Numen, &c. Dea pelagi; Nereis Pſamathe.

Arce locus. Legit Heinſius *focus*; quia, inquit, ſequitur proxime *loca grata*, neque ſatis concinna vocis ejuſdem iteratio eſt. Sed vereor ne focus, pro pharo, nimis frigidum, ac pœne puerile, ſit. Hæc illa ſunt carmina ſcilicet, quæ Vates, ut ipſe profitetur, *Emendaturus, ſi licuiſſet, erat*.

Feſſis &c. Quia nautæ jactati pelago, viſa illa turri, vicinum eſſe portum intelligebant.

Ore ferum, longos infectum ſanguine villos.
Inde manus tendens in aperti littora ponti,
Cæruleam Peleus Pſamathen ut finiat iram
Orat, opemque ferat. Nec vocibus illa rogantis
Flectitur Æacidæ. Thetis hanc pro conjuge ſupplex
Accepit veniam. Sed enim irrevocatus ab acri
Cæde lupus perſtat, dulcedine ſanguinis aſper:
Donec inhærentem laceræ cervice juvencæ
Marmore mutavit. Corpus, præterque colorem
Omnia ſervavit: lapidis color indicat illum
Jam non eſſe lupum, jam non debere timeri.

Ferum. Belluam, lupum. *Infectum*. Madentem. *Ut finiat iram orat*. Precatur ut iram deponat. *Æacidæ*. Pelei. *Thetis hanc &c.* Impetravit a Pſamathe veniam Thetis, ſupplicans ipſi pro Peleo, conjuge ſuo. Quam Pelea veniam Nereis non dabat; Thetidi conceſſit. Depoſuit iram Pſamathe a Thetide orata. *Irrevocatus*. Quem nulla Deorum imperia, aut hominum arma, ſiſtere poterant. Pertinax, & in rabie obfirmatus. *Mutavit*. Pſamathe, aut Thetis. *Omnia ſervavit*. Figuram, membra corporis, & reliqua omnia ſervavit, excepto colore, qui antea rufus, nunc albus. *Lapidis color*. Qualis marmoris eſt, nempe candidus.

X I.

Ceyx, invita conjuge, ad iter maritimum ſe accingit.

Nec tamen hac profugum conſiſtere Pelea terra
Fata ſinunt, Magnetas adit vagus exul, & illic
Sumit ab Æmonio purgamina cædis Acaſto.
Interea fratriſque ſui, fratremque ſecutis

Hac terra. In Ceycis regno. *Magnetas*. Populum Theſſaliæ. *Æmonio*. Theſſalo. *Sumit &c.* Expiatur certis cæremoniis, & ſcelus fratris perempti purgat. *Acaſto*. Rege Theſſaliæ, Peliæ filio; augure, vel haruſpice. *Fratris ſui*. Dædalionis, qui ſe præcipitem in mare dederat. Supra, num. 9.

Anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx,
Conſulat ut ſacras, hominum oblectamina, ſortes;
Ad Clarium parat ire Deum; nam templa profanus
Invia cum Phlegys faciebat Delphica Phorbas.
Conſilii tamen ante ſui, fidiſſima, certam
Te facit, Halcyone; cui protinus intima frigus
Oſſa receperunt, buxoque ſimillimus ora
Pallor obit, lacrymiſque genæ maduere profuſis.
Ter conata loqui, ter fletibus ora rigavit,
Singultuque pias interrumpente querelas,
Quæ mea culpa tuam, dixit, cariſſime, mentem
Vertit? ubi eſt, quæ cura mei prior eſſe ſolebat?
Jam potes Halcyone ſecurus abeſſe relicta,
Jam via longa placet, jam ſum tibi carior abſens.
At puto, per terras iter eſt? tantumque dolebo,
Non etiam metuam? curæque timore carebunt?
Æquora me terrent, & ponti triſtis imago,
Et laceras nuper tabulas in littore vidi:

Prodigiis. Cum in accipitrem mutatus Dædalion: cum lupus vaſtator armenta perdidit: cum Dædalionis filia telis Dianæ confixa eſt.

Sortes. Oraculum. Lib. I. num. 12.

Hominum oblectamina. Non remedia infortuniorum. Ridet Oraculorum vanitatem. Poſſunt etiam dici oracula, hominum deliciæ, quia curioſitati humanæ favent, docent futura, calamitatibus remedia ſubminiſtrant.

Clarium Deum. Apollinem. Clarus, urbs Joniæ, in Aſia minori, prope Colophonem: Phœbi oraculo clara: nunc *Calamo* Lib. I. 14.

Nam &c. Nam, quominus Apollinis Delphici (Libro I. 14.) oraculum, quod erat vicinum, & itinere terreſtri, minuſque periculoſo, petebatur, conſuleret, impediebatur a Phorbante & Phelegyis, qui Apollinis Delphici templum ſpoliare aggreſſi, totam hanc regionem armis infeſtam, & latrociniis habebant

Profanus. Phorbas, impius Phlegyiarum rex. Erant illi in Theſſalia: ſacrilegiis, atque omni dedecore infames.

Conſilii ſui. De adeundo oraculo Clarii Apollinis.

Tuam mentem vertit. Quid commiſi, ut priſtinam erga me benevolentiam exueres?

Securus. Sine ulla mei cura.

Imago. Facies procelloſa.

Tabulas. Naufragæ ratis fragmina.

Et ſæpe in tumulis ſine corpore nomina legi.
Neve tuum fallax animum fiducia tangat,
Quod ſocer Hippotades tibi ſit, qui carcere fortes
Contineat ventos, &, cum velit, æquora placet.
Cum ſemel emiſſi tenuerunt æquora venti,
Nil illis vetitum eſt; incommendataque tellus
Omnis, & omne fretum eſt, cœli quoque nubila vexant,
Excutiuntque feris rutilos concurſibus ignes.
Quo magis hos novi (nam novi, & ſæpe paterna
Parva domo vidi) magis hos reor eſſe timendos.
Quod tua ſi flecti precibus ſententia nullis
Care, poteſt, conjux, nimiumque es certus eundi,
Me quoque tolle ſimul, certe jactabimur una:
Nec, niſi quæ patiar, metuam, pariterque feremus.
Quicquid erit, pariter ſuper æquora lata feremur.

In tumulis. Inanibus ſepulcris, quæ in littore ponebantur, in honorem naufragorum, quorum inveniri cadavera non poterant.
Hippotades. Æolus, Halcyonis pater, Hippotæ nepos, ventorum rex.
Incommendata tellus eſt. Venti nullius commendatione, ac mandatis, moventur, deterrenturque, ne terram, & mare, arbitratu ſuo perturbent. Quæ nobis ſunt commendata, curæ ſunt.
Concurſibus. Præliis inter ſe ſuſceptis.
Ignes. Fulmina.
Paterna. Æoli filiam facit Halcyonem Ovidius; alii diſſentiunt.
Parva. Ego parvula.
Nec niſi &c. Si me relinquis, cogar metuere, multa quæ fortaſſe tecum non paterer.

XII.

Ceyx, maturum reditum uxori pollicitus, committit ſe mari.

Talibus Æolidis dictis, lacrymiſque movetur
Sidereus conjux, neque enim minor ignis in ipſo eſt:

Æolidis. Halcyones, Æoli filiæ.
Sidereus. Ortus Lucifero.
Ignis. Amor. Non minus amat conjugem, quam ab ipſa amatur.

Sed neque præpoſitos pelagi dimittere curſus,
Nec vult Halcyonem in partem adhibere pericli;
Multaque reſpondit timidum ſolantia pectus:
Non tamen idcirco cauſam probat: addidit illis
Hoc quoque lenimen, quo ſolo flexit amantem:
Longa quidem eſt nobis omnis mora; ſed tibi juro,
Per patrios ignes (ſi me modo fata remittant)
Ante reverſurum, quam luna bis impleat orbem.
His ubi promiſſis ſpes eſt admota recurſus,
Protinus eductam navalibus æquore tingi;
Aptarique ſuis pinum jubet armamentis.
Qua rurſus viſa, veluti præſaga futuri,
Horruit Halcyone, lacrymaſque emiſit obortas,
Amplexuſque dedit, triſtique miſerrima tandem
Ore, vale, dixit, collapſaque corpore toto eſt.
At juvenes, quærente moras Ceyce, reducunt
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos,
Æqualique ictu ſcindunt freta. Suſtulit illa
Humentes oculos, ſtatemque in puppe recurva,
Concuſſaque manu dantem ſibi ſigna maritum,
Prima videt, redditque notas. Ubi terra receſſit

Timidum. Anxiæ & timidæ conjugis.

Non cauſam probat. Non perſuadet uxori, ut aſſentiatur, & æquo animo ferat, ipſum proficiſci: cauſam non vincit.

Patrios ignes. Luciferum.

Recurſus. Reditus velocis.

Navalibus. Navalia, ſunt navium placidæ ſtationes: portus.

Pinum. Navem e pinu factam.

Armamentis. Armamenta ſunt remi, vela, mali, & reliqua ſupellex nautica, quibus navis armatur, & inſtruitur.

Juvenes. Remiges biremem cœperunt in altum promovere.

Quærente moras. Morante, & invito abeunte, ob dolorem conjugis.

Reducunt. Exprimit geſtum remigantium; qui partem remi, quam tenent manu, deprimunt, mox eamdem attollunt, & pectori admovent.

Ordinibus geminis. Remorum.

Dantem ſigna. Salutantem geſtu, & nutibus.

Reddit notas. Eadem complofione manuum, & nutibus, viciſſim illi reſpondet.

Terra receſſit. Navigantibus videntur littora recedere.

Longius, atque oculi nequeunt cognoſcere vultus,
Dum licet, inſequitur fugientem lumine pinum.
Hæc quoq; ut haud poterat, ſpatio ſummota, videri,
Vela tamen ſpectat, ſummo fluitantia malo.
Portubus exierant, & moverat aura rudentes:
Obvertit lateri pendentes navita remos,
Cornuaque in ſumma locat arbore, totaque malo
Carbaſa deducit, venienteſque accipit auras.

Lumine. Oculis.
Hæc quoque &c. Poſtquam ſummota, longo ſpatio interjecto, navis conſpici amplius non potuit.
Exierant, &c. Proceſſerant in altum mare: aſpiravit ventus: depoſitis remis, vela explicuerunt.
Rudentes. Nauticos funes.
Obvertit lateri. Ad latera navis applicat, & quietos tenet, non in æquor extendit.
Cornua. Antennas (quarum extrema duo, vocantur cornua, vel pedes) attollit, in ſummam mali partem, & ex illis vela per totum malum extendit, evolvitque.
Arbore. In ſummo malo.
Carbaſa. Vela e carbaſo, ſeu lino, confecta.

XIII.

Ceyx tempeſtate jactatur.

Aut minus, aut certe medium non amplius æquor
Puppe ſecabatur, longeque erat utraque tellus:
Cum mare ſub noctem tumidis albeſcere cœpit
Fluctibus, & præceps ſpirare valentius Eurus.
Ardua jamdudum demittite cornua, rector
Clamat, & antennis totum ſubnectite velum.
Hic jubet, impediunt adverſæ juſſa procellæ
Nec ſinit audiri vocem fragor æquoris ullam.
Sponte tamen properant alii ſubducere remos.

Medium æquor. Inter Delphos, & Trachinem.
Utraque tellus. Et quam Ceyx petebat, & a qua diſceſſerat.
Rector. Gubernator navis.
Et antennis, &c. Omnia vela colligite, & circum antennas, ſub antennis religate.
Sponte tamen. Quamvis a rectore navis, cujus audire vocem nequeunt, moniti non ſint.
Subducere remos. In tutum recipere.

Mu-

Pars munire latus, pars ventis vela negare.
Egerit hic fluctus, æquorque refundit in æquor:
Hic rapit antennas: quæ dum ſine lege geruntur,
Aſpera creſcit hyems, omnique a parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miſcent:
Ipſe pavet, nec ſe, quis ſit ſtatus, ipſe fatetur
Scire ratis rector, nec quid jubeatve, velitve;
Tanta mali moles, tantoque potentior arte eſt!
Quippe ſonant clamore viri, ſtridore rudentes,
Undarum incurſu gravis unda, tonitribus æther.
Fluctibus erigitur, cœlumque æquare videtur
Pontus, & inductas aſpergine tangere nubes;
Et modo, cum fulvas ex imo verrit arenas,
Concolor eſt illis; Stygia modo nigrior unda:
Sternitur interdum, ſpumiſque ſonantibus albet.
Ipſa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis;
Et nunc ſublimis, veluti de vertice montis
Deſpicere in valles, imumque Acheronta videtur:
Nunc, ubi demiſſam curvum circumſtetit æquor,
Suſcipere inferno ſummum de gurgite cœlum.
Sepe dat ingentem, fluctu latus icta, fragorem:
Nec levius pulſata ſonat, quam ferreus olim
Cum laceras aries, balliſtave, concutit arces.

Munire latus. Ne aqua ſubeat, pice, ſtupa, tabulis, latera navis tutari.

Negare. Illa colligendo.

Egerit. Sentinam exhaurit.

Sine lege. Perturbate.

Hyems. Tempeſtas.

Nec ſe. Fateturque neſcire ſe, quis ſit rerum ſtatus: quo pacto ſtare, ac navim tenere, in tanta procella, poſſit.

Moles. Vis, gravitas.

Incurſu. Conflictu, impetu.

Inductas. Invectas, congeſtas.

Sternitur. Planum & æquale eſt.

His agitur vicibus. His mutationibus agitatur.

Trachynia. Ceycis, qui rex erat Trachinis. Supra, 10.

Acheronta. Inferos, quorum fluvius Acheron.

Latus icta. Per latus; a latere percuſſa.

Aries. Machina bellica: trabs ingens, cujus caput ferro præfixum, erat inſtar capitis arietini. Hæc impingebatur, & incutiebatur, muris; eoſque disjiciebat.

Balliſta. Machina, quæ ſaxa vel ſagittæ torquebantur.

Utque ſolent, ſumptis in curſu viribus, ire
Pectore in arma feri, protentaque tela, leones.
Sic, ubi ſe ventis commiſerat unda coortis,
Ibat in arma ratis, multoque erat altior illis.
Jamque labant cunei, ſpoliataque tegmine ceræ
Rima patet, præbetque viam letalibus undis.
Ecce cadunt largi reſolutis nubibus imbres,
Inque fretum credas totum deſcendere cœlum,
Inque plagas cœli tumefactum aſcendere pontum.
Vela madent nimbis; & cum cœleſtibus undis
Æquoreæ miſcentur aquæ, caret ignibus æther,
Cæcaque nox premitur tenebris hyemiſque ſuiſque:
Diſcutiunt tamen has, præbentque minantia lumen
Fulmina, fulmineis ardeſcunt ignibus undæ.

Sumptis in curſu viribus Prævio impetu robur augentes.

Pectore. Obvio, oppoſito pectore.

Arma. Venabula.

Protenta. Objecta, adverſa.

Sic &c. Sic unda, ventis conjuncta, & agitata, incurrebat in armamenta, & munimenta navis.

Commiſerat. Conjunxerat: pellendam jactandamque permiſerat.

Erat altior illis. Unda erat altior armamentis nauticis, navim operiebat.

Cunei. Ligna quæ committunt navis tabulas; unci ferrei. Lib. XIII. n. 20.

Ceræ. Cera obturantur navium rimæ, vel potius, pice, ſtupa, muſco, &c.

Plagas. Regionem.

Ignibus. Stellis. Nullæ apparent, quæ regant curſum, ac tenebras diſpellant, ſtellæ. *Hyemis*. Procellæ.

Suis. Nocturnis.

X I V.

Navi fluctibus obruta, Ceyx perit.

Dat quoque jam ſaltus intra cava texta carinæ
Fluctus; &, ut miles numero præſtantior omni
Cum ſæpe aſſiliit defenſæ mœnibus urbis;
Spe potitur tandem, laudiſque accenſus amore,
Inter mille viros murum tamen occupat unus:
Sic, ubi pulſarunt celſi latera ardua fluctus,

Dat ſaltus. Inſilit in navim fluctus.

Numero, &c. Cæteris militibus fortior aliquis,

&

Vaſtius inſurgens decimæ ruit impetus undæ;
Nec prius obſiſtit feſſam oppugnare carinam,
Quam, velut in captæ deſcendat mœnia navis.
Pars igitur tentabat adhuc invadere pinum,
Pars maris intus erat: trepidant haud ſegnius omnes,
Quam ſolet urbs, aliis murum fodientibus extra,
Atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus,
Deficit ars, animique cadunt, totidemque videntur
Quot veniunt fluctus, ruere, atque irrumpere
mortes.
Non tenet hic lacrymas, ſtupet hic, vocat ille
beatos,
Funera quos maneant; hic votis numen adorat,
Brachiaq; ad cœlum, quod non videt, irrita tollens
Poſcit opem: ſubeunt illi fraterque, parenſque;
Huic cum pignoribus domus, & quod cuique re-
lictum eſt.
Halcyone Ceyca movet, Ceycis in ore
Nulla niſi Halcyone eſt, & cum deſideret unam,
Gaudet abeſſe tamen; patriæ quoque vellet ad oras
Reſpicere, inque domum ſupremos vertere vultus:
Verum ubi ſit neſcit; tanta vertigine pontus
Fervet, & inducta piceis e nubibus umbra,

& audacior.

Decimæ ... Fluctum decumanum cæteris majorem, eumdemque exitialem eſſe, nautarum vox conſentiens affirmat. Hinc etiam uſus obtinuit, ut maxima quæque decumana vocitentur. Ratio petitur a numero denario, qui perfectiſſimus, & ſummus, quippe quo abſoluto, reditur ad unitatem.

Pars igitur ... Fluctuum.

Quam ſolet, &c. Ordo verborum eſt: Tam omnes trepidant, quam ſolet urbs trepidare, aliis hoſtibus obſidentibus, & murum effodientibus; aliis jam illum tenentibus, ideſt introgreſſis, & eo potitis.

Hic. Aliquis vector, nauta quilibet.

Funera quos maneant. Qui funeris, & ſepulturæ honore gaudeant, quem expectare naufragi non poſſunt.

Subeunt. Occurrunt alterius animo, memoriæ.

Huic ... Alteri ſua domus, & liberi occurrunt: illorum recordatur.

Quod quique &c. Reminiſcitur quiſque earum rerum, quas reliquit, cum ſe commiſit mari.

Vertigine. Agitatione.

Ar-

Omne latet cœlum, duplicataque noctis imago eſt.
Frangitur incurſu nimboſi turbinis arbor,
Frangitur & regimen: ſpoliis animoſa ſuperbit
Unda, velut victrix, ſinuataque deſpicit undas.
Nec levius, quam ſi quis Athon, Pindumq; revulſos
Sede ſua, totos in apertum everteret æquor,
Præcipitata cadit, pariterque & pondere, & ictu,
Mergit in ima ratem, cum qua pars magna virorum
Gurgite preſſa gravi, neque in aera reddita, fato
Functa ſuo eſt: alii partes, & membra carinæ
Trunca tenent: tenet ipſe manu, qua ſceptra ſolebat,
Fragmina navigii Ceyx, ſocerumque, patremque
Invocat (heu!) fruſtra: ſed plurima nantis in ore
Halcyone conjux, illam meminitque, refertque:
Illius ante oculos ut agant ſua corpora fluctus
Optat; & exanimis manibus tumuletur amicis.
Dum natat, abſentem, quoties ſinit hiſcere fluctus,
Nominat Halcyonem, ipſiſq; immurmurat undis.
Ecce ſuper medios fluctus niger arcus aquarum
Frangitur, & rupta merſum caput obruit unda.
Lucifer obſcurus, nec quem cognoſcere poſſes,
Illa nocte fuit, quoniamque excedere cœlo
Non licuit, denſis texit ſua nubibus ora.

Arbor. Malus, e recta & procera factus arbore.
Regimen. Gubernaculum.
Spoliis. Malo, & clavo, abreptis.
Sinuata. Velut in arcum triumphalem incurvata.
Deſpicit. Alias undas inferiores ſuperbe deſpectat.
Athon, *Pindum*. Montes altiſſimos, illum Macedoniæ; hunc Theſſaliæ.
Præcipitata. Aqua, montis ritu, ſublata, recidit in navim præceps.
In aera reddita. Emergens.
Fato functa. In aquis extincta eſt.
Socerum. Æolum.
Patrem. Luciferum.
Refert. Sæpe in mentem revocat.
Agant. Propellant.
Hiſcere. Os aperire.
Niger arcus. Nigra nubes, & aquis gravida, curvata in modum arcus.
Caput. Ceycis.
Lucifer. Ceycis pater.

Hal.

X V.

Halcyone pro viro fruſtra Junoni ſupplicat. Somni & Somniorum domus.

Æolis interea tantorum ignara malorum
Dinumerat noctes, & jam, quas induat ille,
Feſtinat veſtes; jam quas, ubi venerit ille,
Ipſa gerat, reditusque ſibi promittit inanes.
Omnibus illa quidem Superis pia thura ferebat;
Ante tamen cunctos Junonis templa colebat,
Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras.
Utque foret ſoſpes conjux ſuus, utque rediret,
Optabat, nullamque ſibi præferret. At illi
Hoc de tot votis poterat contingere ſolum.
At Dea non ultra, pro functo morte, rogari
Suſtinet; utque manus funeſtas arceat aris;
Iri, meæ, dixit, fidiſſima nuncia vocis,
Viſe ſoporiferam Somni velociter aulam,
Extinctique jube Ceycis imagine mittat
Somnia ad Halcyonem, veros narrantia caſus.
Dixerat: induitur velamina mille colorum
Iris; & arquato cœlum curvamine ſignans,
Tecta petit juſſi ſub rupe latentia regis.

Æolis. Halcyone.

Feſtinat. Propere viro, & ſibi, parat.

Veſtes. Ornatiores ſcilicet, ſignificandæ lætitiæ: conjuge, ut ſperat, reverſuro.

Junonis. Quia Juno matrimoniis præſidebat: unde Pronuba vocabatur.

At illi &c. Tria poſcebat Junonem Halcione; unum, ut ſalvus eſſet Ceyx, alterum, ut rediret domum: tertium, ut nullo amore alieno implicatus teneretur: hoc poſtremum dumtaxat illi concedi potuit: in fatis enim erat ut naufragio Ceyx periret.

Functo morte. Extincto Ceyce.

Funeſtas. Quas ſupplices pro mortuo tendebat.

Iri. Junonis eſt nuntia.

Arquato. In arcus morem facto. Per arcum cœleſtem Iris deſcendere ad terras fingebatur. Nonius arcuum admonet ſcribi oportere, cum iridem ſignificat. Multi veteres libri *Arcuato*, vel *Arcato*, ſcribunt.

Juſſi regis. Somni, quem adire juſſa erat a Junone.

Cim-

Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu,
Mons cavus, ignavi domus, & penetralia Somni.
Quo nunquam radiis oriens, mediuſve, cadenſve,
Phœbus adire poteſt: nebulæ caligine miſtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuſcula lucis.
Non vigil ales ibi criſtati cantibus oris
Evocat auroram, nec voce ſilentia rumpunt
Sollicitive canes, canibuſve ſagacior anſer:
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæve ſonum reddunt convicia linguæ.
Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes, per quem cum murmure labens
Invitat ſomnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.
Janua ne verſo ſtridorem cardine reddat,
Nulla domo tota eſt; cuſtos in limine nullus;
At medio torus eſt, ebeno ſublimis in antro.

Cimmerios. Cimmerii prope Pontum Euxinum habitarunt regionem caliginoſam, ob ſilvas frequentes, & pruinas. Alii ejuſdem nominis in Italia fuere prope lacum Avernum, cavernis, aut obſcuris vallibus, abditi interdiu, unde niſi noctu non prodibant.

Dubiæ &c. Quæ lucem malignam efficiunt, qualis in crepuſculo cernitur. Libro I. num. 9.

Vigil ales. Gallus.

Anſer. Lib. II. num. 13. Romani olim anſerum vocibus excitati, canibus ſopitis & tacentibus, Capitolium contra Gallos tutati ſunt. Liv. Lib. V.

Humanæ &c. Non illic reſonant convicia humanæ linguæ. Lib. V. n. 17.

Saxo. Ex ima rupe, in qua Somni eſt domus; oritur rivus, ab amne inferorum Lethe ductus.

Lethes. Ea vox Græca ſonat oblivionem: hanc ſomnus inducit. Lib. VII. n. 3.

Fœcunda. Quæ facile proveniunt. Eadem ad ſomnum conciliandum valent.

Herbæ. Soporiferæ. Illis vulgo ineſt ſuccus albus, & lacti ſimilis, v. gr. ſoncho. Eas nox colligere & ſpargere dicitur, quia ſomnos conciliant.

Ebeno ſublimis. Cujus pedes, & fulcra alta, conſtant ex ebeno; arbor eſt nigra: qui color ſomno idoneus. Nihil videtur mutandum, quamlibet Heinſius ſe torqueat, ac verſum Ovidianum deformet: *In medio antro eſt lectus ebeno ſublimis:* ideſt, altus, & ebeninus.

Quid

Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipſe Deus, membris languore ſolutis:
Hunc circa paſſim, varias imitantia formas
Somnia vana jacent, totidem, quot meſſis ariſtas,
Silva gerit frondes, ejectas littus arenas.

Quid apertius? Neque opus eſt ſubſtituere *atricolor*, pro *unicolor*, quæ vox occurrit in ſequenti verſu: ſenſus enim eſt, unius coloris totum fuiſſe lectum, pedes, ſpondam, veſtes: nempe atri.

X V I.

Iris a Junone miſſa Somnum admonet, ut Halcyonem doceat de conjugis nece.

Quo ſimul intravit, manibuſque obſtantia virgo
Somnia dimovit, veſtis fulgore reluxit
Atra domus, tardaque Deus gravitate jacentes
Vix oculos tollens, iterumque, iterumque relabens,
Summaque percutiens nutanti pectora mento,
Excuſſit tandem ſibi ſe, cubitoque levatus,
Quid veniat (cognovit enim) ſcitatur, at illa,
Somne, quies rerum, placidiſſime Somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparaſque labori:
Somnia, quæ veras æquent imitamine formas,
Herculea Trachine jube, ſub imagine regis,
Halcyonem adeant, ſimulacraque naufraga fingant:
Imperat hoc Juno. Poſtquam mandata peregit.
Iris, abit: neque enim ulterius tolerare ſoporis
Vim poterat, labique, ut ſomnum ſenſit in artus,
Effugit, & remeat per quos modo venerat, arcus.

Summa pectora. Summam pectoris partem, in quam mentum identidem recidebat, ut dormitantibus accidit.

Excuſſit ſibi ſe. Se collegit; ſoporem diſcuſſit.

Cognovit enim. Subaudi, Irim adeſſe.

Imitamine. Imitando.

Herculea Trachine. Jube, ut Somnia rebus ipſis ſimillima, conveniant Halcyonem, degentem in urbe Herculea, cognomento Trachine. Erit illa in Theſſalia, ad ſinum Maliacum: olim ab Hercule condita. Supr. n. 9.

Regis. Ceycis, regis Trachinis.

Pa

At pater e populo natorum mille ſuorum
Excitat artificem; ſimulatoremque figuræ,
Morphea: non illo juſſos ſolertius alter
Exprimit inceſſus, vultumque, modumq; loquendi.
Adjicit & veſtes, & conſuetiſſima cuique
Verba. Sed hic ſolos homines imitatur; at alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore ſerpens:
Hunc Icelon Superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. Eſt etiam diverſæ Tertius artis
Phantaſos, ille in humum, ſaxumq; undamq; trabemq;
Quæque vacant anima, fallaciter omnia tranſit.
Regibus hi, ducibuſque ſuos oſtendere vultus
Nocte ſolent: populos alii, plebemque pererrant.
Præterit hos ſenior, cunctiſque e fratribus unum
Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus
Eligit; & rurſus molli languore ſolutus;
Depoſuitque caput, ſtratoque recondidit alto.

Pater. Somnus.

Morphea. Morpheus, Græca dictio, ſignificat formarum artifices a μορφὴ, *forma*, *ſpecies*.

Alter fit fera. Alter, ſive ſecundum e præcipuis Somni filiis, cui nomen ſcelus, imitatur belluarum formas.

Icelon. Ea vox Græca ſimilem ſonat.

Phobetora. Phobetor Græcis eſt, territator, qui terret.

Tertius. Filius Somni.

Phantaſos. Imaginum fictor, ut Græcum vocabulum indicat: Phantaſia, vis imaginandi: a Græco φαντάζομαι, *imaginor*, *informor*.

Vacant. Carent. Morpheus igitur homines & humana tantum ſimulat: Icelus, ſeu Phobetor, feras & animantes: Phantaſos, inanima.

Fallaciter. Quia non res ipſas, ſed earum imaginem & umbram exhibet. Male intrudunt nonnulli *fæliciter*.

Hi. Tres nominati.

Edita. Mandata.

Thaumantidos. Iridis. Lib. IV. num. 5.

Strato. Cubili.

XVII.

Morpheus extinctum Ceycem uxori in ſomnis repræſentat.

Ille volat, nullos ſtrepitus facientibus alis,
Per tenebras, intraq; moræ breve tempus, in urbem
Pervenit Æmoniam, poſitiſque e corpore pennis,

Ille. Morpheus.

Æmoniam urbem. Trachina,

In faciem Ceycis abit; formaque ſub illa
Luridus, exanimi ſimilis, ſine veſtibus ullis,
Conjugis ante torum miſeræ ſtetit: Uda videtur
Barba viri, madidiſque gravis fluere unda capillis.
Tum lecto incumbens, fletu ſuper ora profuſo,
Hæc ait: Agnoſcis Ceyca, miſerrima conjux?
An mea mutata eſt facies nece? reſpice, noſces,
Inveniesque; tuo pro conjuge, conjugis umbram.
Nil opis, Halcyone, nobis tua vota tulerunt:
Occidimus, falſo tibi me promittere noli.
Nubilus Ægæo deprendit in æquore navem
Auſter, & ingenti jactatam flamine ſolvit;
Oraque noſtra; tuum fruſtra clamantia nomen,
Implerunt fluctus: Non hæc tibi nuntiat auctor
Ambiguus, non iſta vagis rumoribus audis:
Ipſe ego fata tibi præſens mea naufragus edo.
Surge, age, da lacrymas, lugubriaq; indue: nec me
Indeploratum ſub inania Tartara mitte.
Adjicit his vocem Morpheus, quam conjugis illa
Crederet eſſe ſui, fletus quoque fundere veros
Viſus erat, geſtumque manus Ceycis habebat.

næ, Theſſaliæ (olim Æmoniæ, dicta) oppidum. Sup. num. 16. *Me*. Redituram. Noli ſperare futurum ut me vivum aſpicias.

Ægæo. Eſt illud mare, pars Mediterranei, inter Græciam & Aſiam minorem. *Lugubria*. Veſtimenta. *Manus*. Morphei.

XVIII.

Luget Ceycem Halcyone.

Ingemit Halcyone lacrymans, movit atque lacertos
Per ſomnum, corpuſque petens amplectitur auras,
Exclamatque, Mane, quo te rapis? ibimus una.
Voce ſua, ſpecieque viri turbata, ſoporem
Excutit, & primo ſi ſit circumſpicit illic,
Qui modo viſus erat (nam moti voce miniſtri
Intulerant lumen.) Poſtquam non invenit uſquam,

Percutit ora manu, laniatque a pectore veſtes,
Pectoraque ipſa ferit: nec crines ſolvere curat;
Scindit, & altrici, quæ luctus cauſa roganti,
Nulla eſt Halcyone, nulla eſt, ait: occidit una
Cum Ceyce ſuo: ſolantia tollite verba.
Naufragus interiit: vidi, agnovique, manuſque
Ad diſcendentem, cupiens retinere, tetendi.
Umbra fuit; ſed & umbra tamen manifeſta, virique
Vera mei: non ille quidem, ſi quæris, habebat
Aſſuetos vultus, nec quo prius ore nitebat:
Pallentem nudumque & adhuc humente capillo,
Infælix vidi: ſtetit hoc miſerabilis ipſo
Ecce loco: Et quærit veſtigia ſi qua ſuperſint.
Hoc erat, hoc, animo quod divinante timebam,
Et ne, me fugiens, ventos ſequerere, rogabam.
At certe vellem, quoniam periturus abibas,
Me quoque duxiſſes: fuit, ah! fuit utile, tecum
Ire mihi: neque enim de vitæ tempore quicquam
Non ſimul egiſſem, nec mors diſcreta fuiſſet.
Nunc abſens perii, jactor quoque fluctibus abſens;
Et ſine me, te pontus habet. Crudelior ipſo
Sit mihi mens pelago, ſi vitam ducere nitar
Longius, & tanto pugnem ſupereſſe dolori.
Sed neque pugnabo; nec te, miſerande, relinquam,
Et tibi nunc ſaltem veniam comes, inque ſepulchro
Si non urna, tamen junget nos littera; ſi non
Oſſibus oſſa meis, at nomen nomine tangam.
Plura dolor prohibet, verboque intervenit omni
Plangor, & attonito gemitus a corde trahuntur.
Mane erat: egreditur tectis ad littus, & illum

Altrici. Nutrici, matronæ nobili, comiti honorariæ.

Nullá eſt. Occidi.

Stetit. Locum, ubi umbram viderat, indicat.

Diſcreta. Separata ſimul periſſem.

Abſens. Te pereunte, in quo vivebam, perii.

Pugnem. Coner.

Sed neque pugnabo. Non conabor vincere dolorem, & vitam prorogare.

Urna. Mortuorum cineres in urnis fictilibus, aut marmoreis arculis, condebant.

Littera. Elogium, carmen tumulo inſcriptum.

Plangor. Pectoris percuſſio. Ad ſingula verba pectus ferit manibus.

Dum-

XIX.

Ceyx & Halcyone in aves mutantur.

Mæſta locum repetit, de quo ſpectarat euntem:
Dumque notata locis reminiſcitur acta, fretumque
Proſpicit, in liquida, ſpatio diſtante, tuetur
Neſcio quid, quaſi corpus, aqua; primoque quid illud
Eſſet, erat dubium; poſtquam paulum appulit unda,
Et quamvis aberat, corpus tamen eſſe liquebat:
Quis foret ignorans, quia naufragus, omine mota eſt:
Et, tamquam ignoto lacrymas daret, Heu miſer, inquit,
Quiſquis es, & ſi qua eſt conjux tibi! Fluctibus actum
Fit propius corpus; quod quo magis illa tuetur,
Hoc minus & minus eſt mentis: jam, jamque propinquæ.
Admotum terræ, jam quod cognoſcere poſſet
Cernit: erat conjux. Ille eſt, exclamat, & una,
Ora, comas, veſtem lacerat: tendenſq; trementes,
Ad Ceyca manus, Sic, o cariſſime conjux,
Sic ad me, miſerande, redis? ait. Adjacet undis

Dumque notata &c. Dum recordatur, & ſecum revolvit, quæ facta fuerant, quæ contigerant in Ceycis diſceſſu, quæ omnia diligenter notaverat.

Tuetur. Videt, quamvis procul, neſcio quid corpori ſimile.

Poſtquam &c. Ubi fluctus paulo propius ad littus acceſſit, & cum fluctu, corpus.

Aberat. Paulo longius diſtabat.

Liquebat. Conſtabat. Primo igitur dubium erat, corpus eſſet, necne: deinde patuit eſſe corpus; ſed nondum conſtabat cujus eſſet: quia tamen erat naufragi corpus, cohorruit Halcyone, quia res erat mali ominis.

Omine mota eſt. Ex aſpectu naufragi ſubiit metus, & calamitatis præſagium: cogitatio naufragi conjugis, mentem perculit.

Et ſi qua, &c. O te miſerum, & tuam, ſi quam habes, conjugem!

Hoc minus &c. Tanto minus, minuſque eſt illi mentis: tanto minus eſt ſui compos. Barbare loqui videntur qui verſum hunc ita ediderunt; *Hoc minus & minus*

Et ſæpe in tumulis ſine corpore nomina legi.
Neve tuum fallax animum fiducia tangat,
Quod ſocer Hippotades tibi ſit, qui carcere fortes
Contineat ventos, &, cum velit, æquora placet.
Cum ſemel emiſſi tenuerunt æquora venti,
Nil illis vetitum eſt; incommendataque tellus
Omnis, & omne fretum eſt, cœli quoque nubila vexant,
Excutiuntque feris rutilos concurſibus ignes.
Quo magis hos novi (nam novi, & ſæpe paterna
Parva domo vidi) magis hos reor eſſe timendos.
Quod tua ſi flecti precibus ſententia nullis
Care, poteſt, conjux, nimiumque es certus eundi,
Me quoque tolle ſimul, certe jactabimur una:
Nec, niſi quæ patiar, metuam, pariterque feremus.
Quicquid erit, pariter ſuper æquora lata feremur.

In tumulis. Inanibus ſepulcris, quæ in littore ponebantur, in honorem naufragorum, quorum inveniri cadavera non poterant.

Hippotades. Æolus, Halcyonis pater, Hippotæ nepos, ventorum rex.

Incommendata tellus eſt. Venti nullius commendatione, ac mandatis, moventur, deterrenturque, ne terram, & mare, arbitratu ſuo perturbent. Quæ nobis ſunt commendata, curæ ſunt.

Concurſibus. Præliis inter ſe ſuſceptis.

Ignes. Fulmina.

Paterna. Æoli filiam facit Halcyonem Ovidius; alii diſſentiunt.

Parva. Ego parvula.

Nec niſi &c. Si me relinquis, cogar metuere, multa quæ fortaſſe tecum non paterer.

XII.

Ceyx, maturum reditum uxori pollicitus, committit ſe mari.

Talibus Æolidis dictis, lacrymiſque movetur
Sidereus conjux, neque enim minor ignis in ipſo eſt:

Æolidis. Halcyones, Æoli filiæ.

Sidereus. Ortus Lucifero.

Ignis. Amor. Non minus amat conjugem, quam ab ipſa amatur.

Ti-

Sed neque præpoſitos pelagi dimittere curſus,
Nec vult Halcyonem in partem adhibere pericli;
Multaque reſpondit timidum ſolantia pectus:
Non tamen idcirco cauſam probat: addidit illis
Hoc quoque lenimen, quo ſolo flexit amantem:
Longa quidem eſt nobis omnis mora; ſed tibi juro
Per patrios ignes (ſi me modo fata remittant)
Ante reverſurum, quam luna bis impleat orbem.
His ubi promiſſis ſpes eſt admota recurſus,
Protinus eductam navalibus æquore tingi;
Aptarique ſuis pinum jubet armamentis.
Qua rurſus viſa, veluti præſaga futuri,
Horruit Halcyone, lacrymaſque emiſit obortas,
Amplexuſque dedit, triſtique miſerrima tandem
Ore, vale, dixit, collapſaque corpore toto eſt.
At juvenes, quærente moras Ceyce, reducunt
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos,
Æqualique ictu ſcindunt freta. Suſtulit illa
Humentes oculos, ſtatemque in puppe recurva,
Concuſſaque manu dantem ſibi ſigna maritum,
Prima videt, redditque notas. Ubi terra receſſit

Timidum. Anxiæ & timidæ conjugis.

Non cauſam probat. Non perſuadet uxori, ut aſſentiatur, & æquo animo ferat, ipſum proficiſci: cauſam non vincit.

Patrios ignes. Luciferum.

Recurſus. Reditus velocis.

Navalibus. Navalia, ſunt navium placidæ ſtationes: portus.

Pinum. Navem e pinu factam.

Armamentis. Armamenta ſunt remi, vela, mali, & reliqua ſupellex nautica, quibus navis armatur, & inſtruitur.

Juvenes... Remiges biremem cœperunt in altum promovere.

Quærente moras. Morante, & invito abeunte, ob dolorem conjugis.

Reducunt. Exprimit geſtum remigantium; qui partem remi, quam tenent manu, deprimunt, mox eamdem attollunt, & pectori admovent.

Ordinibus geminis. Remorum.

Dantem ſigna. Salutantem geſtu, & nutibus.

Reddit notas. Eadem complosione manuum, & nutibus, viciſſim illi reſpondet.

Terra receſſit. Navigantibus videntur littora recedere.

Lumi-

Longius, atque oculi nequeunt cognoſcere vultus,
Dum licet, inſequitur fugientem lumine pinum.
Hæc quoq; ut haud poterat, ſpatio ſummota, videri,
Vela tamen ſpectat, ſummo fluitantia malo.
Portubus exierant, & moverat aura rudentes:
Obvertit lateri pendentes navita remos,
Cornuaque in ſumma locat arbore, totaque malo
Carbaſa deducit, venienteſque accipit auras.

Lumine. Oculis.
Hæc quoque &c. Poſtquam ſummota, longo ſpatio interjecto, navis conſpici amplius non potuit.
Exierant, &c. Proceſſerant in altum mare: aſpiravit ventus: depoſitis remis, vela explicuerunt.
Rudentes. Nauticos funes.
Obvertit lateri. Ad latera navis applicat, & quietos tenet, non in æquor extendit.
Cornua. Antennas (quarum extrema duo, vocantur cornua, vel pedes) attollit, in ſummam mali partem, & ex illis vela per totum malum extendit, evolvitque.
Arbore. In ſummo malo.
Carbaſa. Vela e carbaſo, ſeu lino, confecta.

XIII.

Ceyx tempeſtate jactatur.

Aut minus, aut certe medium non amplius æquor
Puppe ſecabatur, longeque erat utraque tellus:
Cum mare ſub noctem tumidis albeſcere cœpit
Fluctibus, & præceps ſpirare valentius Eurus.
Ardua jamdudum demittite cornua, rector
Clamat, & antennis totum ſubnectite velum.
Hic jubet, impediunt adverſæ juſſa procellæ
Nec ſinit audiri vocem fragor æquoris ullam.
Sponte tamen properant alii ſubducere remos.

Medium æquor. Inter Delphos, & Trachinem.
Utraque tellus. Et quam Ceyx petebat, & a qua diſceſſerat.
Rector. Gubernator navis.
Et antennis, &c. Omnia vela colligite, & circum antennas, ſub antennis religate.
Sponte tamen. Quamvis a rectore navis, cujus audire vocem nequeunt, moniti non ſint.
Subducere remos. In tutum recipere.

Mu-

Pars munire latus, pars ventis vela negare.
Egerit hic fluctus, æquorque refundit in æquor:
Hic rapit antennas: quæ dum ſine lege geruntur,
Aſpera creſcit hyems, omnique a parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miſcent:
Ipſe pavet, nec ſe, quis ſit ſtatus, ipſe fatetur
Scire ratis rector, nec quid jubeatve, velitve;
Tanta mali moles, tantoque potentior arte eſt!
Quippe ſonant clamore viri, ſtridore rudentes,
Undarum incurſu gravis unda, tonitribus æther.
Fluctibus erigitur, cœlumque æquare videtur
Pontus, & inductas aſpergine tangere nubes;
Et modo, cum fulvas ex imo verrit arenas,
Concolor eſt illis; Stygia modo nigrior unda:
Sternitur interdum, ſpumiſque ſonantibus albet.
Ipſa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis;
Et nunc ſublimis, veluti de vertice montis
Deſpicere in valles, imumque Acheronta videtur:
Nunc, ubi demiſſam curvum circumſtetit æquor,
Suſcipere inferno ſummum de gurgite cœlum.
Sepe dat ingentem, fluctu latus icta, fragorem:
Nec levius pulſata ſonat, quam ferreus olim
Cum laceras aries, baliſtave, concutit arces.

Munire latus. Ne aqua ſubeat, pice, ſtupa, tabulis, latera navis tutari.

Negare. Illa colligendo.

Egerit. Sentinam exhaurit.

Sine lege. Perturbate.

Hyems. Tempeſtas.

Nec ſe. Fateturque neſcire ſe, quis ſit rerum ſtatus: quo pacto ſtare, ac navim tenere, in tanta procella, poſſit.

Moles. Vis, gravitas.

Incurſu. Conflictu, impetu.

Inductas. Invectas, congeſtas.

Sternitur. Planum & æquale eſt.

His agitur vicibus. His mutationibus agitatur.

Trachynia. Ceycis, qui rex erat Trachinis. Supra, 10.

Acheronta. Inferos, quorum fluvius Acheron.

Latus icta. Per latus; a latere percuſſa.

Aries. Machina bellica: trabs ingens, cujus caput ferro præfixum, erat inſtar capitis arietini. Hæc impingebatur, & incutiebatur, muris, eoſque disjiciebat.

Baliſta. Machina, quæ ſaxa vel ſagittæ torquebantur.

Sum-

Utque ſolent, ſumptis in curſu viribus, ire
Pectore in arma feri, protentaque tela, leones.
Sic, ubi ſe ventis commiſerat unda coortis,
Ibat in arma ratis, multoque erat altior illis.
Jamque labant cunei, ſpoliataque tegmine ceræ
Rima patet, præbetque viam letalibus undis.
Ecce cadunt largi reſolutis nubibus imbres,
Inque fretum credas totum deſcendere cœlum,
Inque plagas cœli tumefactum aſcendere pontum.
Vela madent nimbis; & cum cœleſtibus undis
Æquoreæ miſcentur aquæ, caret ignibus æther,
Cæcaque nox premitur tenebris hyemiſque ſuiſque:
Diſcutiunt tamen has, præbentque minantia lumen
Fulmina, fulmineis ardeſcunt ignibus undæ.

Sumptis in curſu viribus Prævio impetu robur augentes.
Pectore. Obvio, oppoſito pectore.
Arma. Venabula.
Protenta. Objecta, adverſa.
Sic &c. Sic unda, ventis conjuncta, & agitata, incurrebat in armamenta, & munimenta navis.
Commiſerat. Conjunxerat: pellendam jactandamque permiſerat.
Erat altior illis. Unda erat altior armamentis nauticis, navim operiebat.
Cunei. Ligna quæ committunt navis tabulas; unci ferrei. Lib. XIII. n. 20.
Ceræ. Cera obturantur navium rimæ, vel potius, pice, ſtupa, muſco, &c.
Plagas. Regionem.
Ignibus. Stellis. Nullæ apparent, quæ regant curſum, ac tenebras diſpellant, ſtellæ. *Hyemis*. Procellæ.
Suis. Nocturnis.

X I V.

Navi fluctibus obruta, Ceyx perit.

Dat quoque jam ſaltus intra cava texta carinæ
Fluctus; &, ut miles numero præſtantior omni
Cum ſæpe aſſiliit defenſæ mœnibus urbis;
Spe potitur tandem, laudiſque accenſus amore,
Inter mille viros murum tamen occupat unus:
Sic, ubi pulſarunt celſi latera ardua fluctus,

Dat ſaltus... Inſilit in navim fluctus.
Numero, &c. Cæteris militibus fortior aliquis, &

Vaſtius inſurgens decimæ ruit impetus undæ;
Nec prius obſiſtit feſſam oppugnare carinam,
Quam, velut in captæ deſcendat mœnia navis.
Pars igitur tentabat adhuc invadere pinum,
Pars maris intus erat: trepidant haud ſegnius omnes,
Quam ſolet urbs, aliis murum fodientibus extra,
Atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus,
Deficit ars, animique cadunt, totidemque videntur
Quot veniunt fluctus, ruere, atque irrumpere
mortes.
Non tenet hic lacrymas, ſtupet hic, vocat ille
beatos,
Funera quos maneant; hic votis numen adorat,
Brachiaq; ad cœlum, quod non videt, irrita tollens
Poſcit opem: ſubeunt illi fraterque, parenſque;
Huic cum pignoribus domus, & quod cuique re-
lictum eſt.
Halcyone Ceyca movet, Ceycis in ore
Nulla niſi Halcyone eſt, & cum deſideret unam,
Gaudet abeſſe tamen; patriæ quoque vellet ad oras
Reſpicere, inque domum ſupremos vertere vultus:
Verum ubi ſit neſcit; tanta vertigine pontus
Fervet, & inducta piceis e nubibus umbra,

& audacior.

Decimæ ... Fluctum decumanum cæteris majorem, eumdemque exitialem eſſe, nautarum vox conſentiens affirmat. Hinc etiam uſus obtinuit, ut maxima quæque decumana vocitentur. Ratio petitur a numero denario, qui perfectiſſimus, & ſummus, quippe quo abſoluto, reditur ad unitatem.

Pars igitur ... Fluctuum.

Quam ſolet, *&c.* Ordo verborum eſt: Tam omnes trepidant, quam ſolet urbs trepidare, aliis hoſtibus obſidentibus, & murum effodientibus; aliis jam illum tenentibus, ideſt introgreſſis, & eo potitis.

Hic. Aliquis vector, nauta quilibet.

Funera quos maneant. Qui funeris, & ſepulturæ honore gaudeant, quem expectare naufragi non poſſunt.

Subeunt. Occurrunt alterius animo, memoriæ.

Huic ... Alteri ſua domus, & liberi occurrunt: illorum recordatur.

Quod quique &c. Reminiſcitur quiſque earum rerum, quas reliquit, cum ſe commiſit mari.

Vertigine. Agitatione.

Ar.

X V.

Halcyone pro viro fruſtra Junoni ſupplicat. Somni & Somniorum domus.

Æolis interea tantorum ignara malorum
Dinumerat noctes, & jam, quas induat ille,
Feſtinat veſtes; jam quas, ubi venerit ille,
Ipſa gerat, reditusque ſibi promittit inanes.
Omnibus illa quidem Superis pia thura ferebat;
Ante tamen cunctos Junonis templa colebat,
Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras.
Utque foret ſoſpes conjux ſuus, utque rediret,
Optabat, nullamque ſibi præferret. At illi
Hoc de tot votis poterat contingere ſolum.
At Dea non ultra, pro functo morte, rogari
Suſtinet; utque manus funeſtas arceat aris;
Iri, meæ, dixit, fidiſſima nuncia vocis,
Viſe ſoporiferam Somni velociter aulam,
Extinctique jube Ceycis imagine mittat
Somnia ad Halcyonem, veros narrantia caſus.
Dixerat: induitur velamina mille colorum
Iris; & arquato cœlum curvamine ſignans,
Tecta petit juſſi ſub rupe latentia regis.

Æolis. Halcyone. *Feſtinat*. Propere viro, & ſibi, parat. *Veſtes*. Ornatiores ſcilicet, ſignificandæ lætitiæ: conjuge, ut ſperat, reverſuro. *Junonis*. Quia Juno matrimoniis præſidebat: unde Pronuba vocabatur. *At illi &c.* Tria poſcebat Junonem Halcione, unum, ut ſalvus eſſet Ceyx, alterum, ut rediret domum: tertium, ut nullo amore alieno implicatus teneretur: hoc poſtremum dumtaxat illi concedi potuit: in fatis enim erat ut naufragio Ceyx periret. *Functo morte*. Extincto Ceyce. *Funeſtas*. Quas ſupplices pro mortuo tendebat. *Iri*. Junonis eſt nuntia. *Arquato*. In arcus morem facto. Per arcum cœleſtem Iris deſcendere ad terras fingebatur. Nonius arcuum admonet ſcribi oportere, cum iridem ſignificat. Multi veteres libri *Arcuato*, vel *Arcato*, ſcribunt. *Juſſi regis*. Somni, quem adire juſſa erat a Junone.

Cim-

Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu,
Mons cavus, ignavi domus, & penetralia Somni.
Quo nunquam radiis oriens, mediuſve, cadenſve,
Phœbus adire poteſt: nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuſcula lucis.
Non vigil ales ibi criſtati cantibus oris
Evocat auroram, nec voce ſilentia rumpunt
Sollicitive canes, canibuſve ſagacior anſer:
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæve ſonum reddunt convicia linguæ.
Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes, per quem cum murmure labens
Invitat ſomnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.
Janua ne verſo ſtridorem cardine reddat,
Nulla domo tota eſt; cuſtos in limine nullus;
At medio torus eſt, ebeno ſublimis in antro.

Cimmerios. Cimmerii prope Pontum Euxinum habitarunt regionem caliginoſam, ob ſilvas frequentes, & pruinas. Alii ejuſdem nominis in Italia fuere prope lacum Avernum, cavernis, aut obſcuris vallibus, abditi interdiu, unde niſi noctu non prodibant.

Dubiæ &c. Quæ lucem malignam efficiunt, qualis in crepuſculo cernitur. Libro I. num. 9.

Vigil ales. Gallus.

Anſer. Lib. II. num. 13. Romani olim anſerum vocibus excitati, canibus ſopitis & tacentibus, Capitolium contra Gallos tutati ſunt. Liv. Lib. V.

Humanæ &c. Non illic reſonant convicia humanæ linguæ. Lib. V. n. 17.

Saxo. Ex ima rupe, in qua Somni eſt domus; oritur rivus, ab amne inferorum Lethe ductus.

Lethes. Ea vox Græca ſonat oblivionem: hanc ſomnus inducit. Lib. VII. n. 3.

Fœcunda. Quæ facile proveniunt. Eadem ad ſomnum conciliandum valent.

Herbæ. Soporiferæ. Illis vulgo ineſt ſuccus albus, & lacti ſimilis, v. gr. ſoncho. Eas nox colligere & ſpargere dicitur, quia ſomnos conciliant.

Ebeno ſublimis. Cujus pedes, & fulcra alta, conſtant ex ebeno; arbor eſt nigra: qui color ſomno idoneus. Nihil videtur mutandum, quamlibet Heinſius ſe torqueat, ac verſum Ovidianum deformet: *In medio antro eſt lectus ebeno ſublimis:* ideſt, altus, & ebeninus.

Quid

Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipſe Deus, membris languore ſolutis:
Hunc circa paſſim, varias imitantia formas
Somnia vana jacent, totidem, quot meſſis ariſtas;
Silva gerit frondes, ejectas littus arenas.

Quid apertius? Neque opus eſt ſubſtituere *atricolor*, pro *unicolor*, quæ vox occurrit in ſequenti verſu: ſenſus enim eſt, unius coloris totum fuiſſe lectum, pedes, ſpondam, veſtes: nempe atri.

X V I.

Iris a Junone miſſa Somnum admonet, ut Halcyonem doceat de conjugis nece.

Quo ſimul intravit, manibuſque obſtantia virgo
Somnia dimovit, veſtis fulgore reluxit
Atra domus, tardaque Deus gravitate jacentes
Vix oculos tollens, iterumque, iterumque relabens,
Summaque percutiens nutanti pectora mento,
Excuſſit tandem ſibi ſe, cubitoque levatus,
Quid veniat (cognovit enim) ſcitatur, at illa,
Somne, quies rerum, placidiſſime Somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparaſque labori:
Somnia, quæ veras æquent imitamine formas,
Herculea Trachine jube, ſub imagine regis,
Halcyonem adeant, ſimulacraque naufraga fingant:
Imperat hoc Juno. Poſtquam mandata peregit.
Iris, abit: neque enim ulterius tolerare ſoporis
Vim poterat, labique, ut ſomnum ſenſit in artus,
Effugit, & remeat per quos modo venerat, arcus.

Summa pectora. Summam pectoris partem, in quam mentum identidem recidebat, ut dormitantibus accidit.

Excuſſit ſibi ſe. Se collegit; ſoporem diſcuſſit.

Cognovit enim. Subaudi, Irim adeſſe.

Imitamine. Imitando.

Herculea Trachine. Jube, ut Somnia rebus ipſis ſimillima, conveniant Halcyonem, degentem in urbe Herculea, cognomento Trachine. Erit illa in Theſſalia, ad ſinum Maliacum: olim ab Hercule condita. Supr. n. 9.

Regis. Ceycis, regis Trachinis.

Pax

At pater e populo natorum mille ſuorum
Excitat artificem; ſimulatoremque figuræ,
Morphea: non illo juſſos ſolertius alter
Exprimit inceſſus, vultumque, modumq; loquendi.
Adjicit & veſtes, & conſuetiſſima cuique
Verba. Sed hic ſolos homines imitatur; at alter
Fit fera; fit volucris, fit longo corpore ſerpens:
Hunc Icelon Superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. Eſt etiam diverſæ Tertius artis
Phantaſos, ille in humum, ſaxumq; undamq; trabemq;
Quæque vacant anima: fallaciter omnia tranſit.
Regibus hi; ducibuſque ſuos oſtendere vultus
Nocte ſolent: populos alii, plebemque pererrant.
Præterit hos ſenior; cunctiſque e fratribus unum
Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus
Eligit; & rurſus molli languore ſolutus;
Depoſuitque caput, ſtratoque recondidit alto.

Pater. Somnus.

Morphea. Morpheus, Græca dictio, ſignificat formarum artifices a μορφὴ, *forma, ſpecies.*

Alter fit fera. Alter, ſive ſecundum e præcipuis Somni filiis, cui nomen Icelus, imitatur belluarum formas.

Icelon. Ea vox Græca ſimilem ſonat.

Phobetora. Phobetor Græcis eſt, territator, qui terret.

Tertius. Filius Somni.

Phantaſos. Imaginum fictor, ut Græcum vocabulum indicat. Phantaſia, vis imaginandi: a Græco φαντάζομαι *imaginor*, *informor*.

Vacant. Carent. Morpheus, igitur homines & humana tantum ſimulat: Icelus, ſeu Phobetor, feras & animantes: Phantaſos, inanima.

Fallaciter. Quia non res ipſas, ſed earum imaginem & umbram exhibet. Male intrudunt nonnulli: *fæliciter*.

Hi. Tres nominati.

Edita. Mandata.

Thaumantidos. Iridis. Lib. IV. num. 5.

Strato. Cubili.

X V I I.

Morpheus extinctum Ceycem uxori in ſomnis repræſentat.

Ille volat, nullos ſtrepitus facientibus alis,
Per tenebras, intraq; moræ breve tempus in urbem
Pervenit Æmoniam, poſitiſque e corpore pennis,

Ille. Morpheus.

Æmoniam urbem. Trachina.

In faciem Ceycis abit, formaque ſub illa
Luridus, exanimi ſimilis, ſine veſtibus ullis,
Conjugis ante torum miſeræ ſtetit: Uda videtur
Barba viri, madidiſque gravis fluere unda capillis.
Tum lecto incumbens, fletu ſuper ora profuſo,
Hæc ait: Agnoſcis Ceyca, miſerrima conjux?
An mea mutata eſt facies nece? reſpice, noſces,
Inveniesque; tuo pro conjuge, conjugis umbram.
Nil opis, Halcyone, nobis tua vota tulerunt:
Occidimus, falſo tibi me promittere noli.
Nubilus Ægæo deprendit in æquore navem
Auſter, & ingenti jactatam flamine ſolvit;
Oraque noſtra; tuum fruſtra clamantia nomen,
Implerunt fluctus. Non hæc tibi nuntiat auctor
Ambiguus, non iſta vagis rumoribus audis:
Ipſe ego fata tibi præſens mea naufragus edo.
Surge, age, da lacrymas, lugubriaq; indue: nec me
Indeploratum ſub inania Tartara mitte.
Adjicit his vocem Morpheus, quam conjugis illa
Crederet eſſe ſui, fletus quoque fundere veros
Viſus erat, geſtumque manus Ceycis habebat.

næ, Theſſaliæ (olim Æmoniæ, dicta,) oppidum. Sup. num. 16.

Me. Rediturum. Noli ſperare futurum ut me vivum aſpicias.

Ægæo. Eſt illud mare, pars Mediterranei, inter Græciam & Aſiam minorem.

Lugubria. Veſtimenta.

Manus. Morphei.

XVIII.

Luget Ceycem Halcyone.

Ingemit Halcyone lacrymans, movit atque lacertos
Per ſomnum, corpuſque petens amplectitur auras,
Exclamatque, Mane; quo te rapis? ibimus una.
Voce ſua, ſpecieque viri turbata, ſoporem
Excutit, & primo ſi ſit circumſpicit illic,
Qui modo viſus erat (nam moti voce miniſtri
Intulerant lumen.) Poſtquam non invenit uſquam,

Percutit ora manu, laniatque a pectore veſtes,
Pectoraque ipſa ferit: nec crines ſolvere curat;
Scindit, & altrici, quæ luctus cauſa roganti,
Nulla eſt Halcyone, nulla eſt, ait: occidit una
Cum Ceyce ſuo: ſolantia tollite verba.
Naufragus interiit: vidi, agnovique, manuſque
Ad diſcendentem, cupiens retinere, tetendi.
Umbra fuit; ſed & umbra tamen manifeſta, virique
Vera mei: non ille quidem, ſi quæris, habebat
Aſſuetos vultus, nec quo prius ore nitebat:
Pallentem nudumque & adhuc humente capillo,
Infælix vidi: ſtetit hoc miſerabilis ipſo
Ecce loco: Et quærit veſtigia ſi qua ſuperſint.
Hoc erat, hoc, animo quod divinante timebam,
Et ne, me fugiens, ventos ſequerere, rogabam.
At certe vellem, quoniam periturus abibas,
Me quoque duxiſſes: fuit, ah! fuit utile, tecum
Ire mihi: neque enim de vitæ tempore quicquam
Non ſimul egiſſem, nec mors diſcreta fuiſſet.
Nunc abſens perii, jactor quoque fluctibus abſens;
Et ſine me, te pontus habet. Crudelior ipſo
Sit mihi mens pelago, ſi vitam ducere nitar
Longius, & tanto pugnem ſupereſſe dolori.
Sed neque pugnabo; nec te, miſerande, relinquam,
Et tibi nunc ſaltem veniam comes, inque ſepulchro
Si non urna, tamen junget nos littera; ſi non
Oſſibus oſſa meis, at nomen nomine tangam.
Plura dolor prohibet, verboque intervenit omni
Plangor, & attonito gemitus a corde trahuntur.
Mane erat: egreditur tectis ad littus, & illum

Altrici. Nutrici, matronæ nobili, comiti honorariæ.

Nulla eſt. Occidi.

Stetit. Locum, ubi umbram viderat, indicat.

Diſcreta. Separata ſimul periſſem.

Abſens. Te pereunte, in quo vivebam, perii.

Pugnem. Coner.

Sed neque pugnabo. Non conabor vincere dolorem, & vitam prorogare.

Urna. Mortuorum cineres in urnis fictilibus, aut marmoreis arculis, condebant.

Littera. Elogium, carmen tumulo inſcriptum.

Plangor. Pectoris percuſſio. Ad ſingula verba pectus ferit manibus.

Dum-

X I X.

Ceyx & Halcyone in aves mutantur.

Mæſta locum repetit, de quo ſpectarat euntem:
Dumque notata locis reminiſcitur acta, fretumque
Proſpicit, in liquida, ſpatio diſtante, tuetur
Neſcio quid, quaſi corpus, aqua; primoque quid illud
Eſſet, erat dubium; poſtquam paulum appulit unda,
Et quamvis aberat, corpus tamen eſſe liquebat:
Quis foret ignorans, quia naufragus, omine mota eſt:
Et, tamquam ignoto lacrymas daret, Heu miſer, inquit,
Quiſquis es, & ſi qua eſt conjux tibi! Fluctibus actum
Fit propius corpus; quod quo magis illa tuetur,
Hoc minus & minus eſt mentis: jam, jamque propinquæ.
Admotum terræ, jam quod cognoſcere poſſet
Cernit: erat conjux. Ille eſt, exclamat, & una,
Ora, comas, veſtem lacerat: tendenſq; trementes,
Ad Ceyca manus, Sic, o cariſſime conjux,
Sic ad me, miſerande, redis? ait. Adjacet undis

Dumque notata &c. Dum recordatur, & ſecum revolvit, quæ facta fuerant, quæ contigerant in Ceycis diſceſſu, quæ omnia diligenter notaverat.

Tuetur. Videt, quamvis procul, neſcio quid corpori ſimile.

Poſtquam &c. Ubi fluctus paulo propius ad littus acceſſit, & cum fluctu, corpus.

Aberat. Paulo longius diſtabat.

Liquebat. Conſtabat. Primo igitur dubium erat, corpus eſſet, necne: deinde patuit eſſe corpus; ſed nondum conſtabat cujus eſſet: quia tamen erat naufragi corpus, cohorruit Halcyone, quia res erat mali ominis.

Omine mota eſt. Ex aſpectu naufragi ſubiit metus, & calamitatis præſagium: cogitatio naufragi conjugis, mentem perculit.

Et ſi qua, &c. O te miſerum, & tuam, ſi quam habes, conjugem!

Hoc minus &c. Tanto minus, minuſque eſt illi mentis: tanto minus eſt ſui compos. Barbare loqui videntur qui verſum hunc ita ediderunt; *Hoc minus & minus*

Facta manu moles, quæ primas æquoris iras
Frangit, & incurſus, quæ prædelaſſat aquarum.
Inſilit huc: mirumque fuit potuiſſe, volabat:
Percutienſque levem modo natis aera pennis,
Stringebat ſummas ales miſerabilis undas.
Dumq; volat mœſto ſimilem, plenumque querelæ
Ora dedere ſonum tenui crepitantia roſtro.
Ut verò tetigit mutum, & ſine ſanguine corpus,
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida nequicquam duro dedit oſcula roſtro.
Senſerit hoc Ceyx, an vultum motibus undæ
Tollere ſit viſus, populus dubitabat; at ille
Senſerat: & tandem, Superis miſerantibus, ambo
Alite mutantur: fatis obnoxius iiſdem
Manſit amor, fœdus nec conjugale ſolutum.
Perque dies placidos hyberno tempore ſeptem
Incubat Halcyone pendentibus æquore nidis.
Tum via tuta maris: ventos cuſtodit, & arcet
Æolus egreſſu, præſtatque nepotibus æquor.

eſt amens ſua.

Moles. Lapidum ſtrues, arcendis fluctibus oppoſita.

Prædelaſſat. Antefrangit, laſſatque fluctus, quam in portum ferantur.

Mirumque. Mirum fuit eam in hanc inſilire molem potuiſſe. Quid mirum autem? ſiquidem volabat, in avem novam mutata.

An vultum &c. Dubitabat populus an ſenſiſſet Ceyx vicinam conjugem; an, unda movente corpus, & attollente, crexiſſet caput.

Perque dies. Halcyones hyeme nidificant in medio mari, quod tunc tranquillum eſt: ſeptem diebus ante brumam, quæ in diem 20. Decembris incidit, & ſeptem, poſt brumam: qui dies a nautis vocantur Halcyonei.

Arcet egreſſu. Vetat ne egrediantur carcere.

Præſtat. Tutum reddit.

Nepotibus. Pullis Halcyones, quæ Æoli filia.

X X.

Æſacus in mergum.

Hos aliquis ſenior circum freta lata volantes
Spectat, & ad finem ſervatos laudat amores.
Proximus, aut idem, ſi ſors tulit, Hic quoque dixit,

Proximus. Aliquis alius, huic ſeniori Halcyones laudanti aſſidens, & adſtans, aut idem etiam ſenior, dixit oſten-

Quem mare carpentem, ſubſtrictaq; crura gerentem
Aſpicis (oſtendens ſpatioſum in guttura mergum)
Regia progenies, &, ſi deſcendere ad ipſum
Ordine perpetuo quæris, ſunt hujus origo
Ilus, & Aſſaracus, raptuſque Jovi Ganymedes,
Laomedonque ſenex, Priamuſque noviſſima Trojæ
Tempora ſortitus. Frater fuit Hectoris iſte,
Qui niſi ſenſiſſet prima nova fata juventa,
Forſitan inferius non Hectore nomen haberet;
Quamvis eſt illum proles enixa Dymantis,
Æſacon umbroſa furtim peperiſſe ſub Ida
Fertur Alexithoe, Granico nata bicorni.
Oderat hic urbes, nitidaque remotus ab aula,
Secretos montes, & inambitioſa colebat
Rura, nec Iliacos cœtus, niſi ratus, adibat.

oſtendens mergum: Hic quoque mergus, quem cernitis, fuit regia progenies.

Mare carpentem. Identidem mari ſe immergentem: ſummas aquas delibantem.

Subſtricta. Exilia: alta.

Spatioſum in guttura. Collo longiore præditum.

Si deſcendere &c. Si ejus originem a capite repetas, recenſendo ejus majores, donec ad ipſum pervenias: reperies illum ab Ilo, Aſſaraco, &c. oriundum eſſe.

Ilus. Aſſaracus, Ganymedes: Trois filii. Laomedon, Ili filius, pater Priami.

Noviſſima: Ultima. Priamus, qui pauloante exitum Trojæ vixit: qui ultima Trojæ tempora attigit.

Iſte. Mergus modo: olim Æſacus, frater fuit Hectoris: Priami filius.

Qui niſi &c. Niſi novam figuram induiſſet, ineunte adoleſcentia, fortaſſe æquaſſet ipſum Hectorem artis bellicæ gloria; quamvis Hector Hecubæ filius, & reginam ſortitus fuerit matrem; Æſacus, ignobili matre genitus eſſet, nempe Alexithoe.

Nomen. Gloriam bellicæ fortitudinis.

Illum: Hectorem.

Proles Dymantis. Hecuba, Dymantis filia: Ciſſei filiam Virgilius facit.

Furtim. Furto, ideſt, non legitima Venere, genitum.

Granico nata bicorni. Granicus, ex quo nata fertur iſta nympha, eſt minoris Aſiæ fluvius, ex Ida monte profluens in Propontidem: apud quem Alexander cum triginta quinque millibus Græcorum, ſexcenta Perſarum millia delevit.

Bicorni: Qui duplici oſtio prorumpit in mare.

Aſpicit Heſperien patria Cebrenida ripa
Injectos humeris ſiccantem ſole capillos.
Viſa fugit nymphe, veluti perterrita fulvum
Cerva lupum, longeque lacu deprenſa relicto
Accipitrem fluvialis anas: quam Troius heros
Inſequitur, celeremque metu, celer urget amore.
Ecce latens herba coluber fugientis adunco
Dente pedem ſtrinxit, viruſque in corpore liquit.
Cum vita ſuppreſſa fuga eſt. Amplectitur amens
Exanimen, clamatque, Piget, piget eſſe ſecutum:
Sed non hoc timui; neque erat mihi vincere tanti.
Perdidimus miſeram nos te duo: vulnus ab angue,
A me cauſa data eſt; ego ſim ſceleratior illo,
Ni tibi morte mea mortis ſolatia mittam.
Dixit, & e ſcopulo, quem rauca ſubederat unda,
Decidit in pontum. Tethys miſerata cadentem
Molliter excepit, nantemque per æquora pennis
Texit, & optatæ non eſt data copia mortis.
Indignatur amans invitum vivere cogi,
Obſtarique animæ miſera de ſede volenti
Exire: utque novas humeris aſſumpſerat alas,
Subvolat, atque iterum corpus ſuper æquora mittit;
Pluma levat caſus: furit Æſacus, inque profundum

Cebrenida. Filiam Cebreni, fluvii Troadis, a quo vicina regio Cebrenia nomen habet.

Patria ripa. In ripis patris ſui Cebreni.

Longeque. Heſperien fugit Æſacum, ut anas a lacu remota, accipitrem.

Lacu relicto. Anates accipitrem effugiunt, eluduntque, mergendo ſe in aquas. Itaque patent ejus inſidiis: cum a lacu, ab aquis, abſunt.

Quam. Heſperien.

Trojus heros. Æſacus.

Suppreſſa. Inhibita, finita.

Non hoc timui &c. Ne anguis pedem tibi admorderet: neque hoc pretio te aſſequi voluiſſem, ut tibi cauſa mortis forem.

Nos duo. Ego, & ſerpens. Anguis dedit vulnus; ego vulneris cauſam.

Quem, &c. Aquis ſublabentibus adeſo.

Copia. Facultas.

Indignatur, &c. Æſacus dolet quod vivere cogatur: quod ſibi mors negetur.

Miſera de ſede. Corpore.

Super æquora. In Mare.

Levat caſus. Suſtinet cadentem.

Le-

Pronus abit, letique viam ſine fine retentat.
Fecit amor maciem: longa internodia crurum,
Longa manet cervix, caput eſt a corpore longe.
Æquor amat, nomenque tenet, quia mergitur illo.

Letique &c. Undis mergi uſque, uſque tentat, ut pereat.

Internodia. Internodium dicitur ſpatium inter duos nodos: duo ſunt quaſi nodi in cruribus: alter prope pedem, alter in ipſo genu: ſpatium utroque incluſum nodo, longum & gracile mergis ineſt.

Nomen, &c. Mergus a mergendo dictus eſt.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER DUODECIMUS.

SYNOPSIS.

Belli Trojani diuturnitatem ſerpens volucres devorans ſignificat; qui mutatur in ſaxum. Cerva mactatur in locum Iphigeniæ. Bellum Trojanum Orbi nunciat Fama. Ejus domus. Cycnus ab Achille victus in avem cognominem vertitur: Cæneus & Periclymenus, in volucres. Neſtor pugnam Lapitharum cum Centauris narrat.

I.

Græci conſpirant de Troja evertenda. Draco in ſaxum mutatur.

Neſcius aſſumptis Priamus pater Æſacon alis
Vivere, lugebat tumulo quoq; nomen habenti
Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.
Defuit officio Paridis præſentia triſti:
Poſtmodo qui rapta longum cum conjuge bellum
Attulit in patriam, conjuratæque ſequuntur
Mille rates, gentiſque ſimul commune Pelaſgæ.

Æſacon. Lib. XI. nu.20. *Nomen habenti.* Inani tumulo, in quo legebatur Æſaci nomen. Conſueverant veteres tumulum vacuum componere, in eorum gratiam, quorum inveniri corpora, ſeu oſſa, non poterant, quod perſuaſum haberent animas non poſſe tranſmittere flumina inferorum, niſi corporibus quoquo modo ſepultis. Ejuſmodi tumulum vocabant cenotaphium, ſive imaginarium, aut honorarium ſepulchrum.

Inferias. Sacrificia in honorem mortuorum, ſepulcris inferri ſolita.

Inanes. Vitam mortuo non reddituras.

Defuit. Paris non adfuit cum juſta Æſaco fierent. In Græciam erat profectus, ubi Helenam Menelao rapuit.

Poſtmodo. Poſtea.

Patriam. Trojam.

Rates. Græcorum, Helenam repetentium.

Commune gentis Pelaſga.

Nec dilata foret indiĉta, niſi æquora ſævi
Invia feciſſent venti, Bœotaque tellus
Aulide piſcoſa puppes tenuiſſet ituras.
Hic, patrio de more, Jovi cum ſacra paraſſent,
Ut vetus accenſis incanduit ignibus ara:
Serpere cæruleum Danai videre draconem
In platanum, cœptis quæ ſtabat proxima ſacris.
Nidus erat volucrum bis quatuor arbore ſumma,
Quas ſimul, & matrem circum ſua damna volantem
Corripuit ſerpens, avidaque recondidit alvo.
Obſtupuere omnes. At veri providus augur
Theſtorides, Vincemus, ait, gaudete Pelaſgi,
Troja cadet: ſed erit noſtri mora longa laboris:
Atque novem volucres in belli digerit annos.
Ille, ut erat virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis, & ſervat ſerpentis imagine ſaxum.

Græcia, communi conſilio, & junĉtis in unum viribus, colleĉta. Commune idem aliquando ſignificat quod reſpublica, gens, regio.

Pelaſga. Pelaſgi, Theſſaliæ populus, pro Græcis univerſis vulgo accipiuntur.

Aulide. Portus Bœotiæ Aulis erat, in quo claſſis Græca, ventos faventes operiens, diu morata eſt.

Incanduit. Arſit.

Platanum. Arborem.

Sacris. Sacrificio.

Sua damna. Pullos pereuntes.

Theſtorides. Calchas, filius Theſtoris.

Atque &c. Diſtribuit Calchas volucres novem, in totidem annos belli: tot annis bellum affirmat duraturum, quot volucres fuerunt a dracone devorati. Homer. Lib. II. Iliad. *Ille*. Serpens.

Servat, &c. Servat in ſaxo ſerpentis imaginem. Hypallage. Explicatur hæc figura. Lib. I. num. I.

II.

Diana cervam in locum Iphigeniæ maĉtandæ ſubjicit.

Permanet Aoniis Nereus violentus in undis,
Bellaque non transfert; & ſunt, qui parcere Trojæ

Permanet, &c. Stat adhuc mare impacatum: Bœotiæ (cujus Aonia eſt pars) littora procellis æſtuant, nec patiuntur Græcos bellum, & copias in Troadem transportare.

Neptunum credant, quia mœnia fecerat urbis:
At non Theſtorides; neque enim neſcitve, tacetve,
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Eſſe Deæ. Poſtquam pietatem publica cauſa,
Rexque patrem vicit, caſtumque datura cruorem,
Flentibus ante aram ſtetit Iphigenia miniſtris:
Victa Dea eſt, nubemque oculis objecit, & inter
Officium, turbamque ſacri, voceſque precantum,
Suppoſita fertur mutaſſe Mycenida cerva.

Fecerat. Supra, Lib. XI. num. 8.

At non Theſtorides. Subaudi, id credit.

Sanguine, &c. Agamemnon, cum apud Aulidem reliquos Græciæ principes expectaret, ſacram Dianæ cervam imprudens occidit. Irata Dea, tempeſtatibus excitatis, moram claſſi Græcorum injiciebat: hanc placandam Calchas reſpondit nece Iphigeniæ, filiæ Agamemnonis. Aliam immolandæ Iphigeniæ cauſam affert Cicero III. Offic. *Cum*, inquit, *devoviſſet Agamemnon Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno, immolavit Iphigeniam*.

Poſtquam, &c. At poſtquam tandem decrevit Agamemnon filiam ſuam immolare, ac majorem publicæ utilitatis, quam paterni amoris, habere rationem.

Rexque &c. Poſtquam ſtatuit regio nomini ac muneri potius ſatisfacere, quam caritati patris erga filiam, indulgere.

Flentibus. Narrat Tullius in Oratore, Timantem pictorem, cum eos qui aderant huic immolationi, Calchantem v. g. Ulyſſem, & Menelaum, mœſtos, flenteſque, pinxiſſet, caput Agamemnonis obvolviſſe, quoniam ſummum illum luctum penicillo imitari non poterat.

Victa. Mota eſt commiſeratione.

Mycenida. Iphigeniam, Mycenis oriundam Mycenæ urbs Peloponneſi, Agamemnonis regia.

Cerva. Diana cervam ſubſtituit in locum Iphigeniæ Quid ea factum ſit, explicatur fuſius in Appendice, cap. 26.

III.

Fama bellum Trojanum Orbi nuntiat: Fama domus.

Ergo ubi, qua decuit, lenita eſt cæde Diana,
Et pariter Phœbes, pariter maris ira receſſit:

Qua decuit cæde. Morte cervæ, quam decebat immolari potius, quam Iphigeniam. *Phœbes*. Dianæ.

Tri-

Accipiunt ventos a tergo mille carinæ,
Multaque perpeſſæ Phrygia potiuntur arena.
Orbe locus medio eſt, inter terraſque fretumque,
Cœleſteſque plagas, triplicis confinia mundi:
Unde quod eſt uſquam, quamvis regionibus abſit,
Inſpicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures.
Fama tenet, ſummaque domum ſibi legit in arce;
Innumeroſque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis incluſit limina portis.
Nocte, dieque patet, tota eſt ex ære ſonanti,
Tota fremit, voceſque refert, iteratque quod audit:
Nulla quies intus; nullaque ſilentia parte:
Nec tamen eſt clamor, ſed parvæ murmura vocis:
Qualia de pelagi (ſi quis procul audiat) undis
Eſſe ſolent; qualemve ſonum, cum Jupiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet; veniunt leve vulgus, euntque,
Miſtaque cum veris paſſim commenta vagantur
Millia rumorum, confuſaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent ſermonibus aures;
Hi narrata ferunt alio, menſuraque ficti
Creſcit, & auditis aliquid novus adjicit auctor.
Illic Credulitas, illic temerarius Error,

Triplici &c. Qui locus eſt in finibus terræ, cœli, & maris; quæ tres mundi partes ſunt. Vel, in limitibus trium orbis partium tunc cognitarum, nempe Europæ, Aſiæ, & Africæ.

Quod eſt uſquam. Quicquid ubique locorum geritur.

Regionibus. Longo locorum intervallo.

Ad aures. Fama, quæ locum hunc tenet, ideſt, habitat: & ejus familiæ.

Ex ære. Æs enim, ſi tangatur, multum reſonat, ac facile vocem, lateque, ſpargit, ſonoro fremitu. Sic fama late ſonat, audita reciprocat, inque alias,& alias aures diffundit. Non aſſequor quid ſibi velit Heinſius cum ſuo illo *Tota eſt ex aure ſonanti*. Quis enim domum ex auribus conſtare dixerit?

Increpuit. Concuſſit.

Extrema. Languentia, & deſinentia.

Turba. Famam potiſſimum facit multitudo, & vulgus.

Leve vulgus. Rumores, commenta, fabulæ.

Ferunt alio. Narrant aliis.

Menſura ficti creſcit. Res fictæ augentur, & amplificantur.

Novus auctor. Is qui rem auditam narrat,

Vanaque Lætitia eſt, conſternatique Timores,
Seditioque recens, dubioque auctore Suſurri.
Ipſa quid in cœlo rerum, pelagoque, geratur,
Et tellure, videt; totumque inquirit in orbem.

I V.

Belli Trojani prima prælia. Achilles & Cycnus congrediuntur.

Fecerat hæc notum Grajas cum milite forti
Adventare rates, neque inexpectatus in armis
Hoſtis adeſt. Prohibent aditus, littuſque tuentur
Troes, & Hectorea primus fataliter haſta
Proteſilae cadis; commiſſaque prælia magno
Stant Danais, forteſque animæ, neque cognitus Hector.
Nec Phryges exiguo, quid Achaica dextera poſſet,
Sanguine ſenſerunt; & jam Sigea rubebant
Littora, jam leto proles Neptunia Cycnus
Mille viros dederat, jam curru inſtabat Achilles,
Totaque Peliacæ ſternebat cuſpidis ictu

Fecerat motum. Vulgaverat orbe roto.

Neque inexpectatus. Satis enim intelligebant Trojani non paſſuros Græcos inultam injuriam, a paride illatam Menelao: itaque bellum expectabant.

Hoſtis. Græci.

Fataliter. Editum fuerat oraculum, fore, ut is, interficeretur, qui Græcorum primus littus Trojarum attingeret.

Proteſilae. Iphicli filius erat, maritus Laodamiæ.

Porteſque &c. Conſtant magno Græcis prælia cum Trojanis fortiſſimis ſuſcepta: plurimum Græci accipiunt damni a bello, & a fortibus animis, ideſt, bellatoribus acerrimus, ac præſertim ab Hectore, nondum cognito, multo fortiore, quam rebantur, Nec viciſſim Phrygibus conſtat bellum exiguo ſanguine: ſenſerunt damno ſuo, quid Græci poſſent, &c. Non video cur hoc in loco Heinſius, aliique tantopere caligent.

Danais. Græcis: a Danao Argivorum rege, ſic dictis.

Rubebant. Sanguine. De Sigeo promontorio diximus. Lib. XI. n. 8.

Peliacæ cuſpidis: Haſtæ ſuæ, confectæ ex arbore in Pelio monte reciſa; ut Homerus teſtatur. Lib. XV.

Deci-

Agmina: perque acies, aut Cycnum, aut Hectora, quærens,
Congreditur Cycno. Decimum dilatus in annum
Hector erat. Tum colla jugo canentia preſſos
Exhortatus equos, currum direxit in hoſtem:
Concutienſque ſuis vibrantia tela lacertis,
Quiſquis es, o juvenis, dixit, ſolamen habeto
Mortis; ab Æmonio quod ſis jugulatus Achille.
Hactenus Æacides: vocem gravis haſta ſecuta eſt.
Sed quanquam certa nullus fuit error in haſta:
Nil tamen emiſſi profecit acumine ferri.
Utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu,
Nate Dea (nam te fama prænovimus) inquit
Ille, quid a nobis vulnus miraris abeſſe?
(Mirabatur enim) non hæc, quam cernis, equinis
Fulva jubis caſſis, nec onus cava parma ſiniſtræ;
Auxilio mihi ſunt; decor eſt quæſitus ab iſtis:
Mars quoque ob hoc, capere arma ſolet. Removebitur omne

Decimum &c. Hector mori, niſi poſt annos decem, non debebat: fatis illum ad patriam tutandam ſervantibus.

Preſſos colla jugo. Equos, quorum colla candida, erant preſſa, & ſubjecta jugo ſui currus.

Exhortatus. Achilles.

Hoſtem. Cycnum.

Vibrantia. Lib. VIII. n. 6. Trementia.

Æmonio. Theſſalo.

Hactenus. Hæc tantum dixit.

Æacides. Achilles, nepos Æaci. Lib. XI. n. 9.

Certa. Ad ſignum certo ictu collineante. Etſi Achillis haſta non aberraverit, licet Cycnum attigerit: eum tamen haud vulneravit.

Ut hebeti. Tanquam obtuſo ictu. Poſtquam ictu irrito percuſſit! Cycnum Achilles, tunc illum Cycnus, ita eſt allocutus: Nate Dea, &c.

Inquit ille. Cycnus.

Quia a nobis, &c. Quid miraris immunem vulneris eſſe me?

Caſſis. Galea fulva equinis jubis, id eſt, ornata criſtis flavis, ex equina juba factis. Clypeus, & galea, non me præſtant a vulneribus immunem, ſed alia vis occultior.

Parma. Scutum breve, & rotundum.

Decor &c. Hæc arma geſto dumtaxat ornamenti cauſa, non præſidii. Sic arma geſtat ipſe Mars.

Ob hoc. Ut iis ornatur, non ut ſe tueatur.

Removebitur &c. Quamvis arma, quibus tegor, abjiciam; tamen ne leviter, qui-

Tegminis officium: tamen indiſtrictus abibo.
Eſt aliquid non eſſe ſatum Nereide, ſed qui
Nereaque, & natas, & totum temperat æquor.

dem vulneratus diſcedam e pugna.
Eſt aliquid. Alicujus momenti, & utilitatis eſt, magnum quidem eſt, filium eſſe Neptuni, qualis ego ſum; non vero Nereidis uti tu.
Natas. Filias Nerei.
Temperat. Gubernat.

V.

Cycnus ab Achille ſtrangulatus in volucrem cognominem vertitur.

Dixit, & hæſurum clypei curvamine telum
Miſit in Æacidem, quod & æs, & proxima rupit
Terga novena boum; decimo tamen orbe moratum
Excutit hoc heros, rurſuſque trementia forti
Tela manu torſit, rurſus ſine vulnere corpus,
Sincerumque fuit: nec tertia cuſpis apertum,
Et ſe prrbentem, valuit diſtringere Cycnum.
Haud ſecus exarſit, quam circo taurus aperto,
Cum ſua terribili petit irritamina cornu,

Æs, & proxima &c. Clypei erant ex ære confecti. deinde pellibus bubulis duratis, ſeptem, interdum pluribus, tecti.
Orbe. Decima pelle, rotundum clypeum tegente.
Moratum. Infixum hærens.
Heros. Achilles.
Sincerum. Integrum.
Apertum. Non tectum clypeo.
Se præbentem. Corpus offerentem telis.
Diſtringere. Delibare, leviter vulnerare.
Haud ſecus &c. Non aliter excanduit Achilles, atque taurus ira incenditur, cum ſenſit irrito conatu a ſe verberari veſtes ad ipſum ſtimulandum propoſitas.
Circo. Locus erat patens in oblongi circuli formam compoſitus, in quo dimicabant feræ inter ſe, aut cum gladiatoribus; currus ad metam incitabantur, &c. Tres erant Romæ inſignes: Circus maximus, inter Palatinum & Aventinum: Neronianus, in Vaticano, & Flaminius, prope Capitolium.
Cum ſua &c. Cum exercet ſua cornua in lacerandis veſtibus punicei, ſeu rubri coloris, quæ illi objiciuntur ad eum irritandum. Vide Martialem Lib. I. Spectac. Epig. 18. & 21. Panno rubro propoſito tauri dicuntur furere: albo, elephanti, &c.

Pha-

Phœniceas veſtes, eluſaque vulnera ſentit.
Num tamen exciderit ferrum conſiderat haſtæ:
Hærebat ligno. Manus eſt mea debilis ergo,
Quaſque, ait, ante habuit vires effudit in uno.
Nam certe valuit, vel cum Lyrneſſia primum
Mœnia dejeci, vel cum Tenedonque, ſuoque
Eetioneas implevi ſanguine Thebas:
Vel cum purpureus populari cæde Caycus
Fluxit, opuſque meæ bis ſenſit Telephus haſtæ.
Hic quoque, tot cæſis, quorum per littus acervos
Et feci; & video, valuit mea dextra, valetque.
Dixit, &, ante actis veluti male crederet, haſtam
Miſit in adverſum Lycia de plebe Menœten,
Loricamque ſimul, ſubjectaque pectora rupit.
Quo plangente gravem moribundo pectore terram,
Extrahit illud idem calido de vulnere telum,

Phœniceas. Phœniceus, ſive puniceus color, eſt ſplendide rutilus, qualis in viola flammea cernitur, aut in equis ſpadicibus. Eum a purpureo Plinius diſtinguit.

Ferrum. Cuſpis ferrea.

Quaſque &c. Ac perdidit in hoc homine uno, in Cycno, vires omnes, quibus olim erat prǽditus.

Valuit. Valens, ac robuſta fuit.

Lyrneſſia. Lyrneſſus, oppidum Troadis, ab Achille, Græciſque direptum.

Tenedon. Tenedus, inſula e regione Troadis, a Græcis pariter vaſtata, *Tenedo.*

Thebas. Urbem Ciliciæ, ab Ætione, Andromaches patre, conditam. Nam Thebæ, in Bœotia, favebant Græcis.

Caycus. Fluvius Myſiæ, quam regionem Græci, ne Trojanis auxilium ferret, diripuerunt. Purpureum vocat, ideſt, cruentatum.

Populari cæde. Indigenarum ſtrage, ac ſanguine.

Telephus. Myſiæ rex, qui ab Achille vulneratus, cum nulla remedia vulneri ſanando ſuppeterent, oraculum conſuluit. Reſponſum eſt, Telephum ſanari, niſi Achillis haſta, non poſſe. Ejus rubigine vulneri admota, ſanatus fertur. Lib. XIII. n. 6.

Bis ſenſit. Et vulneratus, & ſanatus.

Opus. Vim. Vulnus, & remedium.

Hic quoque. In hoc ipſo loco, tot cæſorum acervi ſatis oſtendunt quid mea poſſit manus.

Ante actis. Rebus a ſe fortiter toties geſtis.

Lycia. Eſt regio Aſiæ minoris.

Subjecta pectora. Pectus, cui ſuperpoſita erat lorica.

Plangente. Feriente.

Iiſi

Atque ait, hæc manus eſt; hæc, qua modo vicimus, haſta
Utar in hunc iiſdem: ſit in hoc precor exitus idem.
Sic fatur, Cycnumque petit: nec fraxinus errat;
Inque humero ſonuit non evitata ſiniſtro,
Inde, velut muro, ſolidaque a caute, repulſa eſt.
Qua tamen ictus erat, ſignatum ſanguine Cycnum
Viderat, & fruſtra fuerat gaviſus Achilles:
Vulnus erat nullum; ſanguis fuit ille Menœtæ.
Tum vero præceps curru fremebundus ab alto
Deſilit, & nitido ſecurum cominus hoſtem
Enſe petens, parmam gladio, galeamque cavari
Cernit, & in duro lædi quoque corpore ferrum.
Haud tulit ulterius, clypeoque adverſa reducto
Ter quater ora viri, capulo & cava tempora pulſat:
Cedentemque ſequens, inſtat; turbatque, ruitque,
Attonitoque negat requiem. Pavor occupat illum;
Ante oculoſque natant tenebræ, retroque ferenti
Averſos paſſus medio lapis obſtitit arvo;
Quem ſuper impulſum reſupino corpore Cycnum
Vi multa vertit, terræque afflixit, Achilles:
Tum clypeo, genibuſque premens præcordia duris,
Vincla trahit galeæ, quæ preſſo ſubdita mento
Elidunt fauces, & reſpiramen, iterque
Eripiunt animæ. Victum ſpoliare parabat;

Iiſdem. Manu & haſta.

Hunc. Cycnum.

Fraxinus. Haſta fraxinea.

Inde. Ex humero Cycni,

Qua. Qua parte.

Sanguis. Relictus in haſta, e Monœtæ plaga.

Cavari. Perforari. Galea & parma Cycni pertundebantur: ipſum Cycni corpus ictibus reſiſtebat, imò ferrum hebetabat.

Lædi. Retundi, refringi.

Reducto. Ad ſe, ut gravius feriret, adducte identidem, & retracto, Clypeo igitur os & vultum contudit; gladii autem capulo tempora verberavit.

Averſa. Oppoſita.

Cedentem. Retro.

Ruit. Proruit, dejicit.

Ante oculos. Oculi caligant.

Quem. Super quem lapidem Achilles Cycnum impulit.

Vertit. Proturbavit: humi ſtravit.

Vincla, &c. Attrahit, & adſtringit, lora galeæ, quibus capiti, ſub mento, alliga-

Arma relicta videt: corpus Deus æquoris albam
Contulit in volucrem, cujus modo nomen habebat.

gabatur: atque ita illum præfocat.
Relicta. Sola ſuper-

eſſe.
Contulit. Mutavit.
Nomen. Cycnus.

V I.

Rogatur Neſtor ut pugnam Lapitharum cum Centauris, narret.

Hic labor, hæc requiem multorum pugna dierum
Attulit, & poſitis pars utraque ſubſtitit armis.
Dumque vigil Phrygios ſervat cuſtodia muros,
Et vigil Argolicas ſervat cuſtodia foſſas;
Feſta dies aderat, qua Cycni victor Achilles
Pallada mactatæ placabat ſanguine vaccæ.
Cujus ut impoſuit profecta calentibus aris,
Et Diis acceptus penetravit in æthera nidor:
Sacra tulere ſuam, pars eſt data cætera menſis.
Diſcubuere toris proceres, & corpora toſta
Carne replent, vinoque levant curaſque, ſitimque
Non illos citharæ, non illos carmina vocum,
Longaque multifori delectat tibia buxi:
Sed noctem ſermone trahunt, virtuſque loquendi
Materia eſt: pugnas referunt hoſtiſque, ſuaſque;
Inque vices adita, atque exhauſta pericula ſæpe
Commemorare juvat; quid enim loqueretur Achilles?

Hic labor. Ab Achille ſumptus, ad Cycnum, & alios, occidendos.

Subſtitit. Abſtinuit a pugna. *Foſſas*. Caſtra, vállum.

Argolicas. Græcas. Argos civitas Græciæ.

Profecta. Exta ſecta. Lib. VII. nu.6.) Exta cocta profecabant, undè & profecta dicebantur.

Nidor. Fumus eſt toſtarum carnium.

Suam. Partem victimæ: ita ut pars ejus una in ſacrificio combureretur: altera daretur epulis.

Toris. Cubantes in lectis, circa menſam poſitis, veſcebantur. *Virtus*. Res fortiter in bello geſtæ, materiam colloquio præbent.

Inque vices. Viciſſim, & quaſi alternis, renarrabant pericula, quibus ſe objecerant, quibus perfuncti erant fœliciter.

Quid enim &c. Quid aliud,

quid

Aut quid apud magnum potius loquerentur Achillē?
Proxima præcipue domito victoria Cycno
In ſermone fuit: viſum mirabile cunctis,
Quod juvenis corpus nullo penetrabile telo,
Invictumque a vulnere erat, ferrumque terebat:
Hoc ipſe Æacides, hoc mirabantur Achivi.
Cum ſic Neſtor ait: Veſtro fuit unicus ævo
Contemptor ferri, nulloque forabilis ictu
Cycnus: at ipſe olim patientem vulnera mille
Corpore non læſo Perrhæbum Cænea vidi
Quiſquis adeſt, rogat ut narret: quos inter Achilles,
Dic age (nam cunctis eadem eſt audire voluntas)
O facunde ſenex, ævi prudentia noſtri,
Qua tibi militia, cujus certamine pugnæ,
Cognitus; a quo ſit victus, ſi victus ab ullo eſt.
Tum ſenior: Quamvis obſtet mihi longa vetuſtas,
Multaque me fugiant primis ſpectata ſub annis,
Plura tamen memini; nec, quæ magis hæreat, ulla
Pectore res noſtro eſt, inter bellique domuſque
Acta tot; ac, ſi quem potuit ſpatioſa ſenectus
Spectatorem operum multorum reddere, vixi
Annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.
Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus,
Nubigenaſque feros, poſitis ex ordine menſis,
Arboribus tecto diſcumbere juſſerat antro:
Æmonii proceres aderant, aderamus & ipſi:

quid potius, Achilles loqueretur?

Terebat. Hebetabat.

Forabilis. Penetrabilis.

Perrhæbum. Perrhæbi, populus Theſſaliæ, juxta Peneum.

Cognitus. Cæneus.

Obſtet. Impediat, ne omnia meminerim.

Me fugiant. Oblitus ſim.

Primis ſub annis. A me juvene.

Magis hæreat. Altius menti & memoriæ ſit infixa.

Inter &c. Inter tot res, domi & militiæ; pace, & bello, geſtas.

Natus Ixione. Pirithous.

Nubigenas. Centauros, e nube, ut ajebant, procreatos. Anſam fabulæ dedit Nephele, quæ Græca vox nubem ſignificat, eratque pagi nomen, in Theſſalia, in quo primum conſpecti ſunt equorum domitores, Centauri poſtea vocati.

Æmonii. Theſſali.

Proceres. Præſertim Lapithæ:

Feſtaque confuſa reſonabat regia turba.
Ecce canunt Hymenæon, & ignibus atria fumant,
Cinctaq; adeſt virgo matrum, nuruumque caterva,
Præſignis facie. Fælicem diximus illa
Conjuge Pirithoum, quod pœne feſellimus omen.
Nam tibi, ſævorum ſæviſſime Centaurorum,
Euryte, quam vino pectus, tam virgine viſa,
Ardet, & ebrietas geminata libidine regnat.

thæ: Theſſaliæ populus, in-vitati a Pirithoo.
Hymenæon. Carmen nuptiale, in quo vox Hymenæi ſæpe iterabatur.
Virgo. Hippodame, ſive Hippodamia.
Nuruum. Puellarum. Nurus, filii uxor.
Feſellimus omen. Pene, ut falſum eſſet, fecimus; nimirum infœlici pugna excitata, in qua parum abfuit, quin Pirithous & Hippodamia perirent, ac proinde, quin falſo a nobis dicti felices fuiſſent.
Omen. Lib. V. 14. X. 1.
Geminata. Aucta.

VII.

Initium crudelis pugnæ.

Protinus everſæ turbant convivia menſæ,
Raptaturque comis per vim nova nupta prehenſis:
Eurytus Hyppodamen; alii, quam quiſq; probabat,
Aut poterat, rapiunt; captæque erat urbis imago.
Fœmineo clamore ſonat domus. Ocyus omnes
Surgimus, & primus, Quæ te vecordia, Theſeus,
Euryte, pulſat? ait, qui me vivente laceſſas
Pirithoum, violeſque duos ignarus in uno.
Neve ea magnanimus fruſtra memoraverit heros
Submovet inſtantes, raptamque furentibus aufert:
Ille nihil contra: neque enim defendere verbis
Talia facta poteſt; ſed vindicis ora protervis

Vecordia. Dementia, furor.
Violes. Afficias injuria.
In uno. Pirithoo. In illo me quoque offendis: Theſeus amicitia ſingulari cum Pirithoo junctus erat.
Submovet. Hinc & inde repellit, ac viam facit.
Aufert. Hippodamiam.
Ille. Eurytus.
Vindicis. Theſei, qui Hippodamiam ab injuria Centaurorum vindicabat.
Ora inſequitur. Minitando pul-

Inſequitur manibus, generoſaque pectora pulſat.
Forte fuit juxta ſignis extantibus aſper
Antiquus crater, quem vaſtum, vaſtior ipſe
Suſtulit Ægides, adverſaque miſit in ora.
Sanguinis ille globos pariter, cerebrumque merumque
Vulnere, & ore, vomens, madida reſupinus arena
Calcitrat. Ardeſcunt germani cæde bimembres,
Certatimque omnes uno ore arma, arma loquuntur.
Vina dabant animos; & prima pocula pugna
Miſſa volant, fragileſque cadi, curvique lebetes,
Res epulis quondam, tunc bello, & cædibus aptæ.
Primus Ophionides Amycus penetralia donis
Haud timuit ſpoliare ſuis, & primus ab æde
Lampadibus denſum rapuit funale coruſcis,
Elatumque alte, veluti qui candida tauri
Rumpere ſacrifica molitur colla ſecuri,
Illiſit fronti Lapithæ Celadontis, & oſſa
Non agnoſcendo confuſa reliquit in ore.
Exſilire oculi, diſjectiſque oſſibus oris
Acta retro naris, medioque eſt fixa palato.
Hunc pede convulſo menſæ Pellæus acernæ
Stravit humi Balates, dejecto in pectora mento:
Cumque atro miſtos ſputantem ſanguine dentes,

pulſando: pugnos in Theſei faciem, & pectus, ingerit.

Extantibus. Cœlatis, eminentibus.

Ægides. Theſeus, Ægei filius.

Calcitrat. Calces jactat, pedibus terram percutit.

Germani. Fratris; Euryti.

Bimembres. Centauri quorum membra, & corpora, ſuperiori parte humana: equina, inferiori.

Cadi fragiles. Olim ex argilla fiebant.

Ophionides. Filius Ophionis.

Penetralia. Sacrarium: locum reductum, in quo ara Hymenæo poſita.

Donis. Lucernis, vaſis, donariis.

Æde. Ædicula ſacra.

Funale. Lichnum.

Denſum. Multis lucernis, & ellychniis, præditum.

Sacrificia. Sacrificiis deſtinata.

Illiſit. Impegit, intorſit.

Acernæ. Ex arbore acere factæ.

Hunc. Amycum.

Pellæus. Pella, urbs Macedoniæ.

Dejecto, &c. Mento ita vulnerato, ut oris inferior maxilla in ſummum pectus dejiceretur.

Sputantem. Expuentem, ejicientem.

Al-

Vulnere tartareas geminato miſit ad umbras.
Proximus, ut ſteterat, ſpectans altaria vultu
Fumida terribili, cur non, ait, utimur iſtis?
Cumque ſuis Gryneus immanem ſuſtulit aram
Ignibus, medium Lapitharum jecit in agmen,
Oppreſſitque duos Brotean, & Orion: Orio
Mater erat Mycale, quam deduxiſſe canendo
Sæpe reluctantis conſtabat cornua Lunæ.
Non impune feres, teli modo copia detur,
Dixerat Exadius; telique habet inſtar, in alta
Quæ fuerant pinu, votivi cornua cervi.
Figitur hinc duplici Gryneus in lumina ramo,
Eruiturque oculos, quorum pars cornibus hæret,
Pars fluit in barbam, concretaque ſanguine pendet.

Altaria. Nuptiales epulæ celebrantur ante aras Deorum, in aula convivii ſtructas.

Deduxiſſe. In terram detraxiſſe. Id venefici facere putabantur. Lib. VII. n. 5.

Copia. Facultas, uſus.

Pinu. A venatoribus ibi fixa, in honorem, puta, Dianæ, ex voto: nam arboribus vota ſuſpendebantur, maxime a venatoribus.

Figitur. Duobus cornuum cervinorum ramulis oculi duo Grynei fuerunt confixi, erutique.

VIII.

Crudeſcit ferale certamen.

Ecce rapit mediis flagrantem Rhœtus ab aris
Primitium torrem, dextraque a parte, Charaxi
Tempora perfringit fulvo protecta capillo.
Correpti rapida, veluti ſeges arida, flamma
Arſerunt crines, & vulnere ſanguis inuſtus
Terribilem ſtridore ſonum dedit; ut dare ferrum
Igne rubens plerumque ſolet, quod forcipe curva
Cum faber eduxit, lacubus demittit: at illud
Stridet, & in tepida ſubmerſum ſibilat unda.

Primitium torrem. Primarium, qui primus, & certa cum cæremonia, inſtar primitiarum, collocatus, & accenſus, in ara fuerat.

Sanguis inuſtus. Sanguis erumpens e vulnere, & ab incuſſo titione ardenti calidus.

Lacubus demittit. Aquæ immergit.

Saucius hirſutis avidum de crinibus ignem
Excutit, inque humeros limen tellure revulſum
Tollit, onus paluſtri; quod ne permittat in hoſtem
Ipſa facit gravitas: ſocium quoque ſaxea moles
Oppreſſit ſpatio ſtantem propiore Cometen.
Gaudia nec retinet Rhætus: Sic comprecor, inquit,
Cætera ſit fortis caſtrorum turba tuorum,
Semicremoque novat repetitum ſtipite vulnus:
Terque quaterque gravi juncturas verticis ictu
Rupit, & in liquido ſederunt oſſa cerebro.
Victor ad Evagrum, Corythumq; Dryantaq; tranſit.
E quibus ut prima tectus lanugine malas
Procubuit Corythus: Puero quæ gloria fuſo
Parta tibi eſt? Evagrus ait. Nec dicere Rhœtus
Plura ſinit, rutilaſque ferox in aperta loquentis
Condidit ora viri, perque os in pectora, flammas.
Te quoque, ſæve Drya, circum caput igne rotato
Inſequitur: ſed non in te quoque conſtitit idem
Exitus; aſſiduæ ſucceſſu cædis ovantem,
Qua juncta eſt humero cervix, ſude figis obuſta,
Ingemuit, duroque ſudem vix oſſe revellit
Rhœtus, & ipſe ſuo madefactus ſanguine fugit.
Fugit & Orneus, Lycabaſque, & ſaucius armo
Dexteriore Medon, & cum Piſenore Thaumas:

Limen. Lapis eſt in infima ſtratus janua, qui ab introeuntibus teritur.

Onus plauſtri Tantum lapidem, quantus a plauſtro toto ægre vectaretur.

Permittat. Immitat uſque in hoſtem.

Sic &c. Faxint Superi, ut tui commilitones, qui tecum in iiſdem verſantur caſtris, omnes Centauri, ſint iſto modo fortes, & alii alios opprimant, ut modo Cometen oppreſſiſti: a ſe invicem pereant.

Semicremo. Semicremato.

Novat. Renovat, auget.

Vulnus. Quod Charaxo inflixerat.

Juncturas verticis. Capitis commiſſuras. Calvaria e triplici conſtat oſſe juncto.

Sederunt. Depreſſa jacuerunt.

Oſſa. Capitis.

Victor. Rhætus.

Malas. Genas.

Igne rotato. Titione circumacto

Sed non &c. Non eodem exitu tecum pugnavit.

Sude. Stipite, palo.

Figis. Transfigis.

Obuſta. Circa extremam partem deuſta,

Au-

Quique pedum nuper certamine vicerat omnes
Mermeres, accepto tunc vulnere tardius ibat.
Et Pholus, & Nelaneus, & Abas prædator apro-
rum:
Quique ſuis fruſtra bellum diſſuaſerat augur
Aſtylos: ille etiam metuenti vulnera Neſſo,
Ne fuge, ad Herculeos, inquit, ſervaberis arcus:

Augur. Lib. I. n. 12. III. 6. Aſtylus fruſtra ſuos Centauros conatus erat a prælio deterrere, proſpiciens arte divinandi, ejus exitum infælicem: cum vero Neſſum, Centaurum, metu perculſum videret, bono animo eſſe juſſit, affirmavitque non periturum in hac pugna; ſed olim, ab Hercule.

Ad Herculeos, &c. Ab Hercule fuit cæſus. Libr. IX. num. 4.

I X.

Pergit Neſtor eamdem pugnam narrare.

At non Eurynomus, Lucidaſque, & Areus, Imbreus,
Effugere necem, quos omnes dextra Dryantis
Perculit adverſos, adverſum tu quoque, quamvis
Terga fugæ dederas, vulnus, Crenæe, tuliſti;
Nam grave, reſpiciens, inter duo lumina ferrum,
Qua naris fronti committitur, accipis, imæ.
In tanto fremitu cunctis ſine fine jacebat
Sopitus venis, & inexperrectus Aphidas;
Languentique manu carcheſia miſta tenebat,

Adverſos. In ore, aut pectore: non in tergo, vulneravit. Pomponius quidam vendicabant ſe Cæſari, quod vulnus grave in vultu, pro eo dimicans, accepiſſet: cui Cæſar: Cave, inquit, ne poſthac fugiens reſpicias.

Reſpiciens. Retro aſpiciens vultu in tergum reflexo.

Committitur. Jungitur imæ fronti.

Sine fine. Oppreſſus infinito ſomno, Somno & vino inflantur venæ. Virgil. Eclog. VI. *Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Iaccho*. Negat Heinſius ſe hunc verſum intelligere: itaque ſic illum facit: *Ductis ſine fine jacebat ſopitus vinis*.

Inexperrectus. Adhuc dormiens, in tanto tumultu.

Carcheſia. Pocula. Lib. VII. num. 6.

Miſta. Plena vino.

Eu-

Fuſus in Oſſææ villoſis pellibus urſæ:
Quem procul ut vidit fruſtra nullà arma moventem,
Inſerit amento digitos, Miſcendaque, dixit,
Cum Styge vina bibes, Phorbas: nec plura locutus,
In juvenem torſit jaculum, ferrataque collo
Fraxinus, ut caſu jacuit reſupinus, adacta eſt.
Mors caruit ſenſu, plenoque e gutture fluxit
Inque toros, inque ipſa niger carcheſia ſanguis.
Vidi ego Petræum conantem evellere terra
Grâdiferam quercum, quam dum complexibus ambit,
Et quatit huc, illuc, labefactaque robora jactat:
Lancea Pirithoi coſtis immiſſa Petræi
Pectora cum duro luctantia robore fixit.
Pirithoi cecidiſſe Lycum virtute ferebant,
Pirithoi virtute Cromin; ſed uterque minorem
Victori titulum, quam Dictys, Helopſq; dederunt.
Fixus Helops jaculo eſt, quod pervia tempora fecit,
Et miſſum a dextra lævam penetravit ad aurem:
Dictys ab ancipiti delapſus acumine montis,
Dum fugit inſtantem trepidans Ixione natum,
Decidit in præceps, & pondere corporis ornum
Ingentem fregit, ſuaque induit ilia fractæ.
Ultor adeſt Phareus, ſaxumque e monte revulſum

Fuſus. Stratus, ſupinus.
Oſſææ. Captæ in Oſſa, monte Theſſaliæ.
Vidit. Phorbas.
Fruſtra. Jacere inutilem, & quietum.
Amento. Lib. VII. nu. 18. Expedit telum, & apparat, inſertis in lora digitis. Hujuſmodi loris circa jaculum obvolutis, impetum jaculi augebant.
Miſcenda. Temperanda aqua Stygis.
Dixit. Phorbas.
Fraxinus. Jaculum confectum ex arbore fraxino.
Collo adacta eſt. In collum acta eſt.
Ut caſu. Ut jacebat forte reſupinus.
Toros. Urſæ pellem, cui incubabat.
Vidi ego. Narrat hæc Neſtor. Supra num. 6.
Robore. Quercu.
Virtute. Fortitudine.
Titulum. Laudem.
Pervia. Aperta ab utraque parte.
Dextera. Aure.
Ancipiti. Prærupto.
Trepidans. Effugere cupiens.
Ixione natum. Pirithoum.
Suaque &c. Itaut in ventrem truncus fractæ arboris penetraret.
Ultor adeſt. Ruit ad ulciſcendum Dictym.

Occu-

Mittere conatur; mittentem ſtipite querno
Occupat Ægides, cubitique ingentia fregit
Oſſa: nec ulterius dare corpus inutile lato
Aut vacat; aut curat; tergoque Bianoris alti
Inſilit, haud ſolito quemquam portare, niſi ipſum,
Oppoſuitque genu coſtis; prenſamque ſiniſtra
Cæſariem retinens, vultum minitantiaque ora
Robore nodoſo, præduraque tempora, fregit,
Robore Nedymnum, jaculatoremque Lycetum,
Sternit; & immiſſa protectum pectora barba
Hippaſon, & ſummis extantem Riphea ſilvis:
Tereaque, Æmoniis qui prenſos montibus urſos
Ferre domum vivos, indignanteſque, ſolebat.

Occupat. Prior intravit. *Ægides*. Theſeus. *Inutile*. Fracto brachio, mancum. *Vacat*. Satis temporis habet. *Quemquam* &c. Equina habebant Centauri terga, & alios interdum homines vectabant: iſte nullum. Centauri præterea quodammodo videbantur equo inſidere, & ſe portare. *Oppoſuit genu coſtis*. Coſtas centauri utroque genus amplexus conſtrinxit, ut ſolent qui ſedent in equo. *Robore*. Stipite querneo. *Immiſſa*. Prolixa: ita ut pectus aperiret ac protegeret. *Extantem*. Altiorem, eminentem. *Æmoniis*. Theſſalis.

X.

Alii eventus ejuſdem prælii.

Haud tulit utentem pugnæ ſucceſſibus ultra
Theſea Demoleon; ſolidoque revellere dumo
Annoſam pinum magno molimine tentat:
Quod quia non potuit; præfractam miſit in hoſtem.
Sed procul a telo Theſeus veniente receſſit
Pallados admonitu (credi ſic ipſe volebat.)
Non tamen arbor iners cecidit: nam Crantoris alti
Abſcidit jugulo pectuſque humerumque ſiniſtrum.

Ultra. Theſeum ulterius ferre victorem non poteſt. *Solido*. Denſo. *Telo*. Arboris fragmine. Telum vocatur quodcumque jacitur. *Iners*. Irrita ſine vulnere. *Abſcidit*. Deductum a cæſo ja

Armiger ille tui fuerat genitoris, Achille.
Quem Dolopum rector bello ſuperatus Amyntor
Æacidæ dederat, pacis pignuſque, fidemque.
Hunc procul ut fœdo disjectum vulnere Peleus
Vidit, At inferias, juvenum gratiſſime Crantor,
Accipe, ait; validoque in Demoleonta lacerto
Fraxineam miſit mentis quoque viribus haſtam,
Quæ laterum cratem perrupit, & oſſibus hærens
Intremuit. Trahit ille manu ſine cuſpide lignum,
Id quoq; vix ſequitur: cuſpis pulmone retenta eſt:
Ipſe dolor vires animo dabat; æger in hoſtem
Erigitur, pedibuſque virum proculcat equinis.
Excipit ille ictus galea, clypeoque ſonanti;
Defenſatque humeros, prætentaque ſuſtinet arma,
Perque armos uno duo pectora perforat ictu.
Ante tamen leto dederat Phlegræon, & Hylen,
Eminus: Hiphinoum collato Marte, Claninque.
Additur his Dorylas, qui tempora tecta gerebat
Pelle lupi, ſævique vicem præſtantia teli
Cornua dura boum multo rubefacta cruore.
Huic ego (nam vires animus dabat) Aſpice, dixi,

do: nam a *ſcindo*, corripitur.

Amyntor. Dolopum rex: Dolopes, Græciæ populus.

Æacidæ. Peleo. Æaci filio.

Pacis pignus. Obſidem.

At.. Quę ſit vis hujus particulæ dixi Lib. VIII. n. 6.

Inferias. Sacrificia Diis inferis in gratiam mortuorum fieri ſolita. Lib. VIII. n. 12.

Mentis viribus. Non tantum corporis robore; ſed animi ſolertia, dexteritate, arte, ira. Mens pro iracundia ſæpe ſumitur: hæc vires auget.

Cratem. Oſſa quæ pectus cratis inſtar compoſita, tegunt.

Sequitur. Educitur.

Virum. Peleum.

Ille. Peleus.

Prætentaque &c. Clypeum, quem objiciebat Demoleonti, & prætendebat, ne proculcaretur; valide ſiniſtra tenet, dum dextra enſem in ejus humeros adigens, duo pectora, humanum & equinum, fodit.

Eminus. Longe, jaculo immiſſo.

Collato marte. Cominus.

Additur his. Cum illis interficitur a me, inquit Neſtor.

Qui tempora, &c. Qui gerebat galeam, e lupi pelle confectam: & præ manibus habebat duo bovis cornua, quibus obſtantes fodiebat.

Sævique &c. Illa duo cornua bubula, erant illi telorum vice; iis, tamquam telis, utebatur.

Dura, Heinſio arridet *Va-*

ra,

Quantum concedant noſtro tuo cornua ferro :
Et jaculum torſi: quod cum vitare nequiret ,
Oppoſuit dextram paſſuræ vulnera fronti;
Affixa eſt cum fronte manus. Fit clamor, at illum
Hærentem Peleus, & acerbo vulnere victum
(Stabat enim propior) mediam ferit enſe ſub alvum.
Proſiliit, terraque ferox ſua viſcera traxit,
Tractaque calcavit, calcataque rupit, & illis
Crura quoque impediit, & inani concidit alvo.
Nec te pugnantem tua, Cyllare, forma redemit:
(Si modo naturæ formam concedimus illi.)
Barba erat incipiens, barbæ color aureus, aurea
Ex humeris medios coma dependebat in armos;
Gratus in ore vigor: cervix, humerique manuſque,
Pectoraque, artificum laudatis proxima ſignis:
Auctor in incerto eſt; jaculum de parte ſiniſtra
Venit; & inferius, quam collo pectora ſubſunt,
Cyllare, te fixit: parvo cor vulnere læſum,
Corpore cum toto, poſt tela educta, refrixit.
Protinus Hylonome morientes excipit artus,
Impoſitaque manu vulnus fovet, oraque ad ora
Admovet, atque animæ fugienti obſiſtere tentat.
Ut videt extinctum, dictis, quæ clamor ad aures
Arcuit ire meas; telo, quod inhæſerat illi,
Incubuit, morienſque ſuum complexa maritum eſt.

ta, ideſt, introrſum inflexa, in modum ſemicirculi.

Concedant. Inferiora, imbecilliora ſint.

Hærentem. Cunctantem, trepidantem; in eodem loco conſiſtentem: confixum.

Inani. Vacua, dilapſis viſceribus.

Redemit. Neci eripuit.

Naturæ. Centaureæ. Si poteſt formoſus eſſe Centaurus, monſtrum hominis.

Artificum, &c. Simillima, pectus, humeri, cervix, erant ſtatuis præſtantiſſimis.

Auctor. A quo jaculum in Cyllarum fuerit miſſum.

Quam collo &c. Inter collum imum, & ſummum pectus.

Hylonome. Cyllari conjux.

Dictis, &c. Poſtquam illum vidit mortuum, & ea dixit, ac deploravit, quæ, ob confuſos clamores, audire non potui.

Arcuit. Prohibuit.

Telo incubuit. Se peremit eodem, quod in mariti corpore hæſerat, telo.

V Ne-

X I.

Neſtor ſtrenue rem gerit contra Centauros.

Ante oculos ſtat & ille meos, qui ſæva leonum
Vinxerat inter ſe connexis vellera nodis,
Phæocomes, hominemq; ſimul protectus; equumq;
Codice qui miſſo, quem vix juga bina moverent
Juncta, Phonolenidem a ſummo vertice fregit.
Fracta volubilitas capitis latiſſima: perque eos,
Perque cavas nares, oculoſque, aureſque cerebrum
Molle fluit, veluti concretum vimine querno
Lac ſolet; utve liquor rari ſub pondere cribri
Manat, & exprimitur per denſa foramina ſuccus.
Aſt ego, dum parat hic armis nudare jacentem,
(Scit tuus hoc genitor) gladium ſpoliantis in ima
Ilia demiſi. Chthonius quoque, Teleboaſque,
Enſe jacent noſtro: ramum prior ille bifurcum
Geſſerat, hic jaculum: jaculo mihi vulnera fecit;
Signa vides, apparet adhuc vetus inde cicatrix.
Tunc ego debueram capienda ad Pergama mitti;
Tunc poteram magni, ſi non ſuperare, morari
Hectoris arma meis: illo ſed tempore nullus,
Aut puer, Hector eras: nunc me mea deficit ætas.

Ante oculos &c. Adhuc cernere illum videor Centaurum Phœocomen, qui ſua hominis, & equi pectora protexerat, ac muniverat pellibus leonum, inter ſe nexis.

Codice. Arboris trunco.

Juga. Currus, plauſtra.

Fregit a vertice. A ſummo capite, ad imos uſque pedes obtrivit: ejus opprimendi fecit initium a capite.

Volubilitas. Rotunditas. Amplum caput.

Veluti, &c. Fluit cerebrum illi per os, nares, &c. inſtar lactis, quod vimineo in qualo coagulatum per viminis rima effluit.

Rari. Laxi, multiforis.

Nudare. Spoliare.

Tuus genitor. Peleus, Achillis pater.

Tunc ego. Cum id ætatis eſſem, ac viribus, quas juventus dabat, præditus; non hoc tempore, cum ſenex ſum.

Tunc poteram. Eo tempore, quo Centauros debellavi, poteram, ſi non vincere Hectorem, at ejus victorias certe retardare.

Nullus. Nondum natus.

Ætas. Vigor ætatis.

Gemi-

Quid tibi victorem gemini Periphanta Pyreti?
Ampyca quid referam? qui quadrupedantis Oecli
Fixit in adverſo cornum ſine cuſpide vultu.
Vecte Pelethronius Macareus in pectus adacto
Stravit Erigdupum: memini & venabula condi
Inguine; Neſſei manibus conjecta, Cymeli.
Nec tu crediderıs tantum ceciniſſe futura
Ampyciden Mopſum; Mopſo jaculante biformis
Occubuit, fruſtraque loqui tentavit, Odites,
Ad mentum lingua, mentoque ad guttura fixo.
Quinque neci Cæneus dederat, Stiphelumque, Bromumque,
Antimachumque, Helimumque, ſecuriferumque Pyracmon.
Vulnera non memini, numerum, nomenq; notavi,
Provolat Emathii ſpoliis armatus Haleſi,
Quem dederat leto, membris & corpore Latreus
Maximus; huic ætas inter juvenemque, ſenemque,
Vis juvenilis erat, variabant tempora cani:
Qui clypeo, gladioque, Macedoniaque ſariſſa
Conſpicuus, faciemque obverſus in agmen utrumq;

Gemini. Semiferi, biformis.
Cornum. Lignum: ſudem jaculum. Lib. VIII. 9.
Pelethronius. Pelethronii, populus Theſſaliæ.
Inguine Cymeli. Ventre: qua parte alvus femori committitur.
Neſſei manibus conjecta. Quæ venabula (tela ſunt venatorio) Neſſus conjecerat in Cymelum.
Tantum &c. Non erat vates, & augur, dumtaxat; ſed miles etiam egregius.
Ampyciden. Filium Ampyci.
Vulnera &c. Quæ, quove infixa loco, fuerint.
Numerum. Vulneratorum.
Provolat. In medium agmen proceſſit, Cæneo tulit ſe obvium, Latreus, membris ac toto corpore maximus: armatus telis, quibus interfectum a ſe Haleſum ſpoliaverat.
Variabant &c. Albis, nigriſque pilis diſtincta erant illi capitis tempora.
Sariſſa. Haſta erat Macedonum propria, ut pilum, Romanorum, gæſum, Gallorum. Nota porro in voce *Macedonia* produci ſecundam ſyllabam, quæ per ſe brevis eſt. Id poetis licet, cum plures ſyllabæ breves occurrunt in voce neceſſaria. Sic Virgilius primam producit in *Deiphobus, Priamides.*
Faciem &c. Ambo agmi-

Armaquê concuſſit, certumque equitavit in orbem,
Verbaque tot fudit vacuas animoſus in auras:
Et te, Cæniferam? tu ſtamen pollice torque
Bella relinque viris. Jactanti talia Cæneus
Extentum curſu miſſa latus eruit haſta,
Qua vir equo commiſſus erat. Furit ille dolore,
Nudaque Phyllei juvenis ferit ora ſariſſa.
Non ſecus hæc reſilit, quam tecti a culmine grando;
Aut ſi quis parvo feriat cava tympana ſaxo.
Cominus aggreditur, laterique recondere duro
Luctatur gladium, gladio loca pervia non ſunt.
Haud tamen effugies, medio jugulaberis enſe,
Quandoquidem mucro eſt hebes; inquit; & in latus enſem
Obliquat, longaque amplectitur ilia dextra.

na proſpiciens interrito vultu; hæc ut defenſaret; illa ut ſterneret.

Arma concuſſit. Armis agitatis ſonitum edidit: quaſi ad pugnam eo ſtrepitu accendendam.

Certum. Ex arte bellica ductum.

Orbem. Gyrum.

Et te, Cæniferam? Egone ut patiar te impune ſtragem tantam edere? te, inquam aptiorem texendæ telæ, ac trahendo e colu filo, quam tractandis armis. Fœmineas artes tracta: bellum viris fortibus linque. Cæneum contemptim & joco, Cænim, fœmineo genere, appellat.

Stamen. Lib. VI. num. 2.

Extentum curſu. Ubi hæc Latreus dixit, cœpit procurrere, ut Cęneum feriret: tunc Cęneus vulnus inflixit ejus lateri, quod in curſu extenſum, & patens, erat.

Eruit. Percuſſit.

Qua &c. Qua parte membra humana cum equinis erant juncta.

Phyllei juvenis. Cænei. De illo inſtituerat narrare Neſtor num. 6. Pylleus vocatur, vel a patre Phyllo, vel a patria, Phyllus enim, urbs erat Theſſaliæ.

Ferit. Latreus.

Aggreditur. Invadit Latreus Cæneum.

Cominus. Prope.

Duro. Invulnerabili. Impenetrabili.

Medio. Media gladii lamina te jugulabo, ſi quidem mucro & cuſpis mei gladii, eſt hebetior, quam ut te vulnerare poſſit.

Et in latus &c. Cum hoc diceret, enſem medium Cænei collo admovit, ita ut non mucronem intenderet jugulo, ſed obliquum enſem extenderet, velut collum ſecturus.

Amplectitur. Medium Cæneum amplectitur una manu, ut facilius altera

col-

Plaga facit gemitus, ut corpore marmoris icti;
Fractaque diſſiliit percuſſo lamina collo.

collum ſecet.
Gemitus facit. Strepitum edit.
Corpore marmoris. Statua marmorea. Non aliter enſis inſonuit, quam ſi corpus marmoreum iciſſet, percuſſiſſet.

XII.

Cæneus congeſta mole arborum opprimitur a Centauris, & in avem novam mutatur.

Ut ſatis illæſos miranti præbuit artus:
Nunc age, ait Cæneus, noſtro tua corpora ferro
Tentemus, capuloque tenus demiſit in armos
Enſem fatiferum, cæcamque in viſcera movit
Verſavitque manum, vulnuſque in vulnere fecit.
Ecce ruunt vaſto rabidi clamore bimembres.
Telaque in hunc omnes unum mittuntque feruntque
Tela retuſa cadunt, manet imperfoſſus ab omni
Inque cruentatus Cæneus Elateius ictu.
Fecerat attonitos nova res, Heu! dedecus ingens,
Monychus exclamat; populus ſuperamur ab uno,
Vixq; viro: quamquam ille vir eſt, nos ſeuibus actis,
Quod fuit ille, ſumus. Quid membra immania proſunt?
Quid geminæ vires? &, quod fortiſſima rerum

Ut ſatis. Poſtquam Cæneus ſe fruſtra vulnerandum dedit.
Cæcam. In occulta & abdita viſcera demiſit.
Vulnuſque &c. Jam vulnus fecerat, viſcera transfodiendo: novum vulnus facit, gladium verſando in ipſis viſceribus.
Inque cruentatus. Incruentus, non vulneratus.
Elateius. Vel Elatei filius, vel oriundus Elatea, urbe Phocidis; nunc *Turchocore*. Dicitur Elateius, pro Elateus. Explicui Lib. VIII. 13.
Nova res. Cæneus, nulli patens vulneri. Hoc omnes mirabantur.
Populus. Tot Centauri.
Uno. Cæneo.
Vixque viro. Ignavo.
Quamquam, &c. Imo vero ille vir, nos imbelles fœminæ ſumus.
Quod fuit ille. Cæneum e fœmina in virum fuiſſe mutatum narrat Virgil. Lib. VI.
Geminæ vires. Hominum & equorum.

In nobis natura duplex animalia junxit?
Nec nos matre Dea, nec nos Ixione natos
Eſſe reor, qui tantus erat Junonis ut altæ
Spem caperet: nos ſemimari ſuperamur ab hoſte.
Saxa trabeſque ſuper, totoſque involvite montes,
Vivacemque animam miſſis elidite ſilvis:
Silva premat fauces, & erit pro vulnere pondus:
Dixit, & inſanis dejectam viribus Auſtri
Forte trabem nactus, validum conjecit in hoſtem,
Exemplumque fuit: parvoque in tempore nudus
Arboris Othrys erat, nec habebat Pelion umbras.
Obrutus immani cumulo, ſub pondere Cæneus
Æſtuat arboreo, congeſtaque robora duris
Fert humeris. Sed enim poſtquam ſuper ora, caputque
Crevit onus, nec habet, quas ducat ſpiritus, auras:
Deficit interdum: modo ſe ſuper aera fruſtra
Tollere conatur, jactaſque evolvere ſilvas:
Interdumque movet, veluti quam cernimus, ecce,
Ardua ſi terræ quatiatur motibus Ide.
Exitus in dubio eſt: alii ſub inania corpus

Natura duplex. Hominis, & equi.

Fortiſſima rerum. Animalia omnium fortiſſima: hominem & equum.

Nec nos &c. Adeone ſumus obliti noſtræ originis, & indigni matre Junone, Ixione patre?

Qui ſpem Junonis. Ixion conjugium Junonis affectavit. Juno ſimilem ſibi nubem effinxit, ex qua Ixion Centauros, ut poetæ canunt, genuit, quos ob eam rem, Nubigenas vocant. Vide numerum hujus libri ſextum. Iſte Monychus ex ipſa Junone natos facit.

Semimari. Semiviro inerti.

Vivacem animam. Virum tandiu ſuperſtitem, vulnerum & mortis tandiu expertem. *Miſſis*. Conjectis.

Elidite. Opprimite.

Exemplum fuit. Præivit exemplo cæteris.

Parvo in tempore. Subito montes Theſſaliæ, Orthrys, & Pelion, ſuis nudati ſunt arboribus, quas in Cæneum Centauri congeſſere.

Nec habet ... Nec reſpirare poteſt.

Interdum movet &c. Interdum ſe commovet, excutitque onus, magno molimine, ut ſi hæc Ida quam, ecce, cernimus, terræ motu quateretur. Phrygiæ mons eſt Ida, quam Neſtor, hæc narrans, habebat præ oculis.

Exitus. Mors Cænei. Incertum eſt, quid eo facto ſit.

Am-

Tartara detruſum ſilvarum mole ferebant:
Abnuit Ampycides : medioque ex aggere fulvis
Vidit avem pennis liquidas exire ſub auras;
Quæ mihi tunc primum, tunc eſt conſpecta ſupremū.
Hanc ubi luſtrantem leni ſua caſtra volatu
Mopſus, & ingenti circum clamore ſonantem,
Aſpexit; pariterque animo eſt, oculiſque ſecutus :
O ſalve dixit Lapitheæ gloria gentis,
Maxime vir quondam, ſed avis nunc unica, Cæneu.
Credita res auctore ſuo eſt. Dolor addidit iram:
Oppreſſumque ægre tulimus tot ab hoſtibus unum,
Nec prius obſtitimus ferro exercere dolorem,
Quam data pars leto, partem fuga, noxque removit.

Amphycides. Mopſus augur, Ampyci filius; negat detruſum Orco Cænei corpus.
Aggere. Arborum ſtrue.
Quæ mihi... Ac ſane aliquam ego tunc vidi volucrem antea mihi ignotam, nec eam uſpiam poſtea conſpexi.
Sua caſtra. Videns Mopſus emergentem ex arborum congerie volucrem, & circa tentoria Lapitharum ſuorum, volitantem; eam ſalutavit, &c.
Unica. Singularis, ſola in orbe.
Auctore ſuo. Propter auctoritatem dicentis, nempe, Mopſi.
Dolor. De oppreſſo a Centauris, & mutato in avem Cæneo.
Tulimus. Amici Pirithoi, ac Theſei.
Unum. Cæneum.
Abſtitimus. Ceſſavimus.
Exercere dolorem. Sævire in Centauros, ut dolorem de Cænei morte conceptum expleremus.

XIII.

Periclymenus in aquilam converſus, configitur ab Hercule.

Hæc inter Lapithas, & ſemihomines Centauros,
Prælia Tlepolemus Pylio referente, dolorem

Hæc inter &c. Dum hanc pugnam narrabat Neſtor, Tlepolemus, unus e Græcis ducibus, qui audiebant, moleſte tulit Herculem ab eo fuiſſe prætermiſſum, doluit præterita ſilentio egregia facinora, quæ in eodem certamine fuerant edita ab Hercule, ſuo patre.
Semihomines. Priori corporis parte homines: poſteriori equos.
Pylio. Neſtore, cujus pa-

Præteriti Alcidæ tacito non pertulit ore:
Atque ait, Herculeæ mirum eſt oblivia laudis
Acta tibi, ſenior, certe mihi ſæpe referre
Nubigenas domitos a ſe pater ipſe ſolebat.
Triſtis ad hæc Pylius: Quid me meminiſſe malorum
Cogis? & obductos annis reſcindere luctus?
Inque tuum genitorem odium, offenſaſque fateri?
Ille quidem majora fide quoque geſſit, & orbem
Implevit meritis, quod mallem poſſe negare:
Sed neque Deiphobum, nec Polydamnata, nec ipſum
Hectora laudamus: quis enim laudaverit hoſtem?
Ille tuus genitor Meſſenia mœnia quondam
Stravit, & immeritas urbes Elimque, Pylumque
Diruit, inque meos ferrum, flammamque penates
Impulit: utque alios taceam, quos ille peremit,
Bis ſex Nelidæ fuimus, conſpecta juventus,

tria Pylus, in Peloponneſo. *Alcidæ*. Lib. IX. num. I.

Mirum &c. Miror, inquit Tlepolemus, nullam a te, o ſenior (Neſtor) factam fuiſſe Herculis mentionem, qui non ſemel narravit mihi domitos a ſe Centauros fuiſſe.

Pater ipſe. Hercules, Tlepolemi pater.

Obductos annis. Vetuſtate obliteratos, tamquam cicatricem, quæ temporis diuturnitate coaluit, ac poſtea reſcinditur.

Reſcindere. Renovare, refricare.

Offenſas. Injurias ab illo mihi illatas, & meum in illum odium, declarare.

Majora fide. Illuſtriora etiam facinora edidit, quam quæ facile credi poſſint. De laboribus Herculis facta mentio Lib. IX.

Quod mallem. Solent inimici laudes inimicorum negare, & obterere; aut ſaltem diſſimulare.

Deiphobum. Filium Priami. Sententia eſt: Si non reprehendimur, quia Trojanos non laudamus, licet fortiſſimos, ut Hectorem, & Deiphobum, hoſtes videlicet, noſtros: neque ego a te reprehendi debeo, qui Herculem, meum pariter inimicum, non laudaverim.

Polydamanta. Polydamas, dux Trojanorum fortiſſimus, Antenoris filius.

Meſſenia. Meſſene, urbs Peloponneſi, infra Arcadiam. *Moſeniga*.

Elim. Elis, Pylus, oppida ejuſdem Peloponneſi, Lib. II. 15. VI. 10. XIV. 8.

Bis ſex. Duodecim fuimus Nelidæ: agmen juvenum egregium; totidem ſunt (me uno excepto) ab Hercule interfecti.

Nelidæ. Filii Nelei. Neleus

Bis ſex Herculeis ceciderunt, me minus uno,
Viribus. Atque alios vinci potuiſſe ferendum eſt;
Mira Periclymeni mors eſt, cui poſſe figuras
Sumere quas vellet, rurſuſque reponere ſumptas,
Neptunus dederat, Nelei ſanguinis auctor.
Hic, ubi nequicquam eſt formas variatus in omnes,
Vertitur in faciem volucris, quæ fulmina curvis
Ferre ſolet pedibus, divum gratiſſima regi.
Viribus uſus avis, pennis roſtroque redunco,
Hamatiſque viri laniaverat unguibus ora.
Tendit in hanc nimium certos Tirynthius arcus,
Atque inter nubes ſublimia membra ferentem,
Perdentemque ferit; lateri qua jungitur ala;
Nec grave vulnus erat; ſed rupti vulnere nervi
Deficiunt, motumque negant, vireſque volandi.
Decidit in terram, non concipientibus auras
Infirmis pennis; &, quæ levis hæſerat alæ,
Corporis affixi preſſa eſt gravitate ſagitta,
Perque latus ſummum jugulo eſt exacta ſiniſtro:
Num videor debere tui præconia rebus
Herculis, o Rhodiæ ductor pulcherrime claſſis?

leus Neptuni filius, Neſtoris pater.

Atque &c. Ac cœteros quidem fratres meos minus miror, & facilius patior eſſe occiſos ab Hercule; at plus admirationis mihi, doloriſque attulit mors Periclymeni, unius ex illis.

Nelei &c. A quo Neptuno ducimus originem. Unde Neleus eſt natus.

Viribus, &c. Periclymenus utens viribus, quas illi dabat transformatio in aquilam, Herculis vultum laniavit pennis & roſtro.

Haumatis. Inſtar hamorum recurvis.

Concipientibus auras. Aerem non complectentibus, & in eo ſe ſuſtinere, ac librare, amplius non valentibus.

Et quæ, &c. Sagitta quæ leviter alæ infixa fuerat, altius in latus eſt adacta, ob gravitatem corporis decidentis, & in illam incumbentis, ita ut per ſupremam lateris partem e jugulo ſagittæ cuſpis emineret.

Num videor, &c. Cum Hercules de me, fratribuſque meis, tam male ſit meritus; an putas exigi a me jure poſſe, ut eum laudem?

O Rhodiæ .... Tlepolemum Rhodios ad bellum Trojanum duxiſſe teſtis Homerus eſt Lib. II. Iliad. eorumque claſſi præfuiſſe.

Ne tamen ulterius; quam fortia facta ſilendo,
Ulciſcar fratres, ſolida eſt mihi gratia tecum.

Ne tamen. Ea nihilominus amicitia ſolida, quæ mihi tecum intercedit, prohibet ne aliter ulciſcar fratres meos, quam ſilendo de Hercule. Poſſem de Hercule conqueri, gravius aliquid de illo dicere, inimicitias tecum gerere; non faciam; nec alias ab eo pœnas repetam, quam ejus res præclare geſtas tacendo.

X I V.

Neptunus Apollinem incitat ad perdendum Achillem.

Hæc poſtquam dulci Neleius edidit ore,
A ſermone ſenis repetito munere Bacchi,
Surrexere toris, nox eſt data cætera ſomno.
At Deus æquoreas, qui cuſpide temperat undas,
In volucrem corpus nati Phaethontida verſum
Mente dolet patria, ſævumque peroſus Achillem,
Exercet memores, plus quam civiliter, iras.
Jamque fere tracto duo per quinquennia bello,
Talibus intonſum compellat Sminthea dictis:
O mihi de fratris longe gratiſſime natis,

A ſermone, &c. Narrationem Neſtoream, poculis denuo ſumptis ac repetitis, ſecuti ſunt proceres Græci.

Toris. Lectis, in quibus accumbebant.

At Deus. Neptunus.

Cuſpide. Tridente.

Volucrem Pheethontidam. In Cycnum. Supra n.2. Vocat Cycnum volucrem Phaethontida, quia olim Cycnus Phaethontis affinis, in Cycnum quoque mutatus fuit, ut narratur. Lib.II. num.9.

Mente ... Dolet pro eo, ac debet pater.

Plus quam civiliter. Hoſtilem in modum. Plus æquo. Civile dicitur, quod juri & mori, inter cives uſitato, conſentaneum eſt.

Sminthea. Apollinem, Smintheus Apollo vocatus eſt ab Homero, ejuſque nominis cauſam hanc interpretes aſſerun , quod Apollinis beneficio, murium (quos σμίνθους vocabant Cretenſes) infeſta multitudo fuiſſet oppreſſa, & abacta. Simulacrum ejus viſebatur murem pede premens. Plura lege, ſi vacat, apud Lacerdam Lib. III. Æneid. ad verſum 108.

O *mihi*. O Apollo, quem ego inter Jovis, mei fratris, filios, unum longe cariſſimum habeo.

Irri-

Irrita qui mecum poſuiſti mœnia Trojæ,
Ecquid, ubi has jam jam caſuras aſpicis arces,
Ingemis? aut ecquid tot defendentia muros
Millia cæſa doles? ecquid (ne perſequar omnes)
Hectoris umbra ſubit, circum ſua Pergama tracti
Cum tamen ille ferox, belloque cruentior ipſo,
Vivit adhuc, operis noſtri populator Achilles.
Det mihi ſe; faxo triplici quid cuſpide poſſim
Sentiat: at quoniam concurrere cominus hoſti
Non datur, occulta nec opinum perde ſagitta.

Irrita. Evertenda nimirum a Græcis; non manſura.

Qui mecum &c. Lib. XI. num. 8.

Ecquid ingemis? Annon mœrore afficeris, cum Trojam a Græcis brevi exſcindendam vides?

Subit. Tibi venit in mentem.

Tracti. Achilles Hectoris cadaver circa Trojæ muros ter, invidioſa crudelitate, raptavit.

Pergama. Pergamus (neutrius generis in plurali numero) arx Trojæ vocabatur. Inde natum, ut alius quilibet locus editior, Pergamus diceretur.

Operis noſtri. Trojæ a nobis ædificatæ.

Det mihi ſe. Committat ſe mihi, faciam profecto ut intelligat quid hoc meo tridente poſſim. Ita vivam, ut eum obruam, ac perdam male. Sed quoniam congredi cum illo palam non poſſumus, id vetante Jove, tu illum aliena manu, & telo, nec opinantem perime.

X V.

Achilles a Paride, Apollinis ductu perimitur: illius elogium. Pro ejuſdem armis orta Ulyſſem inter & Ajacem contentio.

Annuit, atque animo pariter patruique, ſuoque,
Delius indulgens, nebula velatus in agmen
Pervenit Iliacum, mediaque in cæde virorum
Rara per ignotos ſpargentem cernit Achivos
Tela Parin, faſſuſque Deum, Quid ſpicula perdis

Patrui. Neptuni: qui frater Jovis; Apollo Jovis, & Latonæ filius.

Animo... Dolori, iracundiæ.

Iliacum. Trojanum.

Faſſus Deum. Se Apollinem eſſe confeſſus.

Sanguine plebis? ait: Si qua eſt tibi cura tuorum,
Vertere in Æaciden, cæſoſque ulciſcere fratres.
Dixit, & oſtendens ſternentem Troica ferro
Corpora Peliden, arcus obvertit in illum,
Certaque letifera direxit ſpicula dextra.
Quo Priamus gaudere ſenex poſt Hectora poſſet,
Hoc fuit. Ille igitur tantorum victor; Achille,
Victus es a timido Grajæ raptore maritæ!
At, ſi fœmineo fuerat tibi Marte cadendum,
Thermodontiaca malles cecidiſſe bipenni.
Jam timor ile Phrygum, decus & tutela Pelaſgi
Nominis Æacides, caput inſuperabile bello,
Arſerat: armarat Deus idem, idemque cremarat:
Jam cinis eſt, & de tam magno reſtat Achille
Neſcio quid, parvam quod non bene compleat urnam.
At vivit totum quæ gloria compleat orbem:
Hæc illi menſura viro reſpondet, & hæc eſt
Par tibi, Pelide, nec inania Tartara ſentit.

Vertere. Tela tua converte. Imperativus paſſivę vocis.
Æaciden. Achillem, Æaci nepotem. Eum in templo Apollinis, non in acie, cæſum alii poetæ narrant.
Fratres. Hectorem, & alios Priami filios, in Trojano bello cæſos.
Peliden. Pelei filium, Achillem.
Arcus. Arcum Paridis.
Obvertit. Apollo.
Direxit. In calcem Achillis, quem ſtatim a partu mater Thetis in Styge merſerat, ut numquam vulnerari poſſet: ſed cum eum teneret calce, pars illa merſa non fuit, ac proinde ſola vulneri patebat.
Poſt Hectora. Hoc vero Achillis vulnus id fuit, quo primum Hector, deinde Priamus, gaudere merito poſſent.
Ille igitur &c. Tu ille, qui tantos, tam fortes viros, viceras.
Grajæ maritæ. Helenæ, uxoris Menelai.
Fœmineo Marte. Manu muliebri: viri effœminati.
Thermodontiaca. Amazonia. Lib. IX. n. 6. qua utebantur Amazones, quæ Aſiæ partem circa Tanaim, & Thermodontem, incoluerunt.
Arſerat. Rogo impoſitus.
Deus idem. Vulcanus, a quo fabricata fuerant Achillis arma. Idem Deus, ignis erat præſes: igne autem cadavera cremabantur.
Urnam. In qua cineres ejus conditi.
Hæc illi, &c. Orbis totus par Achilli unus eſt, ejuſque gloriæ.
Inania. Ubi tantum umbræ, non corpora.
Sentit. Gloria tua extra jus imperiumque mortis eſt & ſem-

Ipſe etiam, ut cujus fuerit cognoſcere poſſes,
Bella movet clypeus, deque armis arma feruntur:
Non ea Tydides, non audet Oileus Ajax,
Non minor Atrides, non bello major & ævo,
Poſcere, non alii; ſoli Telamone creato,
Lartiadæque, fuit tantæ fiducia laudis.
A ſe Tantalides onus, invidiamque removit:
Argolicoſque duces mediis conſidere caſtris
Juſſit, & arbitrium litis trajecit in omnes.

ſemper vivet, ac vigebit.

Ut cujus, &c. Ut intelligeretur a quo geſtatus viro fuiſſet: nempe ab eo, qui ſemper bella geſſerat, numquam ab armis conquieverat.

Deque armis &c. De armis Achillis bellum excitatur. Duces Græci de armis ejus habendis certant.

Tydides. Diomedes, Tydei filius.

Oileus Ajax. Oilei filius. Duo Ajaces fuere: unus Telamonis filius; alter Oilei, de quo meminit Virgil. I. Æneidos, initio.

Minor Atrides. Menelaus, Atrei filius, natu minor.

Major. Agamemnon: natu major.

Alii. Græcorum duces.

Soli &c. Soli Ajaci, Telamone genito, & Ulyſſi: animus certandi, ac ſpes vincendi fuit. Soli duo, filius Telamonis, & Laertæ filius, hanc ſibi gloriam arrogarunt. Dejerat Heinſius legendum eſſe; *Solis, Telamone creatis, Laertaque,* ... fatetur tamen in pluribus veteribus ſcriptum eſſe, *Lartiadaque*, ideſt, Laertæ filio: pro, Laertiadæ.

Tantalides. Agamemnon, a Tantalo genus ducens: Atreus enim, Agamemnonis pater, genitus erat Pelope; Pelops Tantalo; Tantalus Jove.

Onus &c. Noluit ſuo judicio controverſiam, de Achillis armis ortam, decidere: provinciam hanc oneroſam & invidioſam tranſtulit in omnes Græcorum proceres.

Argolicos. Argos, primaria civitas Peloponneſi fuit: regio vicina, Argolis: populus, Argivi, & Argolici dicti ſunt.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER DECIMUSTERTIUS.

SYNOPSIS.

AJax & Ulyſſes certant de Armis Achillis. Ajax in florem mutatur. Troja excidium. Polyxena mactatur ad Achillis tumulum. Hecuba in canem convertitur. Anii filia in columbas. Memnonides aves e Memnonis rogo naſcuntur. Iter Æneæ in Italiam, in quo variæ metamorphoſes perſtringuntur. Acis in fluvium liqueſcit; fugiens Polyphemum. Glaucus fit piſcis. Charybdis, vorago.

I.

Ajax & Ulyſſes de Achillis armis certant.
Aiacis oratio.

COnſedere duces, & vulgi ſtante corona,
Surgit ad hos clypei dominus ſeptemplicis Ajas
Utque erat impatiens iræ, Sigeia torvo
Littora reſpexit, claſſemque in littore, vultu:
Intendenſque manus, Agimus, pro Jupiter, inquit,
Ante rates cauſam, & mecum confertur Ulyſſes!
At non Hectoreis dubitavit cedere flammis,

Conſedere. Tamquam judices iſtius controverſiæ.
Duces. Græci proceres.
Corona. Turba in orbem circumſtante.
Ad hos ſurgit. Duces aſſurgens alloquitur.
Septemplicis. Septem boum coriis tecti. Commendat hoc Ajacis ſcutum Homerus. Lib. VII. Iliad.
Ajax. Telamonis, qui Pelei frater, filius, ac proinde Achillis patruelis: qui Peleo natus erat.
Sigeia. Sigeum, Troadis promontorium. Lib. XI. n.8.
Claſſem. Græcorum.
Intendens. Protendens verſus claſſem.
Hectoreis &c. Hector claſſem Græcorum incendere ten-

Quas ego ſuſtinui, quas hac a claſſe fugavi.
Tutius eſt igitur fictis contendere verbis,
Quam pugnare manu: ſed nec mihi dicere promptũ,
Nec facere eſt iſti; quantumque ego Marte feroci,
Inque acie valeo, tantum valet iſte loquendo.
Nec memoranda tamen vobis mea facta, Pelaſgi,
Eſſe reor; vidiſtis enim: ſua narret Ulyſſes,
Quæ ſine teſte gerit, quorum nox conſcia ſola eſt.
Præmia magna peti fateor; ſed demit honorem
Æmulus Ajaci; non eſt tenuiſſe ſuperbum,
Sit licet hoc ingens, quicquid ſperavit Ulyſſes.
Iſte tulit pretium jam nunc certaminis hujus,
Quod cum victus erit, mecum certaſſe feretur.
Atque ego, ſi virtus in me dubitabilis eſſet,
Nobilitate potens eſſem, Telamone creatus,
Mœnia qui forti Trojana ſub Hercule cepit,
Littoraque intravit Pagaſea Colcha carina.
Æacus huic pater eſt, qui jura ſilentibus illic

tentavit. Hom. Iliad. XV. Eum fortiter ſuſtinuit Aiax, & repulit, Ulyſſe turpiter cedente.

Tutius eſt. Sapit profecto Ulyſſes, qui tutiora eligat, & lingua malit pugnare, quam manu. Ego plus pugnando, quam loquendo, poſſum.

Dicere. Verba eleganter & ornate facere.

Promptum. Facile, expeditum.

Facere. Rem in bello ſtrenue gerere.

Nox conſcia eſt. Ulyſſes plurima noctu fæliciter perfecit: Dolonem peremit, &c.

Demit &c. Victoriæ gloriam minuit adverſarii conditio, & vilitas. Glorióſum eſt Achillis arma petere; ſed turpe eſt illa cum Ulyſſe petere; tam vilem competitorem habere.

Tenuiſſe. Obtinuiſſe: impetraſſe.

Ipſe &c. Satis gloriæ jam conſecutus eſt Ulyſſes, quod mecum comparetur, & certet, etiamſi vincendus ſit.

Si virtus &c. Propoſitio totius orationis, & diſtributio. Si veniret in dubium mea fortitudo, certe dubitari de nobilitate non poſſet. Primo igitur de nobilitate dicturus eſt: deinde de fortitudine ſua, & rebus geſtis.

Mœnia. Lib XI. n. 8.

Pagaſea. Lib. VII. numer. I. Telamon in Colchidem ad vellus aureum navigavit, cum reliquis Argonautis.

Colcha. Colchitâ.

Æacus. Lib. VII. nu. 13.

Huic. Telamoni.

Silentibus. Mortuis.

Illic. In Tartaro.

Ubi

Reddit, ubi Æolidem ſaxum grave Siſyphon urget.
Æacon agnoſcit ſummus, prolemque fatetur
Jupiter eſſe ſuam: ſic a Jove tertius Ajax.
Nec tamen hæc ſeries in cauſam proſit Achivi,
Si mihi cum magno non eſt communis Achille.
Frater erat, fraterna peto. Quid ſanguine cretus
Siſyphio: furtiſque & fraude ſimillimus illi,
Inſeris Æacidis alienæ nomina gentis?

Ubi Æoliden. Quibus in inferis lapis ingens aſſidue volvendus, fatigat Siſyphum. Lib. IV. nu. 5. Hæc in Ulyſſis contemptum obiter jacit, quem e Siſypho Latrone (Lib. IV. 5.) natum fama jactabat.

Æoliden. Filium Æoli.

A Jove tertius. Sum Jovis pronepos.

In cauſam proſit. Cauſæ meæ non patrocinetur tot illuſtrium majorum ſeries, niſi eadem nobilitas mihi cum Achille communis eſt.

Frater. Patruelis. Peleus enim Achillis pater, germanus erat Telamonis, ex quo natus Ajax.

Erat. Achilles.

Fraterna. Arma, Spolia.

Inſeris &c. Cur tu, qui originem ducis a Siſypho latrone, qui tam longe abes ab Æacidarum nobilitate, ambis arma, quæ in eorum familia manere debent? Metaphora ducitur ab arboribus peregrinis, quæ in truncos alienos inſeruntur. Ad propinquos hæc arma pertinent, non ad alienos: ad Æaci nepotem, non ad filium Siſyphi.

II.

Secunda pars orationis Ajacis.

An quod in arma prior, nulloque ſub indice veni,
Arma neganda mihi? potiorque videbitur illis,
Ultima qui cœpit, detrectavitque furore
Militiam ficto: donec ſolertior iſto,

An quod, &c. Alterum argumentum tractare incipit ductum a virtute bellica, & ſuis rebus geſtis, quas cum Ulyſſis inertibus, aut nefariis, ut ait, facinoribus comparat.

In arma. Ad bellum.

Nullo indice. A nemine, qui me latentem & abditum indicaret, pertractus, uti tu.

Potior. Dignior.

Ultima. Qui arma ultimo loco, poſtremus omnium, ſumpſit.

Furore ficto. Ulyſſes, ſive metu periculi, ſive amore, conjugis Penelopes, Trojam cum

Et ſibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitataque traxit ad arma.
Optima nunc ſumat, qui ſumere noluit ulla:
Nos inhonorati, & donis patruelibus orbi,
Obtulimus quia nos ad prima pericula, ſimus.
Atq; utinam aut verus furor ille, aut creditus eſſet,
Nec comes hic Phrygias unquam veniſſet ad arces
Hortator ſcelerum; non te, Pœantia proles,
Expoſitum Lemnos noſtro cum crimine haberet.
Qui nunc, ut memorant, ſilveſtribus abditus antris,
Saxa moves gemitu, Laertiadæque precaris
Quæ meruit, quæ (ſi Dii ſunt) non vana precaris.

cum cæteris Græciæ ducibus proficiſci omnino recuſabat. Eam ob rem dementiam finxit, & ruri ſe abdens arabat humum temere, ac ſalem pro tritico ſeminabat. Palamedes a Græcis miſſus, rem ut exploraret, aranti filium parvulum Telemachum objecit, quem Ulyſſes aratro ſublato cavit offendere. Sic fraude detecta, protractus ad bellum eſt.

Sibi inutilior. Hæc enim Palamedis in Ulyſſe detegendo ſolertia, non modo illi non profuit, ſed etiam obfuit, quia Ulyſſis dolo interfectus eſt.

Commenta. Dolos.

Naupliades. Palamedes filius Nauplii.

Nos &c. Nos ſimus inhonorati, &c. An decet nos propterea privari armis fratris noſtri patruelis?

Creditus. Pro vero habitus.

Comes hic. Ulyſſes, comes Palamedis, ab eo Trojam ductus.

Hortator ſcelerum. Cujus conſilio Philocteten, per ſummum ſcelus, deſtituimus.

Pœantia proles. Philoctete, Pœantis fili. Ad hunc Ulyſſes miſſus, ut ſagittas Herculis, ſine quibus Ilium capi non poſſe in fatis erat, afferre Trojam vellet: perſuaſit. Venientem Philocteten ſagitta caſu delapſa vulneravit in pede. Natum inde ulcus, ob venenatum hydræ ſanguinem, quo tinctæ erant ſagittæ: ex illo ulcere ortus adeo teter & intolerandus fœtor, ut coacti fuerint Græci Philocteten in Lemno inſula exponere, ac deſerere, ubi vitam in luctu ac ſummis doloribus traxit, ab Ulyſſe poſtea Trojam eſt deductus, cum ſagittis Herculis; Poſt bellum Trojanum venit in Italiam: ubi Petiliam urbem condidit, demum a Machaone ſanatus dicitur.

Lemnos. Inſula in mari Ægeo, Vulcano ſacra: nunc *Stalimene*.

Laertiadæ. Ulyſſi.

Si Dii ſunt. Qui nempe a ſceleratis pœnas expectant.

Ea-

Et nunc ille eadem nobis juratus in arma,
Heu! pars una ducum, quo ſucceſſore ſagittæ
Herculis utuntur; fractus morboque, fameque,
Velaturque, aliturque avibus, volucreſque petendo,
Debita Trojanis exercet ſpicula fatis.
Ille tamen vivit, quia non comitatur Ulyſſem.
Vellet & infælix Palamedes eſſe relictus,
Viveret, aut certe letum ſine crimine haberet.
Quem, male convicti nimium memor iſte furoris,
Prodere rem Danaam finxit, fictumque probavit
Crimen, & oſtendit quod jam præfoderat aurum.

Eadem &c. Eidem nobiſcum adſcriptus militiæ.

Quo ſucceſſore, &c. Cui ſagittas ſuas Hercules, poſt obitum ſuum, habendas poſſidendaſque, tradidit.

Velatur avibus. Pennis avium, quas venando figit, veſtitur.

Petendo. Sectando, figendo.

Debita Trojanis fatis. Quibus Troja perire debet, ut eſt in fatis.

Ille. Philoctetes.

Relictus. Vellet Palamedes relictus fuiſſe in aliqua deſerta inſula, ut Philoctetes: viveret, ut ille; nunc, quia cum Ulyſſe petiit Trojam, periit.

Quem &c. Ulyſſes dolens detectam, & convictam a Palamede inſaniam, ac furorem, quem ſimulabat, litteras Priami ad eum finxit. Iis Priamus agebat cum Palamede, ut Græcos proderet, ſeque magnum auri pondus illi miſiſſe ſignificabat, majus pollicebatur. Cum nemo ſcelus tantum in Palamedem cadere poſſe exiſtimaret, ſuaſit Ulyſſes ut excuteretur illius tentorium, in quo cum reperta fuiſſet ingens auri ſumma: clam ab Ulyſſe ibi defoſſa damnatus, & morte mulctatus eſt, tamquam patriæ proditor. Virg. Lib. II.

Præfoderat. Antea in Palamedis tentorio defoderat.

III.

Tertia pars Orationis Ajacis.

Ergo aut exilio vires ſubduxit Achivis,
Aut nece; ſic pugnat, ſic eſt metuendus Ulyſſes.

Exilio. Philoctetæ.

Vires ſubduxit. Exercitum imminuit: viris fortiſſimis Græcos orbavit.

Nece. Palamedis.

Sic pugnat. Nempe dolis & proditione: hæc arma illum timendum efficiunt.

Qui

Qui licet eloquio fidum quoque Neſtora vincat:
Haud tamen efficiet, deſertum ut Neſtora crimen
Eſse rear nullum, qui cum imploraret Ulyſsem
Vulnere tardus equi, feſsuſque ſenilibus annis,
Proditus a ſocio eſt. Non eſt mihi crimina fingi,
Scit bene Tydides, qui nomine ſæpe vocatum
Corripuit, trepidoque fugam exprobravit amico.
Aſpiciunt oculis Superi mortalia juſtis;
En eget auxilio, qui non tulit: utque reliquit.
Sic linquendus erat, legem ſibi dixerat ipſe.
Conclamat ſocios; adſum, videoque trementem,
Pallentemque metu, & trepidantem morte futura:
Oppoſui molem clypei, texique jacentem,
Servaviq; animam (minimum eſt hoc laudis) inertem.
Si perſtas certare, locum redeamus ad illum,
Redde hoſtes, vulnuſq; tuum, ſolitumq; timorem.
Poſt clypeumque late, & mecum contende ſub illo.
At poſtquam eripui, cui ſtandi vulnera vires
Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.
Hector adeſt, ſecumque Deos in prælia ducit;

Qui cum &c. Neſtor, equo vulnerato, erat opprimendus ab Hectore. Ulyſses fuga ſibi conſuluit, neque Diomedis objurgatione adduci potuit ut opem ferret Neſtori, quem Diomedes curru ſuo acceptum Hectori inſtanti ſubduxit. Homer. Iliad. VIII.

Socio. Ulyſse.

Tydides. Diomedes, filius Tydei.

Corripuit. Objurgavit.

Amico. Ulyſſi.

En eget. Ulyſses in acie vulneratus ſociorum opem imploravit; ſed viciſſim eſt ab iis relictus, quaſi Superi voluiſsent deſerti Neſtoris pœnas ab eo repetere. Ab Ajace tamen ſervatus fuit.

Reliquit. Neſtorem.

Legem, &c. Exemplum ipſe dederat, quomodo tractandus eſset.

Redde hoſtes. Redi medios inter hoſtes, finge te vulneratum, timidum, &c.

Clypeum. Meum.

Eripui. Ulyſsem hoſtibus.

Cui &c. Qui pedibus inſiſtere, ob vulneris gravitatem, non poterat in acie; ex ea ſubductus meo beneficio, fugere cœpit tanta velocitate, ut ſi nullum vulnus accepiſset, timore vires & alas addente.

Hector adeſt. Quaſi diceret: meminiſtine illius diei, quo Hector, ſuperis faventibus, vallum Græcorum ſuperavit? Homer. Lib. XII.

Deos. Sibi faventes.

Pen.

Quaque fuit, non tu tantum terreris, Ulyſſe,
Sed fortes etiam; tantum trahit ille timoris.
Hunc ego ſanguineæ ſucceſſu cædis ovantem
Eminus ingenti reſupinum pondere fudi:
Hunc ego poſcentem cum quo concurreret, unus
Suſtinui, ſortemque meam voviſtis, Achivi,
Et veſtræ valuere preces. Si quæritis hujus
Fortunam pugnæ, non ſum ſuperatus ab illo.

Pondere. Molari ſaxo. *Fudi*. Ad terram dejeci. *Poſcentem &c.* Fortiſſimos Græcorum provocantem ad certamen ſingulare. Homer. Lib. VII. *Sortem*. Optaſtis ut ego, ſorte ducta, eligeret. Novem Græcorum duces propoſiti fuerant, ut eorum unus ſorte legeretur, pugnaturus cum Hectore, Ajacis nomen & ſors exiit: pugnavit æquo Marte, datiſque invicem muneribus, deſceſſerunt. *Non ſum &c.* Inſtar ingentis victoriæ mihi fuit, ab Hectore non ſuperatum, & illi parem extitiſſe.

I V.

Reliqua Ajacis oratio.

Ecce ferunt Troes ferrumque, igneſque, Jovemque
In Danaas claſſes: ubi tunc facundus Ulyſſes?
Nempe ego mille meo protexi pectore puppes,
Spem veſtri reditus: date pro tot navibus arma.
Quod ſi vera licet mihi dicere, quæritur iſtis,
Quam mihi, major honos, conjunctaque gloria noſtra eſt;
Atque Ajax armis, non Ajaci arma petuntur.
Conferat his Ithacus Rheſum, imbellemque Dolona:

Ecce ferunt. Aliud egregium Ajacis facinus: claſſem ab ignibus Trojanorum defendit. Lib. XV. Iliad. *Ferunt Jovem*. Jovem auxilio freti pugnant igne, & ferro. *Pro tot navibus*. Quas vobis ſervavi. *Quæritur iſtis &c.* Majori ornamento armis ero, quam illa mihi. *Conjuncta*. Mea, & armorum gloria eadem eſt. *Armis*. Honorandis, ut ea ornet, non ut ab iis ornetur. *His*. Rebus a me tot, tam præclare geſtis comparet ſuas. *Itachus*. Ulyſſes, Itacæ rex, inſulæ in mari Jonio. *Rheſum*. Rheſus Thraciæ rex,

Priamidenque Helenum rapta cum Pallade captum:
Luce nihil geſtum; nihil eſt, Diomede remoto.
Si ſemel iſta datis meritis tam vilibus arma;
Dividite, & pars ſit major Diomedis in illis.
Quo tamen hæc Ithaco? qui clam, qui ſemper inermis
Rem gerit, & furtis incautum decipit hoſtem.
Ipſe nitor galeæ claro radiantis ab auro
Inſidias prodet, manifeſtabitque latentem:
Sed neque Dulichius ſub Achillis caſſide vertex
Pondera tanta feret: nec non onerosa, graviſque
Pelias haſta poteſt imbellibus eſſe lacertis:
Nec clypeus, vaſti cælatus imagine mundi,
Conveniet timidæ, natæque ad furta ſiniſtræ.
Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?
Quod tibi ſi populi donaverit error Achivi,
Cur ſpolieris erit, non cur metuaris, ab hoſte:
Et fuga, qua ſola cunctos, timidiſſime, vincis,
Tarda futura tibi eſt geſtamina tanta trahenti.

rex, ſuppetias Trojanis veniens, cum equis fatalibus, ab Ulyſſe ac Diomede eſt interfectus, & equi abducti, ea ipſa, qua venerat nocte.

Dolona. Dolon explorator ad caſtra Græcorum ab Hectore ſubmiſſus, interceptus ab Ulyſſe, & peremptus eſt. Hom. Lib. X.

Helenum. Helenus, Priami filius, ab Ulyſſe comprehenſus, illi Trojanorum arcana conſilia detexit.

Cum Pallade. Palladium, ſive ſtatua Palladis, ſervabatur in arce Trojæ. Editum oraculum erat, Trojam capi tandiu non poſſe, quandiu Palladium in ea maneret. Illud Ulyſſes, ac Diomedes, rapuere. Virgil. Lib. II.

Luce. De die.

Diomede remoto. Sine auxilio Diomedis nihil geſſit.

Meritis, &c. Ulyſſi tam parum hæc merenti, tam inerti: factis adeo levibus.

Dividite. Arma inter Diomedem, & Ulyſſem.

Quo tamen. Quorſum, quo conſilio, quem ad uſum, hæc arma dabitis Ulyſſi?

Furtis. Inſidiis, proditione.

Dulichius vertex. Ulyſſis caput. Dulichium & Itacha, vicinæ ſunt inſulæ, in mari Jonio: Ulyſſis olim regnum.

Pelias. Achillea. Libr. XII. num. 4.

Cælatus. Orbem terrarum in Achillis clypeo cælatum Homerus narrat Iliad. Lib. XVIII.

Cur ſpolieris. Non injiciet ille clypeus timorem hoſti, ſed cupiditatem ſpoliandi te; ſed moram afferet tibi fugienti.

Ul-

Adde quod iſte tuus, tam raro prælia paſsus,
Integer eſt clypeus; noſtro, qui tela ferendo
Mille patet plagis, novus eſt ſucceſsor habendus.
Denique quid verbis opus eſt? ſpectemur agendo:
Arma viri fortis medios mittantur in hoſtes,
Inde jubete peti, & referentem ornate relatis.
Finierat Telamone ſatus, vulgique ſecutum
Ultima murmur erat: donec Laertius heros
Adſtitit, atque oculos paulum tellure moratos
Suſtulit ad proceres, expectatoque reſolvit
Ora ſono, neque abeſt facundis gratia dictis.

Ultima. Partem ultimam orationis.

Murmur. Secundæ & fauſta admurmuratio.

Laertius heros. Ulyſses, Laertæ filius.

Adſtitit. Stetit in procerum conſpectu: ad dicendum ſurrexit.

Oculos. Liberalis in dicendo pudor, & quædam incipiendi mora, conciliat auditorem, ut recte monet Quintilianus Lib. II. c. 3.

V.

Ulyſſis Oratio.

Si mea cum veſtris valuiſsent vota, Pelaſgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis hæres,
Tuque tuis armis, nos te potiremur, Achille:
Quem quoniam non æqua mihi, vobiſque negarunt
Fata (manuque ſimul veluti lacrymantia terſit
Lumina) quis magno melius ſuccedet Achilli,
Quam per quem magnus Danais ſucceſſit Achilles?
Huic modo ne proſit, quod, ut eſt, hebes eſse
videtur:

Mea vota. De Achillis incolumitate. Si Achilles viveret, ut ipſe vobiſcum optarem.

Non foret &c. Non laboraremus de ſucceſsore armis Achillis, de quibus nunc certatur, eligendo.

Succedet. Armorum illius tanquã hæreditatem adibit.

Succeſſit. Obtigit. Cujus opera effectum eſt, ut Achilles ad bellum Trojanum accederet, poſt reliquos Græcos tandem Trojam veniret. Id Ulyſſis induſtriæ potiſſimum factum, ut poſtea explicabit.

Huic. Ajaci. Eum digito monſtrat.

Neve mihi noceat, quod vobis ſemper, Achivi,
Profuit ingenium; meaque hæc facundia, ſi qua eſt,
Quæ nunc pro domino, pro vobis ſæpe locuta eſt,
Invidia careat; bona nec ſua quiſque recuſet.
Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco. Sed enim quia rettulit Ajax
Eſse Jovis pronepos, noſtri quoque ſanguinis auctor
Jupiter eſt, totidemque gradus diſtamus ab illo.
Nam mihi Laertes pater eſt, Arceſius illi;
Jupiter huic: neq; in his quiſquam damnatus, & exul.
Eſt quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas: Deus eſt in utroque parente.
Sed neque materno quod ſum generoſior ortu,
Nec mihi quod pater eſt fraterni ſanguinis inſons,
Propoſita arma peto: meritis expendite cauſam.
Dummodo quod fratres Telamon, Peleuſq; fuerunt,
Ajacis meritum non ſit: nec ſanguinis ordo,
Sed virtutis honor ſpoliis quæratur in iſtis.

Neve &c. Modeſte invidiam ingenii, & ſuſpicionem doloſæ orationis amolitur.

Domino. Pro meipſo: in hac mea cauſa.

Invidia caret. Non mihi cujuſquam odium conciliet: neminem offendat.

Bona ſua. Dotes, vel datas a natura, vel arte partas.

Recuſet. Sibi abjudicet: inficietur.

Noſtra. In bonis noſtris numeranda.

Retulit. Narravit, gloriatus eſt.

Eſſe pronepos. Græca locutio. Se eſſe Jovis pronepotem.

Totidem. Quot Ajax.

Arceſius illi. Arceſius eſt Laertæ pater.

Huic. Arceſio eſt pater.

Damnatus & exul. Carpit his Ajacem. Nemo eſt inter meos majores exilio damnatus, ut inter tuos. Peleus enim, & Telamon, ob fratrem Phocum interfectum, damnati ſunt ab Æaco patre & in exilium pulſi. Quare Peleus in Theſſaliam (ſupra Lib. XI.) Thelamon Salaminem profugit.

Eſt quoque &c. Alter eſt mihi nobilitatis gradus a materna ſtirpe, quæ originem ad Mercurium refert. Anticlea, mater Ulyſſis, erat filia Autolici, cujus pater Mercurius.

Cyllenius. Lib. V. 9.

Deus eſt.... Habeo Deos auctores paterni ſimul, & materni generis.

Generoſior. Nobilior.

Nec mihi. Quod meus pater ſui fratris percuſſor non fuit, uti tuus.

Meritis. Rebus ab utroque noſtrum praclare geſtis.

Dummodo &c. Id oro duntaxat,

Aut ſi proximitas, primuſque requiritur hæres,
Eſt genitor Peleus, eſt Pyrrhus filius illi,
Quis locus Ajaci? Phthiam hæc, Scyronve, ferantur.
Nec minus eſt iſto Teucer patruelis Achilli;
Non petit ille tamen; num, ſi petat, auferat illa?

taxat, ne id in meriti, & laudis loco ponat Ajax, quod Achillis frater patruelis ſit. Supra num 1.

Aut ſi &c. Si ratio propinquitatis valeret, alii ſunt propinquiores Achilli, quam Ajax, nempe Peleus, Achillis pater; Pyrrhus, ejus filius quibus proinde danda eſſent Achillis arma potius, quam Ajaci.

Phitiam. Urbem Græciæ, ubi degebat Peleus: *Scyron*, inſulam Ægei maris, ubi Pyrrhus.

Nec minus... Teucer, non minus eſt frater Achillis patruelis, quam iſte Ajax; nec tamen perit arma; nec, ſi peteret, obtineret. Teucer Telamonis, uti Ajax, filius, fuit. De illo meminit Horatius Lib. I. Od. *Laudabunt*, *&c.* Alius Teucer regnavit in Troade. Infra num. 19.

V I.

Ulyſſes præclara ſua facinora prædicat.

Ergo operum quoniam nudum certamen habetur,
Plura quidem feci, quam quæ comprendere dictis
In promptu mihi ſit: rerum tamen ordine ducar:
Præſcia venturi genitrix Nereia leti
Diſſimulat cultu natum; & deceperat omnes,
In quibus Ajacem ſumptæ fallacia veſtis.
Arma ego fœmineis animum motura virilem
Mercibus inſerui; neque adhuc projecerat heros
Virgineos habitus; cum parmam, haſtamq; tenenti,
Nate Dea, dixi, tibi ſe peritura reſervant
Pergama, quid dubitas ingentem evertere Trojam?

Genitrix Nereia. Thetis, Achillis mater; Nerei filia.

Præſcia leti. Cum filium in Trojano periturum bello cognoviſſet.

Cultu &c. Sub veſte muliebri Achillem, ne Trojam proficiſcerentur, texit.

Arma ego. Thetis filium Lycomedi (rex erat inſulæ Scyri) alendum commiſerat veſte fœminea latentem. Ulyſſes rem odoratus, venit in aulam Lycomedis, habitu mercatoris. Inter varias merces, quibus delectantur fœminæ, ſpecula, monilia, &c, inſeruerat gladium, ga-

kam,

Injecique manum, fortemque ad fortia miſi.
Ergo opera illius, mea ſunt: ego Telephon haſta
Pugnantem domui; victum orantemque refeci:
Quod Thebæ cecidere, meum eſt; me credite Leſbon,
Me Tenedon, Chryſenque, & Cyllam, Apollinis urbes,
Et Scyron cepiſſe: mea concuſſa putate
Procubuiſſe ſolo Lyrneſſia mœnia dextra.
Utque alios taceam, qui ſævum perdere poſſet
Hectora nempe dedi, per me jacet inclytus Hector.
Illis hæc armis, quibus eſt inventus Achilles,
Arma peto; vivo dederam, poſt fata repoſco.
Ut dolor unius Danaos pervenit ad omnes,
Aulidaque Euboicam complerunt mille carinæ;
Expectata diu, nulla aut contraria claſſi
Flamina erant; duræque jubent Agamemnona ſortes
Immeritam ſævæ natam mactare Dianæ:
Denegat hoc genitor, diviſque iraſcitur ipſis,

leam, haſtam, & alia id genus, quibus viri & bellatores capiuntur: quæ Achilles, neglectis muliebribus crepundiis, mirari ac tractare cupide viſus, ab Ulyſſe agnitus eſt.

Mea ſunt. Quicquid Achilles præclare geſſit, arrogare, & adjudicare mihi poſſum: poſſum gloriari Telephum a me fuiſſe domitum, &c.

Telephon. Lib. XII. 5.

Thebæ. Oppidum Ciliciæ ab Achille vaſtatum: Andromachæ patria.

Tenedon. Lib. I. num. 14. XII. 5. Tenedus, Chryſe, Cylla, urbes Troadis, ab Achille vaſtatæ.

Scyron... Inſulam Ægæi maris ab eodem Achille captam. Iliad. IX.

Lyrneſſia. Lib. XII. n. 5.

Illis armis. Illis armis, quæ fœmineas inter merces a me inſerta ſunt, & quæ vivo Achilli dedi, promerui ut hæc arma illius mortui, mihi tribuantur.

Ut dolor.. poſtquam unius Menelai dolore, cujus uxorem Helenam Paris rapuerat, omnes Græci commoti Aulidem convenerunt: &c. Vide Lib. XII. num. 1.

Euboicam. In conſpectu Chalcidis ſitam. Chalcis, ſive Eubœa, inſula Ægæi maris, *Negroponte*.

Genitor. Agamemnon.

Sortes. Oracula. Lib. I. num. 12.

Atque in rege tamen pater eſt. Ego mite parentis
Ingenium verbis ad publica commoda verti.
Tunc, equidem fateor, faſſoque ignoſcat Atrides,
Difficilem tenui ſub iniquo judice cauſam.
Hunc tamen utilitas populi, fraterque, datique
Summa movet ſceptri, laudem ut cum ſanguine penſet.
Mittor & ad matrem, quæ non hortanda, ſed aſtu
Decipienda fuit; quo ſi Telamonius iſſet,
Orba ſuis eſſent etiam nunc lintea ventis.
Mittor & Iliacas audax orator ad arces,
Viſaque & intrata eſt altæ mihi curia Trojæ,
Plenaque adhuc erat illa viris: interritus egi
Quam mihi mandarat communis Græcia cauſam,
Accuſoque Parin, prædamq; Helenamque repoſco,
Et moveo Priamum, Priamoq; Antenora junctum.

In rege pater eſt. Hæret ſuſpenſus inter charitatem regis erga populum, & amorem patris erga filiam.

Ego &c. Effeci ut majorem publicæ rei, & ſalutis, quam ſui ſanguinis, rationem haberet.

Ignoſcat Atrides. Pace Agamemnonis dixerim, quem hac in cauſa ſuperavi.

Tenui. Vici.

Sub iniquo judice. Patre, pro filiæ vita pugnante, & mihi infenſo, qui ſuaderem ſcilicet immolandam filiam.

Frater. Menelaus, cohortans Agamemnonem ad placandam filiæ ſanguine Dianam.

Summa. Officium, cura, ratio.

Laudem ut &c. Ut jacturam filiæ compenſet, ſoletur, levet, cogitatione, ac ſpe laudis inde percipiendæ: ut amore gloriæ, amorem ſanguinis & filiæ vincat.

Matrem. Iphigeniæ, Clytemneſtram.

Aſtu decipienda. Finxit Ulyſſes Iphigeniam peti, ut Achilli nuberet, qua ſpe inducta mater Iphigeniam dimiſit.

Telamonius. Ajax.

Orba. Numquam id aut patri, aut matri, perſuaſiſſet, Græcorumque claſſis adhuc hæreret in portu.

Orator &c. Ulyſſes miſſus eſt ad Priamum, cum Menelao, ad Helenam repetendam.

Audax. Qui non extimuerim Trojanam ingredi curiam, & verba facere in cauſa tam difficili, Paridem accuſare, &c. Homer. Iliad. III.

Viris. Ducibus fortiſſimis, in bello deinde cæſis.

Prædam. Quam cum Helena Paris abſtulerat e Menelai domo. Vel, ipſam Helenam.

Antenora. Priami filium.

Ra-

At Paris, & fratres, & qui rapuere ſub illo,
Vix tenuere manus (ſcis hæc Menelae) nefandas;
Primaque lux noſtri tecum fuit illa pericli.

Rapuere. Helenam. *Sub illo*. Illo duce: cum ſecuti milites, & proceres. *Vix &c.* Ægre ſibi temperarunt, quominus violentas mihi manus afferrent. *Primaque &c.* Tunc primum periclitati ambo ſumus; hoc primum periculum tecum adii.

VII.

Res a ſe præclare geſtas narrare Ulyſſes pergit.

Longa referre mora eſt quæ conſilioque, manuque,
Utiliter feci ſpatioſi tempore belli.
Poſt acies primas, urbis ſe mœnibus hoſtes
Continuere diu, nec aperti copia Martis
Ulla fuit, decimo demum pugnavimus anno.
Quid facis interea, qui nil niſi prælia noſti?
Quis tuus uſus erat? nam, ſi mea facta requiris,
Hoſtibus inſidior, foſſas munimine cingo,
Conſolor ſocios, ut longi tædia belli
Mente ferant placida; doceo quo ſimus alendi,
Armandique modo; mittor quo poſtulat uſus.
Ecce Jovis monitu, deceptus imagine ſomni
Rex jubet incœpti curam dimittere belli:
Ille poteſt auctore ſuam defendere vocem,

Spatioſi. Diuturni. *Acies*. Prælia. *Copia*. Facultas, locus. *Decimo*. Vide Libr. XII. num. 1. Appendic. cap. 24. *Interea*. Per iſtos novem, quibus copiam ſui hoſtes non fecerunt, annos. *Quis tuus &c.* Qua in re navabas operam publicæ rei? *Quo poſtulat uſus*. Quo eſt utile. Quo res ipſa poſcit. *Rex*. Agamemnon. Is ſomnio a Jove immiſſo deceptus, ſuaſit Græcis, ut omiſſo bello, patriam repeterent. Cum omnes, atque adeo Ajax, reditum in Græciam pararent, obſtitit Ulyſſes, & ut manerent, perſuaſit. Homerus Libr. II. Iliad. rem paulo aliter narrat. *Auctore*. Agamemnon hujus conſilii ignaviam, & dedecus poterat excuſare Jovis ita monentis auctoritate. *Vocem*. Imperium, quo jubebat bellum deponi.

Non ſinat hoc Ajax, delendaque Pergama poſcat;
Quodq; poteſt, pugnet. Cur non remoratur ituros?
Cur non arma capit? det quod vaga turba ſequatur.
Non erat hoc nimium, numquam niſi magna loquenti.
Quid quod & ipſe fugit: vidi, puduitque videre,
Cum tu terga dares, inhoneſtaque vela parares.
Nec mora, Quid facitis? quæ vos dementia, dixi,
Concitat, o ſocii, captam dimittere Trojam?
Quidve domum fertis decimo, niſi dedecus, anno?
Talibus atque aliis, in quæ dolor ipſe diſertum
Fecerat, averſos profuga de claſſe reduxi.
Convocat Atrides ſocios terrore paventes:
Nec Telamoniades etiam nunc hiſcere quicquam
Audet, & auſu erat reges inceſſere dictis
Therſites, etiam per me haud impune protervus.
Erigor, & trepidos cives exhortor in hoſtem,
Amiſſamque mea virtutem voce repono.
Tempore ab hoc quodcumque poteſt feciſſe videri

Non ſinat ... Ajax, credo, non patietur, ut Græci turpiter fugiant; inſtabit proculdubio, quantum conſequi dicendo poterit, ut Trojam deleant, nec de reditu, niſi ea exciſa, cogitent.

Pugnet. Enitetur id perſuadere, quantum in ſe erit.

Det. Exemplum.

Non erat, &c. Nihil faciendum Ajaci minus fuit, qui tam glorioſe de ſe prædicat.

Vaga turba. Militum vulgus leve & inconſtans.

Captam. Propemodum expugnatam.

Averſos. Abſtractos a navibus. Vel: a belli conſiliis alienos, & in fugam verſos.

Convocat. Agamemnon, ſomnium ſibi a Jove immiſſum Græcis narraturus, eos in concionem vocat, Libr. II. Iliad.

Telamoniades. Ajax, filius Telamonis.

Hiſcere. Muſſare, proloqui.

Et auſus erat Non audet Ajax, vir ille fortiſſimus, vocem mittere; obmuteſcebat; quamvis auderet Therſites, homo inertiſſimus, & peſſimus, ipſum Agamemnonem conviciis laceſſere.

Per me, &c. Quem ego Therſiten affeci merita pœna.

Erigor. Ad dicendum ſurrexi.

Amiſſamque &c. Et priſtinam fortitudinem illis mea cohortatione reddidi. Si legas, *repoſco*: explicabis, peto ubi ſit priſtina illa virtus, &c.

Iſte.

Fortiter iſte, meum eſt, qui dantem terga retraxi.
Denique de Danais quis te laudatve petitve?
At ſua Tydides mecum communicat acta,
Me probat, & ſocio ſemper confidit Ulyſſe.
Eſt aliquid de tot Grajorum millibus unum
A Diomede legi: nec me ſors ire jubebat,
Sed tamen & ſpreto noctiſque hoſtiſque periclo,
Auſum eadem quæ nos, Phrygia de gente Dolona
Interimo; non ante tamen, quam cuncta coegi
Prodere, & edidici quid perfida Troja pararet.
Omnia cognoram, nec quid ſpecularer habebam,
Et jam promiſſa poteram cum laude reverti:
Haud contentus eo, petii tentoria Rheſi,
Inque ſuis ipſum caſtris, comiteſque peremi,
Atque ita captivo, victor votiſque potitus,
Ingredior curru lætos imitante triumphos.
Cujus equos pretium pro nocte popoſcerat hoſtis,
Arma negare mihi, fueritque benignior Ajax.

Iſte. Ajax.
Petitve. Socium periculi; auctorem conſilii.
Tydides. Diomedes, Tydei filius.
Eſt aliquid. Non levis eſt gloria.
Legi. Eligi, ſocium ſumi, non datum ſorte, ſed adſcitum judicio, & voluntate.
Nec me, &c. Non eram ſorte lectus, cum ad exploranda Trojanorum caſtra profectus ſum.
Auſum eadem. Nempe caſtra noſtra explorare, ut nos Trojana ſpeculatum ibamus.
Dolona. Supra, num. 2.
Promiſſa laude. Re bene geſta; uti mihi promiſeram, ut ſperaveram.
Rheſi. Supra, num. 2.
Cujus equos. Negate mihi, ſi dignum videtur, Achillis arma, cujus currum & equos Dolon ſibi petierat, pro præmio nocturnæ caſtrorum noſtrorum explorationis. Ironia. Senſus eſt; merito danda illi arma Achillis, qui impediverit ne Achillis equos Dolon poſſideret. Virgil. XII. Æn. verſu 350.
Fueritque. Si mihi negatis arma, placabitur mihi Ajax. Marc. Ant. Muratus ſcribendum cenſet: *Ferat hæc, ut dignior, Ajax*. Ironice.

VIII.

Laudes Ajacis elevat Ulyſſes.

Quid Lycii referam Sarpedonis agmina ferro
Devaſtata meo? cum multo ſanguine fugi
Cœranon, Iphitidemq; Alaſtoraque, Cromiumque
Alcandrumque, Hauliumq; Noemonaq; Prytaninq;
Exitioque dedi cum Cherſidamante Thoona,
Et Charopem, fatiſq; immitibus Ennomon actum,
Quinque minus celebres noſtra ſub mœnibus urbis
Procubuere manu. Sunt & mihi vulnera, cives,
Ipſo pulchra loco; nec vanis credite verbis,
Aſpicite, en (veſtemque manu diduxit) & hæc ſunt
Pectora ſemper, ait, veſtris exercita rebus.
At nihil impendit per tot Telamonius annos
Sanguinis in ſocio, & habet ſine vulnere corpus.
Quid tamen hoc refert, ſi ſe pro claſſe Pelaſga
Arma tuliſſe refert contra Troaſque, Jovemque?
Confiteorque tulit; neque enim bene facta maligne
Detrectare meum eſt; modo ne communia ſolus

Sarpedonis. Regis Lyciæ, in Aſia minori, Troiæ opem ferentis. A Patroclo fuit cæſus, cum pleroſque ipſius milites Ulyſſes interfeciſſet.

Urbis. Trojæ.

Ipſo pulchra loco. In adverſo pectore accepto. Averſa vulnera pudori, & probro ſunt, quaſi fugientibus impoſita. Vide n.9. Lib. XII.

Exercita. Occupata in veſtris periculis propulſandis, in procurandis veſtris commodis conſumpta.

Sine vulnere. Narrat Pindarus Od. Iſthm. V. Herculem aliquando Salaminem veniſſe ad Telamonem, & Ajaci, adhuc puerulo, leonis Nemeæi pellem circumdediſſe, precatumque, ut qua parte puer tegeretur, accipere vulnus non poſſet; ſolum Ajacis latus tectum pelle non fuiſſe, ſolum vulneri patuiſſe.

Quid tamen hoc refert. Quid nocet cauſæ Ajacis, quod habeat corpus ſine vulnere, ſi claſſem tam fortiter defendit? felicitatis eſt quod numquam vulneratus fuerit; quod naves tutatus ſit, fortitudinis. Id Ulyſſes ſibi objicit, ac ſtatim refellit, negando id ab Ajace ſolo factum fuiſſe.

Detrectare. Non is ego ſum, qui velim detrahere de illius fama, rebuſque præclare geſtis.

Modo ne, &c. Dummodo ne ſoli ſibi arroget, quæ ipſi cum

Occupet, atq; aliquem vobis quoq; reddat honorem
Reppullit Actorides ſub imagine tutus Achillis
Troas ab arſuris cum defenſore carinis.
Auſum etiam Hectoreis ſolum concurrere telis
Se putat, oblitus regiſque, duciſque, meique;
Nonus in officio, & prælatus munere ſortis.
Sed tamen eventus veſtræ, fortiſſime, pugnæ
Quis fuit? Hector abit violatus vulnere nullo.
Me miſerum! quanto cogor meminiſſe dolore
Temporis illius, quo Grajum murus Achilles
Procubuit; nec me lacrymæ, luctuſque, timorque;
Tardarunt, quin corpus humo ſublime referrem.
His humeris, his, inquam, humeris ego corpus
Achillis

cum aliis fuere communia.

Actorides. Patroclus, Actoris nepos, Menœti filius.

Imagine. Armis, & ſpecie. Abſtinebat bello Achilles iratus Agamemnoni: Patroclo permiſit ut ſua indueret arma. Iis indutus ille rem initio ſatis proſpere geſſit: ſed ab Hectore paulo poſt confoſſus occubuit. Quod Achilles tam moleſte tulit, ut bello repetito, non ante quieverit, quam amici mortem ulciſceretur, cæſo Hectore.

Cum defenſore. Ajace, a quo naves defendebantur, & qui arſurus erat cum navibus, niſi Patroclus Trojanos repuliſſet. Sunt qui defenſorem hunc interpretentur ipſum Hectorem, quo maxime res Trojana ſtabat, quique cum ſuis Trojanis repulſus a navibus fuerit.

Oblitus . . . Non meminit ſcilicet paratos fuiſſe ad ſingularem pugnam cum Hectore ſuſcipiendam octo, præter ipſum, Græcorum proceres, e quibus ipſe ducta ſorte delectus eſt, qui cum Hectore manus confereret; aliiſque antepoſitus beneficio dumtaxat ſortis, mero caſu. Rem narrat Homerus Lib. Iliad. VII. Hector Græcorum fortiſſimos ad ſingulare certamen provocavit. Surrexere novem præcipui duces; inque illis Agamemnon, Menelaus, Ulyſſes, &c. Cum omnes pugnam hanc depoſcerent, placuit unum ſorte legere; is Ajax fuit.

Regis. Agamemnonis.

Ducis. Menelai: qui belli gerebat curam, interim dum ejus frater Agamemnon rerum ſummæ præerat.

Fortiſſime. O Ajax, bellator egregie. Ironia.

Veſtræ pugnæ. Inter te, & Hectorem commiſſæ.

Me miſerum! Eheu!

Grajum murus. Græcorum defenſor. De Achillis morte conſule finem libri præcedentis. Ejus cadaver a ſe reportatum in caſtra Ulyſſes gloriatur.

Et ſimul arma tuli, quæ nunc quoque ferre laboro.
Sunt mihi quæ valeant in talia pondera vires,
Eſt animus certe veſtros ſenſurus honores.
Scilicet idcirco pro natu cærula mater
Ambitioſa ſuo fuit, ut cæleſtia dona
Artis opus tantæ, rudis, & ſine pectore, miles
Indueret? Neque enim clypei cælamina novit,
Oceanum, & terras, cumque alto ſidera cœlo,
Pleiadaſq; Hyadaſq; immunemq; æquoris Arcton,
Diverſaſque urbes, nitidumque Orionis enſem.
Poſtulat ut capiat, quæ non intelligit, arma.

Ferre. Obtinere.
Laboro. Contendo: cupio.
Valeant. Suppetant, ſufſiant.
Honores. Cogniturus, quæ & qualia ſint arma quæ dabitis; intellecturus myſteria, quæ in iis cælata ſunt.
Cærula mater. Thetis.
Ambitioſa fuit. Magno ambitu, multo ſtudio, quæſivit arma ſuo filio: in eorum locum, quæ Hector cæſo Patroclo abſtulerat.
Artis opus.. Tanto artificio elaborata, cælata a Vulcano. Iliad. XVIII.
Sine pectore. Ajax, doctrinæ, & ingenii expers.
Calamina. Res in clypeo cælatas.
Sidera. Vide initiũ Lib. II.
Plejadas. Lib. I, nu. 18.
Hyadas. Lib. III. 10.
Arcton. Lib. II. 3. 4. 13.
Orionis. Lib. VII. 4.

I X.

Ulyſſes pergit refellere quæ ſibi fuerant ab Ajace objecta.

Quid? quod me duri fugientem munera belli
Arguit incepto ſerum acceſſiſſe labori?
Nec ſe magnanimo maledicere ſentit Achilli.
Si ſimulaſſe vocas crimen, ſimulavimus ambo;
Si mora pro culpa eſt: ego ſum maturior illo:
Me pia detinuit conjux, pia mater Achillem;
Primaque ſunt illis data tempora, cætera vobis.

Incepto labori. Bello inchoato.
Maturior. Prius acceſſi ad bellum, quam Achilles.
Prima tempora. Belli.
Illis. Thetidi, & Penelope. Quod tardius, ego & Achilles, venimus Trojam, hoc datum fuit caritati erga matrem, & uxorem: quod tandiu bello interfuimus, vobis eſt datum, multum ergo

Haud timeam, ſi jam nequeam defendere crimen
Cum tanto commune viro: deprenſus Ulyſſis
Ingenio tamen ille; at non Ajacis Ulyſſes.
Neve in me ſtolidæ convicia fundere linguæ
Admiremur eum, vobis quoque digna pudore
Objicit: an falſo Palameden crimine turpe eſt
Accuſaſſe mihi? vobis damnaſſe decorum?
Sed neque Naupliades facinus defendere tantum,
Tamque patens, valuit; nec vos audiſtis in illo
Crimina, vidiſtis; pretioque objecta patebant.
Nec Pœantiaden quod habet Vulcania Lemnos,
Eſſe reus merui, factum defendite veſtrum;
Conſenſiſtis enim: nec me ſuaſiſſe negabo
Ut ſe ſubtraheret bellique viæque labori,
Tentaretque feros requie lenire dolores,
Paruit, & vivit: non hæc ſententia tantum
Fida; ſed & fælix cum ſit, facit eſſe fidelem.
Quem quoniam vates delenda ad Pergama poſcunt,
Ne mandate mihi, melius Telamonius ibit,

ergo vobis: parum conjugi, & matri indulſimus.

Haud timeam &c. Quamvis refutare non poſſem objectum a te mihi de ſuſcepto tardius bello crimen; non timerem nihilominus ne id mihi vitio verteretur, quod objici æque Achilli poteſt, atque mihi.

Deprenſus. Supra, num. 3.

An falſo &c. Eludit paritate. Si mihi turpe fuit accuſaſſe; vobis turpe quoque fuit condemnaſſe.

Naupliades. Palamedes.

Crimen. Supra, num. 1.

Pretio. Auro, quod in ejus tentorio eſt repertum.

Objecta. Ante oculos veluti poſita: manifeſta.

Pœantiaden. Num. I.

Conſenſiſtis. Ut in Lemno remaneret.

Ut ſe &c. Ideo ſuaſi, ut remaneret in Lemno, ne belli, & viæ, labore augerentur ejus dolores.

Sententia. Conſilium.

Sed & fælix, &c. Fœlix conſilii a me dati exitus, vita Philoctetæ conſilio meo ſervata, me probat fidelem, & amicum eſſe Græcis, ac patriæ, quibus utilia ſuaſerim. Hic verſus aliter ita legitur: *Sed & fælix: cum ſit ſatis eſſe fidelem*. Hoc ſenſu: Sententia quam dixi, fuit fida & tuta: præterea fœlix & fortunata: quod in præcipua tamen laude non pono, quippe ſola fidelitatis laude contentus ſum.

Quem quoniam, &c. Et quia vates jubent adduci Philoctetem, ut afferat Herculis ſagittas, ſine quibus fata negant capi Trojam poſſe.

Mandate. Provinciam

 illius

Eloquioque virum morbis iraque furentem
Molliet, aut aliqua perducet callidus arte.
Ante retro Simois fluet, & ſine frondibus Ide
Stabit, & auxilium promittet Achaia Trojæ:
Quam, ceſſante meo pro veſtris pectore rebus,
Ajacis ſtolidi Danais ſolertia proſit.
Sis licet infeſtus ſociis, regique, mihique;
Dure Philoctete: licet execrate, meumque
Devoveas ſine fine caput, cupiaſque dolenti
Me tibi forte dari, noſtrumque haurire cruorem;
Utque tui mihi, ſic fiat tibi copia noſtri:
Te tamen aggrediar, mecumque reducere nitar,
Tamque tuis potiar (faveat fortuna) ſagittis,
Quam ſum Dardanio, quem cepi, vate potitus;
Quam reſponſa Deum, Trojanaque fata retexi,
Quam rapui Phrygiæ ſignum penetrale Minervæ
Hoſtibus e mediis: & ſe mihi comparat Ajax?
Nempe capi Trojam prohibebant fata ſine illo:
Fortis ubi eſt Ajax? ubi ſunt ingentia magni
Verba viri? cur hic metuit? cur audet Ulyſſes

Ilius adducendi date.

Ante, &c. Prius Simois retro, ideſt, verſus fontem iſuum, fluet, quam Ajax, ſine me, vobis proſit.

Simois. Fluvius Troadis.

Ide. Mons Phrygiæ.

Achaja. Græcia. Lib. IV. nu. 5. VII. 13.

Ceſſante. Si ego veſtris rationibus conſulere deſinam.

Pectore. Ingenio, ſolertia.

Sociis. Græcis.

Regi. Agamemnoni.

Devoveas. Deteſteris.

Dari. Ut me perimas.

Utque tui, &c. Quamvis cupias ut me tam habeas in poteſtatem, tam poſſis perdere, quam ego te cupio ſervare, & Trojam adducere.

Aggrediar. Adibo, alloquar.

Tamque tuis, &c. Spero me fore tam fortunatum in ſagittis tuis huc aſportandis, quam fui in Heleno capiendo (Supra, numer. 4.) in eliciendis ab eo arcanis Trojæ fatis, & oraculis de illa editis: quam fui in auferendo Palladio.

Reſponſa. Quæ ſit huic voci ſubjecta notio propria, dixi Lib. III. n. 6.

Penetrale. Quod in penetralibus, in arce intima Trojæ, ſervabatur. Supra, num. 4

Sine illo. Palladis ſigno.

Ubi eſt Ajax. Quid ceſſat? cur auferre Palladium non tentat?

ſua

Ire per excubias & ſe committere noctì?
Perque feros enſes, non tantum mœnia Trojæ,
Verum etiam ſummas arces intrare, ſuaque
Eripere æde Deam, raptamque afferre per hoſtes?
Quæ niſi feciſſem fruſtra Telamone creatus
Geſtaſſet læva taurorum tergora ſeptem.
Illa nocte mihi Trojæ victoria parta eſt:
Pergama tunc vici, cum vinci poſſe coegi.

Sua æde. Templo. *Taurorum tergora*. Erat celebre Ajacis ſcutum. Supra, n. 1. *Coegi*. Sublato Palladio.

X.

Ulyſſes perorat, & cauſam vincit.

Deſine Tydiden vultuque & murmure nobis
Oſtentare meum: pars eſt ſua laudis in illo.
Nec tu, cum ſocia clypeum pro claſſe tenebas,
Solus eras; tibi turba comes, mihi contigit unus:
Qui niſi pugnacem ſciret ſapiente minorem
Eſſe, nec indomitæ deberi præmia dextræ,
Ipſe quoque hæc peteret, peteret moderatior Ajax,
Eurypyluſque ferox, claroque Andremone natus:
Nec minus Idomeneus, patriaque creatus eadem
Meriones; peteret majoris frater Atridæ.

Tydiden. Diomedem, Tydei filium.

Oſtentare. Velut ducem auctoremque rerum a me fortiter geſtarum.

Meum. Socium & adjutorem: amicum.

In illo. Non inficior partem gloriæ & rerum a me geſtarum, ad Diomedem pertinere. Legitur etiam, *in illis* nempe rebus a me geſtis: Tunc *ſua* pro ejus, aut ei, accipiendum erit.

Claſſe. Supra, num. 4.

Qui. Diomedes.

Minorem. Deteriorem. Niſi ſciret fortitudinem ingenio, & induſtria minoris æſtimandam eſſe.

Hæc. Arma.

Moderatior Ajax. Alter Ajax, Oilei, Locrorum regis filius. Lib. XII. 15. XIV. 10.

Andremone natus. Thoas, Andremonis filius: ex Ætolia profectus ad bellum Trojanum.

Idomeneus. Rex Cretæ.

Patria eadem. Creta, Cretenſis, itidem ut Idomeneus.

Frater Atridæ. Menelaus, natu minor Agamemnone.

Quippe manu fortes, nec ſunt tibi Marte ſecundi:
Conſiliis ceſſere meis. Tibi dextera bello
Utilis: ingenium eſt quod eget moderamine noſtro:
Tu vires ſine mente geris: mihi cura futuri eſt:
Tu pugnare potes; pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantum corpore prodes,
Nos animo; quantoque ratem, qui temperat, anteit
Remigis officium, quanto dux milite major,
Tantum ego te ſupero: nec non in corpore noſtro
Pectora ſunt notiora manu; vigor omnis in illis.
At vos, o proceres, vigili date præmia veſtro,
Proque tot annorum curis, quos anxius egi,
Hunc titulum meritis penſandum reddite noſtris.
Jam labor in fine eſt, obſtantia fata removi,
Altaque, poſſe capi faciendo, Pergama cepi.
Per ſpes nunc ſocias, caſuraque mœnia Troum,
Perque Deos oro, quos hoſti nuper ademi;
Per ſi quid ſupereſt, quod ſit ſapienter agendum,

Secundi. Inferiores.
Conſiliis. Prudentiæ. Arma hæc noſtræ ſapientiæ deberi potius, quam ſuæ fortitudini, cenſuerunt.
Tibi &c. Tu manu vales, & robore: at ingenium tuum a me regi, & gubernari debet.
Tempora. Occaſionem, opportunitates: quod prudentiæ eſt. Neque id a ſe fieri ſolo jactat, quod eſſet arrogantis; ſed ab Agamemnone, ſecum.
Nec non &c. In meipſo, ingenium, & animus fortitudini & audaciæ antecellit.
In illis. Pectoribus, mente, ſapientia.
Vigili veſtro. Illi, qui pro vobis ſemper excubat, qui in perpetua pro Græcis vigilia fuit.
Titulum. Honorem.
Penſandum. Honorem hunc mihi tribuite, quem ego magnis in vos meritis, & officiis, penſare, ac remunerari conabor; meque illo dignum præſtare.
Labor. Belli contra Trojanos ſuſcepti.
Removi. Capiendo Palladio.
Poſſe capi faciendo. Dum feci, ut Troja capi facile poſſet, eam cenſendus ſum cepiſſe.
Spes ſocias. Spes Græcorum, & aliorum, qui opem illis ferunt, principum.
Deos. Tutelam Deorum, ac præſertim Minervæ, quæ hoſtes ſpoliavi.
Per ſi quid. Per quicquid de mera vobis prudentia polliceri poſſum, ac fortitudine, in iis rebus exequendis, quæ agendæ reſtant; in peri-

Si quid adhuc audax, ex præcipitique petendum eſt;
Si Trojæ fatis aliquid reſtare putatis,
Eſte mei memores: aut ſi mihi non detis arma,
Huic date: & oſtendit ſignum fatale Minervæ.

periculis, quæ, ſubito, & ex tempore, quamlibet ardua, erunt ſubeunda.

Fatis. Ad ultimam manum excidio Trojæ, & ejus ruinæ a fatis deſtinatæ, imponendam.

Si mihi &c. Si negatis arma Ulyſſi, ea date Minervæ, & huic Palladio.

X I.

Ajas ab Ulyſſe victus incumbit in gladium, & mutatur in florem.

Mota manus procerum eſt, & quid facundia poſſet.
Tum patuit, fortiſque viri tulit arma diſertus,
Hectora qui ſolus, qui ferrum, igneſque, Jovemq;
Suſtinuit toties, unam non ſuſtinet iram,
Invictumque virum vicit dolor; Arripit enſem:
Et meus hic certe eſt; an & hunc ſibi poſcit Ulyſſes?
Hoc, ait, utendum eſt in me mihi, quique cruore
Sæpe Phrygum maduit, domini nunc cæde madebit:
Ne quiſquam Ajacem poſſit ſuperare, niſi Ajax.
Dixit, & in pectus tum demum vulnera paſſum,
Qua patuit ferro, lethalem condidit enſem:
Nec valuere manus infixum educere telum;
Expulit ipſe cruor, rubefactaque ſanguine tellus
Purpureum viridi genuit de ceſpite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.

Mota. Permota; Ulyſſe perſuadente victa.

Manus. Cœtus.

Fortis viri. Achillis.

Tulit. Obtinuit.

Tum demum. Quod pectus, nemo vulnerare hactenus potuerat.

Qua patuit ferro. Quaſi difficile fuiſſet locum faciendo vulneri reperire. Hujus verſiculi ampliorem explicationem pete ab annotatione quarta numeri VIII.

Qui prius. In quem florem Hyacinthus antea mutatus erat.

Oebalio. Ex Hyacinthi ſanguine. Lib. X. num. 4.

Com-

Littera communis mediis pueroque viroque
Inſcripta eſt foliis, hæc nominis, illa querelæ.

Communis puero viroque. Legitur, ut ajunt, in floris Hyacinthi foliis gemina littera *Ai*. Hæc, inquit Vates, communis eſt Hyacintho, & Ajaci, quia continet duo prima elementa nominis Ajacis; & exprimit gemitum quem Hyacinthus moriens edidit, aut quo Phœbus mortuum flevit. Lib. X. 4.

XII.

Troja excidium. Aſtianax e turri præceps datur. Hecuba in ſervitutem abducitur.

Victor ad Hypſipyles patriam, clarique Thoantis,
Et veterum terras infames cæde virorum,
Vela dat, ut referat Tirynthia tela ſagittas:
Quæ poſtquam ad Grajos, domino comitante revexit,
Impoſita eſtque fero tandem manus ultima bello,
Troja ſimul, Priamuſque cadunt. Priameia conjux
Perdidit infælix hominis poſt omnia formam,
Externaſque novo latratu terruit auras.
Longus in anguſtum quæ clauditur Helleſpontus,
Ilion ardebat, neque adhuc conſederat ignis,
Exiguumque ſenis Priami Jovis ara cruorem

Victor. Ulyſses, Ajace ſuperato.

Ad Hypſipyles patriam. Inſulam Lemnum, ubi regnavit Hypſipyle, Thoantis filia. Supra, num. 2.

Et veterum &c. Lemniæ mulieres, cum a viris contemni ſe putarent, conſilium de illis perdendis inierunt. Sola Hypſipyle patri ſuo pepercit.

Tyrinthia tela. Herculea. Lib. VII. 10. Lemnum petiit ut ſagittas Herculis inde afferret.

Domino. Philoctete.

Priameia conjux. Hecuba.

Latratu, &c. In canem verſa. Infra, num. 15.

Externas. Nam in Thracia contigit hæc metamorphoſis.

Helleſpontus. Lib. XI. 8.

Clauditur. Conſtringitur, ob freti anguſtias. Ad Helleſpontum eſt Troas, ubi Ilium.

Conſederat. Extinctus erat.

Jovis ara. Ad quam cæſus eſt Priamus. Lege Virgil. Lib. II.

Anti-

Combiberat, tractiſque comis antiſtita Phœbi,
Non profecturas tendebat ad æthera palmas.
Dardanidas matres, patriorum ſigna Deorum
Dum licet amplexas, ſuccenſaque templa tenentes,
Invidioſa trahunt victores præmia Graji.
Mittitur Aſtyanax illis de turribus, unde
Pugnantem pro ſe, proavitaque regna tuentem,
Sæpe videre patrem, monſtratum a matre, ſolebat.
Jamque viam ſuadet Boreas, flatuque ſecundo
Carbaſa mota ſonant, jubet uti navita ventis.
Troja vale: rapimur, clamant: dantque oſcula terræ
Troades, & patriæ fumantia tecta relinquunt.
Ultima conſcendit claſſem (miſerabile viſu)
In mediis Hecube natorum inventa ſepulchris.
Prenſantem tumulos, atque oſſibus oſcula dantem,
Dulichiæ traxere manus: tamen unius hauſit;
Inque ſinu cineres ſecum tulit Hectoris hauſtos.
Hectoris in tumulo canum de vertice crinem,
Inferias inopes, crinem lacrymaſque relinquit.

Antiſtita Phœbi. Caſſandra. Phœbi Sacerdos. Virgil. ibid.
Non profecturas. Non moturas hoſtium furorem: irritas.
Dardanidas. Trojanas.
Signa. Simulacra.
Invidioſæ. Invidiam illis merito factura, ob crudelitatem, qua illas ab aris avellebant, ut pellices, aut famulas, haberent. Odioſa.
Mittitur. Dejicitur.
Aſtyanax. Filius Hectoris.
Turribus. Trojæ. Præceps inde agitur.
Matre. Andromacha.
Viam. Reditum in patriam.
Suadet. Græcis.
Troades. Matronæ Trojanæ.
Dulichiæ manus. Ulyſſis, Supra, num. 2.
Hauſit. Combibit.
Canum. Senilem. Vulſos crines imponere ſepulchris, pars erat luctus, & pietatis.
Inferias. Lib. VIII. n. 12.
Inopes. Inſtar levis ſacrificii, cujus tunc unius copia illi reſtabat.

XIII.

Polydorus a Polymeſtore caditur. Polyxena mactatur ad Achillis tumulum.

Eſt, ubi Troja fuit, Phrygiæ contraria tellus,
Biſtoniis habitata viris: Polymeſtoris illic
Regia dives erat, cui te commiſit alendum
Clam, Polydore, pater; Phrygiiſque removit ab armis.
Conſilium ſapiens; ſceleris niſi præmia magnas
Adjeciſſet opes, animi irritamen avari.
Ut cecidit fortuna Phrygum, capit impius enſem
Rex Thracum, juguloque ſui demiſit alumni.
Et, tanquam tolli cum corpore crimina poſſent,
Exanimen ſcopulo ſubjectas miſit in undas.
Littore Threicio claſſem religarat Atrides,
Dum mare pacatum, dum ventus amicior eſſet.
Hic ſubito, quantus cum viveret eſſe ſolebat,
Exit humo late rupta; ſimileſque minanti
Temporis illius vultum referebat Achilles,
Quo ferus injuſto petiit Agamemnona ferro.
Immemoreſque mei diſceditis, inquit, Achivi?
Obrutaque eſt mecum virtutis gratia noſtræ?

Eſt &c. Thraciam deſcribit, ſitam in Europa, e regione Phrygiæ, ubi fuit Troja, jam nulla.

Biſtoniis. Thraciæ populis.

Polymeſtoris. Sic ſcribendum hoc nomen: eſt enim Græce Πολυμήστωρ.

Pater. Priamus.

Niſi &c. Recte hoc, & ſapienter, a Priamo fuerat proviſum, niſi ſimul cum Polydoro vim auri magnam dediſſet Polymeſtori, tum, ut ne illi principis adoleſcentis educatio gravis eſſet: tum, ut, ſi Troja caperetur, avidas Græcorum manus effugerent regiæ gazæ, apud amicum depoſitæ. Pecunia Polymeſtorem ſtimulavit ad mactandum Polydorum. Virgil. III. Æneid.

Alumni. Polydori, quem alendum acceperat.

Quo ferus. Similem illi vultum gerebat, quo irruit in Agamemnonem, ſtricto ferro. Iliad. I.

Obruta. Sepulta, extincta.

Gratia. Grata memoria. Ingrati eſtis poſt tot accepta beneficia.

Ne

Ne facit, utq; meum non ſit ſine honore ſepulchrum,
Placet Achilleos mactata Polyxena manes.
Dixit, & immiti ſociis parentibus umbræ;
Rapta ſinu matris, quam jam prope ſola fovebat,
Fortis, & infelix, & pluſquam femina, virgo
Ducitur ad tumulum, diroque fit hoſtia buſto.
Quæ memor ipſa ſui, poſtquam crudelibus aris
Admota eſt, ſenſitque ſibi fera ſacra parari,
Utque Neoptolemum ſtantem, ferrumq; tenentem,
Utque ſuo vidit figentem lumina vultu:
Utere jamdudum generoſo ſanguine dixit;
Nulla mora eſt: aut tu jugulo, vel pectore telum
Conde meo, jugulumque ſimul, pectuſque retexit:
Scilicet haud ulli ſervire Polyxena vellem:
Haud per tale ſacrum numen placabitis ullum.
Mors tantum vellem matrem mea fallere poſſet;
Mater obeſt, minuitque necis mihi gaudia, quamvis
Non mea mors illi, verum ſua vita gemenda eſt.
Vos modo, ne Stygios adeam non libera manes,
Eſte procul; removete manus: acceptior illi,
Quiſquis is eſt, quem cæde mea placare paratis,
Liber erit ſanguis: ſi quos tamen ultima noſtri
Verba movent oris, Priami vos filia regis,
Nunc captiva, rogat, genitrici corpus inemptum

Ne facite. Cavete ne ſic diſcedatis.

Placet manes .... Immoletur meis manibus.

Polyxena. Priami, & Hecubæ filia.

Sociis. Achillis, Græcis.

Parentibus. Obſequentibus.

Buſto. In Achillis tumulo mactatur.

Sui. Dignitatis ſuæ & generis.

Neoptolemum. Pyrrhum, Achillis filium; ita vocatum quod admodum juvenis profectus ad bellum Trojanum eſſet, *νέος*, *recens*, *juvenis*: *πόλεμος*, *bellum*.

Utere jam. Nunc funde meum ſanguinem.

Scilicet &c. Necem in beneficii loco ponam, quæ me vindicabit a ſervitute, quam rem unam moleſtiſſime ferrem.

Haud per &c. Deos meo ſanguine non placabitis, ſemper illos eſtis infenſos habituri, ob hanc veſtram immanitatem.

Fallere. Latere.

Mater obeſt. Impedit quominus plane læta moriar.

Libera. Intacta, non conſtricta.

Jus

Reddite, neve auro redimat jus triſte ſepulchri,
Sed lacrymis: tunc, cum poterat, redimebat & auro.
Dixerat: at populus lacrymas, quas illa tenebat,
Non tenet: ipſe etiam flens, invituſque ſacerdos
Præbita conjecto rupit præcordia ferro.
Illa ſuper terram defecto poplite labens,
Pertulit intrepidos ad fata noviſſima vultus.
Troades excipiunt, deploratoſque recenſent
Priamidas, & quid dederit domus una cruoris.
Teque gemunt, virgo; teque o modo regia conjux,
Regia dicta parens, Aſiæ florentis imago,
Nunc etiam prædæ mala ſors, quam victor Ulyſſes
Eſſe ſuam nollet; niſi quod tamen Hectora partu
Ediderat: dominum matri vix repperit Hector.
Quæ corpus complexa animæ tam fortis inane,
Quas toties patriæ dederat, natiſque, viroque,
Huic quoque dat lacrymas, lacrymas in vulnera fundit,
Oſculaque ore legit, conſuetaque pectora plangit,

Jus ſepulchri. Facultatem corporis mei ſepeliendi.

Sacerdos. Pyrrhus, qui hujus ſacrificii curator, & pontifex deſignatus fuerat.

Præbita. Sponte oblata.

Defecto. Viribus deſtituto. Legunt nonnulli *Deflexo*, ideſt, leniter ſubmiſso.

Pertulit, &c. Uſque ad mortem retinuit vultus, animique conſtantiam.

Excipiunt. Cadentem Polyxenam.

Deploratoſque &c. Enumerant Priami liberos defletos, cæſoſque.

Domus una. Priami familia.

Virgo. Polyxena.

Regia conjux. Hecuba.

Regia dicta .... Quæ paulo ante tot principum mater vocabare.

Imago. Specimen fælicitatis Aſiæ, in qua una omnes Aſiæ opes & gloria, collectæ videbantur.

Nunc .... Nunc, velut communis prædæ Portio deterrima, rejicieris ab omnibus, teque ſibi forte datam Ulyſses dolet: accipit tamen, ut matrem inviſi Hectoris vexare poſſit.

Dominum &c. Rem miſeram! Hectoris mater vix dominum invenit, qui famulam hanc habere ſibi velit.

Corpus. Polyxenæ.

Inane. Vacuum, ſpoliatum anima tam generoſa.

Conſueta pectora. Sua, quæ ſolebat plangere.

Plangit. Percutit.

CA-

Canitiemque ſuam concreto in ſanguine verrens,
Plura quidem, ſed & hæc, laniato pectore, dixit:

Canitiem &c. Et verrens capillis humum concreto ſanguine perfuſam.

Laniato pectore. Sinum tundens, diſcindens veſtes.

X I V.

Hecuba Polyxenam deflet:

Nata, tuæ (quid enim ſupereſt?) dolor ultime matris,
Nata, jaces! videoque tuum, mea vulnera, pectus:
Et ne perdiderim quemquam ſine cæde meorum,
Tu quoque vulnus habes: at te, quia fœmina, rebar
A ferro tutam, cecidiſti & fœmina ferro:
Totque tuos idem fratres, te perdidit idem,
Exitium Trojæ, noſtrique orbator, Achilles.
At poſtquam cecidit Paridis, Phœbique ſagittis;
Nunc certe, dixi, non eſt metuendus Achilles:
Nunc quoque mi metuendus erat; cinis ipſe ſepulti
In genus hoc ſævit, tumulo quoque ſenſimus hoſtem.
Æacidæ fœcunda fui. Jacet Ilion ingens,
Eventuque gravi finita eſt publica clades:
Sed finita tamen ſoli mihi Pergama reſtant:

Quid enim ſupereſt. Quaſi diceret, Omnia perdidi, tu ſola reſtabas: jam nihil mihi amittendum ſupereſt.

Mea vulnera, &c. Tuum pectus vulneribus confoſsum, quibus ipſa quoque fodior, quæ meum pariter lacerant.

Et ne &c. Eſt hoc infælicitatis meæ, quod meos omnes liberos cruenta nece mihi ereptos, ac te ſimili modo pereuntem, lugeam.

Idem. Achilles.

Noſtri orbator. Qui me liberis orbavit.

Paridis &c. Virg. Lib. VI. *Dardana qui Paridis direxit tela manuſque corpus in Æacides.* Sup. Lib. XII. n. 15. Hinc *Phœbi ſagittis* periiſſe Achilles hic dicitur.

Genus hoc. Noſtram domum: Priami ſtirpem.

Tumulo. Illum ſepultum, & tumulo compoſitum, hoſtem experior.

Æacidæ fœcunda fui. Ut eſsent qui ab Achille vivo, & propter Achillem mortuum occiderentur, idcirco ego peperi.

Eventu gravi. Incendio urbis.

Sed finita &c. Troja cæteris everſa, & finita, mihi ſoli

In curſuque meus dolor eſt. Modo maxima rerum
Tot generis, natiſque potens, nuribuſque, viroque
Nunc trahor exul, inops, tumulis avulſa meorum,
Penelope munus, quæ me data penſa trahentem
Matribus oſtendens Ithacis, hæc Hectoris illa eſt
Clara parens; hæc eſt, dicet, Priameia conjux.
Poſtque tot amiſſos, tu nunc, quæ ſola levabas
Maternos luctus, hoſtilia buſta piaſti.
Inferias hoſti peperi. Quo ferrea reſto?
Quidve moror? quo me ſervas annoſa ſenectus?
Quo Dii crudeles, niſi uti nova funera cernam,
Vivacem differtis anum? quis poſſe putaret
Felicem Priamum, poſt diruta Pergama, dici?
Felix morte ſua eſt: nec te, mea nata, peremptam
Aſpicit, & vitam pariter, regnumque reliquit.
At, puto, funeribus dotabere regia virgo,
Condeturque tuum monumentis corpus avitis?
Non hæc eſt fortuna domus; tibi munera matris

ſoli everſa non eſt: adhuc in me, meoſque, Græci perinde ſæviunt, ac ſi Troja ſtaret.

In curſu. Nondum eſt finitum, & emenſum, doloris mei, ærumnarum mearum curriculum: Adhuc in ſtadio, in curſu ſum: metam non attigi.

Maxima rerum. Potentiſſima, ampliſſima. Genitivus, *rerum*, hic abundat: vel, ſignificat quod vulgo & barbare dicitur: Mundi clariſſima regina: hanc enim vim *rerum*, *rebus*, habet.

Tot generis. Quæ tot generos habebam, &c. Septem filias, duodecim filios, peperiſſe traditur.

Nuribus. Lib. II. 9.

Penelope munus. Offerenda uxori Ulyſſis, & ipſi mancipanda.

Penſa. Lanæ portionem.

Piaſti. Placaviſti manes Achillis.

Buſtum. Lib. IV. num. 2.

Inferias. Lib. VIII. 12. Victimam peperi ſacrificandam hoſti.

Quo? Ad quem exitum! Quem ad finem?

Ferrea. Inſtar ferri dura, vivax, necdum tot malis conſumpta.

Differtis. Mortem meam protrahendo.

Quis &c. Nimis ingenioſe luget Ovidius, nec vehementes affectus patiuntur tot argutias. Recte neſcio quis apud Senecam rhetorem, in Controv. illum arguit quod interdum neſciat deſinere.

Funeribus. Exequiarum honore.

Dotabere. Ornaberis. Hanc forte dotem obtinebis ſaltem mortua.

Domus. Priameiæ.

Tibi

Contingent fletus, peregrinæque hauſtus arenæ.
Omnia perdidimus. Supereſt, cur vivere tempus
In breve ſuſtineam, proles gratiſſima matri,
Nunc ſolus, quondam minimus de ſtirpe virili
Has datus Iſmario regi Polydorus in oras.
Quid moror interea crudelia vulnera lymphis
Abluere, & ſparſos immiti ſanguine vultus?

Tibi munera... Non alia tibi ſepulchri dona contingent, quam lacrymæ matris, quam paululum arenæ, quod injiciam tuo cadaveri.
Peregrina. Thraciæ.
Supereſt. Fallor, non perdidi omnia, ſupereſt Polydorus; ob quem vitam portrahere velim.
Datus. Miſſus, ut apud eum educaretur, & lateret.
Iſmario. Thracio. Iſmarus Thraciæ mons.
Polydorus. Supra n. 13.
Vulnera. Cadaver Polyxenæ.

X V.

Hecuba in Polydori cadaver incidit. Dolore amens ululat, & in canem mutatur.

Dixit, & ad littus paſſu procedit anili,
Albentes lacerata comas. Date, Troades, urnam.
Dixerat infelix, liquidas hauriret ut undas;
Aſpicit ejectum Polydori in littore corpus,
Factaque Threiciis ingentia vulnera telis.
Troades exclamant: obmutuit illa dolore,
Et pariter vocem, lacrymaſque introrſus obortas
Devorat ipſe dolor, duroque ſimillima ſaxo
Torpet, & adverſa figit modo lumina terra,
Interdum torvos ſuſtollit ad æthera vultus,
Nunc poſiti ſpectat vultum, nunc vulnera nati;
Vulnera præcipue, ſeque armat, & inſtruit ira:
Qua ſimul exarſit, tanquam regina maneret

Urnam. In qua hauriam undas, abluendis Polyxenæ plagis.
Threjiciis telis. Polymeſtoris ſagittis.
Exclamant. Clamore tollunt, viſo Polydori cadavere.
Devorat. Abſorbet, abſumit.
Adverſa terra. Oculis ſubjecta.
Poſiti. Jacentis; abjecti in littore.
Maneret. Quaſi eſſet adhuc regi-

Ulciſci ſtatuit, pœnæque in imagine tota eſt.
Utque furit catulo lactente orbata leæna,
Signaque nacta pedum, ſequitur quem non videt, hoſtem:
Sic Hecube, poſtquam cum luctu miſcuit iram,
Non oblita animorum, annorum oblita ſuorum,
Vadit ad artificem diræ Polymeſtora cædis,
Colloquiumque petit: nam ſe monſtrare relictum
Velle latens illi, quod nato redderet, aurum.
Credidit Odryſius, prædæque aſſuetus amore,
In ſecreta venit: tum blando callidus ore
Tolle moras Hecube, dixit, da munera nato,
Omne fore illius, quod das, quod & ante dediſti,
Per Superos juro. Spectat truculenta loquentem
Falſaque jurantem, tumidaque exæſtuat ira.
Atque ita correpto, captivarum agmina matrum
Invocat, & digitos in perfida lumina condit,
Expellitque genis oculos: facit ira valentem:
Immergitque manus, fœdataque ſanguine ſonti
(Non lumen, neque enim ſupereſt) loca luminis haurit.
Clade ſui Thracum gens irritata tyranni,
Troada telorum lapidumque inceſſere jactu
Cœpit: at hæc miſſum rauco cum murmure ſaxum
Morſibus inſequitur, rictuque in verba parato
Latravit conata loqui: locus extat, & ex re

regina. Ultionem fruſtra moliuntur miſeri, & imbecilli.

Nacta. Poſtquam deprehendit veſtigia raptoris.

Nam ſe &c. Quippe ait velle ſe illi oſtendere occultam auri ſummam, ac dare quam ipſe Polydoro tribuat.

Odryſius. Thrax. Polymeſtor, rex Thracum, qui ab oppido Odryſa, dicti ſunt, Odryſii.

In ſecreta. In locum ab arbitris remotum.

Correpto. Cum in ejus caput involaſſet.

Perfida lumina. Oculos perfidi & proditoris.

Expellit. Excutit, eruit.

Sonti. Reo, ſcelerato.

Non lumen. Non jam oculos, qui erant effoſſi, ſed illorum loca exhaurit ac laniat.

Troada. Hecubam.

Rictu &c. Et ore, ut loqueretur, diducto, apertoque.

Locus extat. In Thracia, juxta Abydum, erat locus, quem incolæ vocabant canis ſepulchrum: & ubi ſepultam fuiſſe narrabant Hecubam. Idcirco in canem mutata fingitur

Nomen habet: veterumq; diu memor illa malorum,
Tum quoque Sithonios ululavit mæſta per agros.
Illius, Troaſque ſuos, hoſteſque Pelaſgos,
Illius fortuna Deos quoque moverat omnes;
Sic omnes, ut & ipſa Jovis conjuxque ſororque
Eventus Hecubam meruiſſe negaverit illos.

gitur Hecuba, quod ore rabido Græcos maledictis allatrare non ceſſaret.
Sithonios. Sithonia, Thraciæ pars.

Sic omnes .... Adeo movit omnes, ut ne Juno quidem non indoluerit, dignamque melioribus fatis Hecubam confeſſa ſit.

X V I.

Memnonides aves e Memnonis rogo natæ.

Non vacat Auroræ, quamquam iiſdem faverat armis,
Cladibus, & caſu Trojæque, Hecubæque moveri.
Cura Deam propior, luctuſque domeſticus angit,
Memnonis amiſſi, Phrygiis quem lutea campis,
Vidit Achillea pereuntem cuſpide mater:
Vidit, & ille color, quo matutina rubeſcunt
Tempora, palluerat, latuitque in nubibus æther.
At non impoſitos ſupremis ignibus artus
Suſtinuit ſpectare parens: ſed crine ſoluto,
Sicut erat, magni genibus procumbere non eſt
Dedignata Jovis, lacrymiſque ejus addere voces:
Omnibus inferior, quas ſuſtinet aureus æther,
(Nam mihi ſunt totum rariſſima templa per orbem)
Diva tamen, veni; non ut delubra, dieſque
Des mihi ſacrificos, calituraſque ignibus aras:

Non vacat... Cæteris Diis Hecubam & excidium Trojæ lugentibus, Auroræ otium non eſt, ob domeſticam calamitatem, hoc fungi officio; quamvis Trojanis faveat.
Quamquam &c. Tithonus, Auroræ maritus, Laomedontis filius, & Priami frater fuit: atque adeo Trojanorum partibus addictus.

Memnonis. Filii Auroræ, & Tithoni, regis Æthiopum.
Lutea mater. Aurora. Luteus, cum primam ſyllabam producit, eſt color flavus in puniceum vergens, qualis auroræ color eſt.
Sacrificos. Quibus mihi offerantur ſacrificia.

Si tamen aſpicias quantum tibi femina præſtem,
Tunc cum luce nova noctis confinia ſervo,
Præmia danda putes: ſed non ea cura, neque hic eſt
Nunc ſtatus Auroræ meritos ut poſcat honores:
Memnonis orba mei venio, qui fortia fruſtra
Pro patruo tulit arma ſuo, primiſque ſub annis
Occidit a forti (ſic Di voluiſtis) Achille.
Da precor huic aliquem, ſolatia mortis, honorem,
Summe Deum rector, maternaque vulnera leni.
Jupiter annuerat: cum Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus: nigrique volumina fumi
Infecere diem, veluti cum flumina natas
Exhalant nebulas, nec ſol admittitur infra.
Atra favilla volat, glomerataque corpus in unum
Denſatur, faciemque capit, ſumitque colorem,
Atque animam ex igni: levitas ſua præbuit alas.
Et primo ſimilis volucri, mox vera volucris
Inſonuit pennis, pariter ſonuere ſorores
Innumeræ, quibus eſt eadem natalis origo.
Terque rogum luſtrant, & conſonus exit in auras
Ter plangor, quarto ſeducunt caſtra volatu.
Tunc duo diverſa populi de parte feroces
Bella gerunt, roſtriſque & aduncis unguibus iras

Quantum. Beneficium. Si perpendas quam utilem tibi, licet femina, nec majoribus Diis comparanda, operam navem, meruiſſe me nonnihil præmii fateberis.

Noctis, &c. Cum certos nocti fines pono: ne diutius illa protrahatur, ne dies oriatur citius.

Patruo. Priamo.

Materna &c. Matris luctum conſolare.

Corruit rogus. Injecto igne rogus, in quo Memnonis corpus cremabatur, conſumptus eſt: excitatus deinde fumus; e fumo, & favilla, aves prodiere.

Nec Sol. Neque radii ſolis infra nebulas permeant; pervadere caliginem non poſſunt.

Faciem. Corporis figuram.

Ex igni. Ignea natura conſtare animas credebant. Sane igni ſimillima eſt anima.

Levitas ſua. Propria favillæ.

Sorores innumeræ. Volucres primæ illi ſimiles, & ex eodem rogo natæ.

Luſtrant. Circumvolant.

Plangor. Clangor, lugubris alarum plauſus.

Quarto &c. Quarta vice, cum circa rogum volant, ſeparant, ac dividunt ſe duo in caſtra, in duas acies: &, tamquam duo populi, infeſtis ſignis.

Exercent, alaſque adverſaque pectora laſlant:
Inferiæque cadunt cineri cognata ſepulto
Corpora, ſeque viro forti meminere creatas.
Præpetibus ſubitis nomen facit auctor; ab illo
Memnonides dictæ: ſol duodena peregit
Signa, parentali moriture Marte rebellant.
Ergo aliis latraſſe Dymantida flebile viſum eſt:
Luctibus eſt Aurora ſuis intenta, piaſque
Nunc quoque dat lacrymas, & toto rorat in orbe.

gnis concurrunt.

Inferiæ. Lib. VIII. n. 12. Tamquam victimæ Memnonis conſanguineæ, ad illius buſtum pereunt.

Viro forti .... Memnone. Documentum dant iſto certamine, ſe natas ex hominis generoſi, & bellatoris, cineribus.

Præpetibus. Avibus. Lib. IV. n. 11.

Subitis. Repente productis.

Auctor. Memnon, illarum quaſi parens, e cujus favilla natæ: & a quo Memnonides vocantur.

Cum Sol. Vertente anno; exactis menſibus duodecim.

Signa. Lib. II. n. 1.

Marte parentali. Solemni, & mutua cæde, qua velut parentant Memnoni, ideſt, exequias peragunt. Proprie qui parentibus juſta ſolvunt, parentare dicuntur. Plura de his avibus habet Ælianus de nat. anim. Lib. V. c. 1. Item Plin. Lib. X. c. 26.

Rebellant. Bellum inſtaurant. Narrat Plinius loco citato, aves Memnonidas ex Æthiopia quotannis advolare ad Memnonis ſepulchrum in Ilio, & parentalia quaſi celebrantes depugnare. Mos erat apud Romanos, in exequis nobilium adhibere gladiatores, qui mutuis vulneribus conciderent; ac mortuo parentarent. Hunc *Martem parentalem* Vates nominat.

Ergo aliis. Dum ergo cæteri Dii lugerent Hecubam (Dymantis filiam) latrantem, & mutatam cane: Aurora Memnonem filium lugebat, ac lugere porro pergit, ejuſque lacrymæ ros matutinus ipſe ſunt.

XVII.

Anii filia in columbas mutata.

Non tamen everſam Trojæ, cum mœnibus, eſſe

Non tamen &c. Spes Trojæ non extincta eſt cum ipſa Troia. Spem Romæ, ex ejus aliquando cineribus excitandæ, ſervant fata in Ænea, qui ex incendio Trojæ ereptum patrem, cum ſacris patriis, deportavit in Italiam.

Y San

Spem quoque fata ſinunt. ſacra: & ſacra altera patrem,
Fert humeris, venerabile onus, Cythereius Heros.
De tantis opibus prædam pius eligit illam,
Aſcaniumque ſuum; profugaque per æquora claſſe
Fertur ab Antandro, ſcelerataque littora Thracum,
Et Polydoreo manantem ſanguine terram,
Linquit; & utilibus ventis æſtuque ſecundo,
Intrat Apollineam, ſociis comitantibus, urbem.
Hunc Anius, quo rege homines, antiſtite Phœbus,
Rite colebantur, temploque domoque recepit;
Urbemque oſtendit, delubraque nota, duaſque
Latona quondam ſtirpes pariente retentas.
Thure dato flammis, vinoque in thura profuſo,
Cæſarumque boum fibris de more crematis,
Regia tecta petunt, poſitique tapetibus altis
Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho.
Tunc pius Anchiſes, o Phœbi lecte ſacerdos,
Fallor? an & natum, cum primum hæc mænia vidi,

Sacra. Ritus ſacrorum; ſacrificiorum cærimonias; ſacram ſupellectilem.

Sacra altera patrem. Patrem Anchiſen, qui ſecundum Deos, ſacer illi præcipue, & venerabilis erat; qui Penatum obtinebat locum. Pars enim religionis eſt, pietas in parentes.

Cytherejus heros. Æneas, Veneris filius, quæ Cytherea nuncupatur, a Cytheris, inſula in aditu maris Ægæi, ipſi ſacra.

Prædam illam. Patrem, & ſacra.

Antandro. Urbe Troadis, ad montem Idam. Nunc oppidulum, *San Dimitri*, dictū.

Polydoreo. Supra, n. 8. 9.

Æſtu. Mari.

Secundo. Favente, opportuno.

Apollineam urbem. Delum, inſulam, & urbem Apollini dedicatas.

Colebantur. Hoc rege homines excolebantur, & regebantur: Phœbus adorabatur, & honore debito gaudebat. Virgil. Lib. III. Æneidos.

Delubra nota. Clara propter oraculum Delii Apollinis.

Duas &c. Arbores duas, ſervatas in honorem & memoriam Latonæ, quæ illas amplexa, & retinens, Phœbum & Dianam erat enixa.

Fibris. Extis, viſceribus boum immolatarum.

Poſiti tapetibus. Accumbentes in lectis quos pretioſi tapetes operiebant.

Fallor? an, &c. Niſi fallor, erant tibi, cum primum in hanc tuam urbem olim me contuli, filius, & quatuor filiæ;

Biſque duas natas, quantum reminiſcor, habebas?
Huic Anius, niveis circumdata tempora vittis
Concutiens, & triſtis, ait: Non falleris heros
Maxime; vidiſti natorum quinque parentem,
Quem nunc (tanta homines rerum inconſtantia verſat)
Pene vides orbum; quod enim mihi filius abſens
Auxilium, quem dicta ſuo de nomine tellus
Andros habet; pro patre locumque, & regna tenentem.
Delius augurium dedit huic; dedit altera Liber
Femineæ ſtirpi voto majora, fideque,
Munera: nam tactu natarum cuncta mearum
In ſegetem, laticemque meri, baccamque Minervæ,
Transformabantur, diveſque erat uſus in illis.
Hoc ubi cognovit Trojæ populator Atrides;
(Ne non ex aliqua veſtram ſenſiſſe procellam
Nos quoque parte putes) armorum viribus uſus
Abſtrahit invitas gremio genitoris, alantque

filiæ: quid accidit, quod nullam video?

Vittis. Tænils, quibus ſacerdotes redimitum habebant caput.

Concutiens. Solemus caput quaſſare dicturi quidpiam durius, triſtiuſque.

Tanta &c. Tanta eſt rerum humanarum mutabilitas! tam facile proſperis adverſa ſuccedunt!

Pene orbum. Filius meus eſt abſens: filiæ mutatæ ſunt in aves.

Quod enim &c. Quid mihi auxilii affert? quid me juvat, abſens filius, & in Andro degens?

Filius. Andrus vocabatur, a quo nomen eſt adepta inſula Andros, *Andro*, in Ægæo mari.

Quem &c. Qui nunc habitat in Andro inſula, quam pro me, patre ſuo, & meo loco, gubernat. Erat Andros inſula in ditione Anii: eique filium regendæ præfecerat.

Delius. Huic Andro, filio meo, artem augurandi Phœbus conceſſit: at Bacchus meis filiabus dederat munera, quæ fidem omnem ſuperant: nempe, ut in triticum, vinum, & oleum, converterent quicquid attingebant.

Dives uſus, &c. Magnæ ex illis, hac facultate præditis, capi poterant utilitates.

Atrides. Agamemnon.

Ne non, &c. Ut intelligas Trojanæ cladis partem in nos aliquam redundaſſe.

Genitoris gremio. E meo complexu, ex ædibus meis.

Imperat Argolicam cœleſti munere gentem.
Effugiunt quo quæque poteſt : Eubœa duabus ,
Et totidem natis Andros fraterna petita eſt.
Miles adeſt; &, ni dedantur, bella minatur.
Victa metu pietas conſortia corpora pœnæ
Dedidit, & timido poſſes ignoſcere fratri:
Non hic Æneas, non qui defenderet Andron
Hector erat, per quos decimum duraſtis in annum.
Jamque parabantur captivis vincla lacertis:
Illæ tollentes etiamnum libera cœlo
Brachia, Bacche pater, fer opem, dixere; tulitque
Muneris auctor opem (ſi miro perdere more
Ferre vocatur opem) nec qua ratione figuram
Perdiderint, potui ſcire, aut nunc dicere poſſum.
Summa mali nota eſt: pennas ſumpſere, tuæque
Conjugis in volucres niveas abiere columbas.

Imperat. Eas dari ſibi poſtulavit, ut exercitum Græcorum alerent.

Cœleſti munere. Facultate vertendi omnia in panem, oleum, & vinum, quam a Baccho acceperant.

Eubœa &c. Duæ in Eubœam (inſulam Græciæ adjacentem, infra Theſſaliam) ſe recipiunt; aliæ duæ in Andrum.

Natis. Filiabus meis.

Fraterna. Ubi Andrus, ipſarum frater imperitabat.

Adeſt. Irruit miles in inſulas Andrum, & Eubœam: miſſus ab Agamemnone ſcilicet.

Victa.. Frater, etſi pius, ſorores, victus armorum, & mortis metu, dedidit.

Pœnæ. Ut vincirentur, in exilium aſportarentur: Vel, explica: Frater victus metu pœnæ, ſorores dedit.

Per quos &c. Blanditur Anchiſæ, exequando Æneam ejus filium Hectori, & affirmando æque per illum, atque per Hectorem, dilatam in decimum uſque annum Trojæ perniciem, & Græcorum victoriam.

Etiamnum. Antequam captivæ ligarentur.

Summa &c. Ut uno verbo miſeram illarum ſortem referam, quæ eſt omnibus explorata.

Tuæ conjugis volucres. Columbas, quæ Veneri ſunt ſacræ.

XVIII.

Iter Æneæ in Italiam. Varia metamorphoſes, pro re nata, inſeruntur.

Talibus, atque aliis poſtquam convivia dictis
Implerunt, menſa ſomnum petiere remota;
Cumque diu ſurgunt, adeuntque oracula Phœbi,
Qui petere antiquam matrem, cognataque juſſit
Littora. Proſequitur rex, & dat munus ituris,
Anchiſæ ſceptrum; clamydem, pharetramq; nepoti.
Cratera Æneæ, quem quondam miſerat illi
Hoſpes ab Aoniis Therſes, Iſmenius oris:
Miſerat hunc illi Therſes, fabricaverat Alcon
Myleus, & longo cælaverat argumento.
Urbs erat, & ſeptem poſſes oſtendere portas;
Hæ pro nomine erant, & quæ foret illa docebant.
Ante urbem exequiæ, tumulique ignesque rogique,
Effuſæque comas, & apertæ pectora matres,
Significant luctum, nymphæ quoque flere videntur,
Siccatoſque queri fontes: ſine frondibus arbor
Nuda riget, lambunt arentia ſaxa capellæ.
Ecce facit mediis natas Orione Thebis,

Antiquam matrem. Italiam, unde Dardanus, Trojanæ gentis auctor, in Phrygiam eſt profectus. Virgil. Lib. III.

Cognata littora. Ab eorum majoribus habitata.

Proſequitur. Abeuntes deducit.

Rex. Anius.

Sceptrum. Diximus veterum ſceptra ſimillima fuiſſe ſcipionum: ſcipio autem ſeni convenit, & ſceptrum regi. Anchiſes, & ſenex, & Trojanorum caput ac princeps erat.

Nepoti. Aſcanio.

Iſmenius. Thebanus. Iſmenus Bœotiæ fluvius, ubi Thebæ.

Alcon. Aurifex.

Myleus. Mylæ, oppidum Siciliæ: *Milazzo*.

Longo argumento. Variis rebus in eo cælatis, ac depictis.

Urbs erat... Thebæ in cratera cælatæ ſpectabantur.

Pro nomine... Illæ ſeptem portæ inſtar nominis erant, & quænam eſſet urbs illa declarabant, nempe eſſe Thebas, ſeptem portis inclytas.

Aperta pectora. Nuda pectora plangentes.

Facit. Depinxerat aurifex filias Orionis, pro patria, quam ſiccitas agrorum vexabat,

Hanc non fœmineum jugulo dare pectus aperto ;
Illam, demiſſo per fortia pectora telo,
Pro populo cecidiſſe ſuo, pulcriſque per urbem
Funeribus ferri, celebrique in parte cremari.
Tum de virginea geminos exire favilla,
Ne genus intereat, juvenes, quos fama Coronas
Nominat, & cineri materno ducere pompam.
Hactenus antiquo ſignis fulgentibus ære
Summus inaurato crater erat aſper achanto.
Nec leviora datis Trojani dona remittunt,
Dantque ſacerdoti cuſtodem thuris acerram,
Dant pateram, claramq; auro, gemmiſq; coronam.

xabat, neci ſe devoventes. Editum fuerat oraculum, ita ſterilitati diuturnæ modum poſitum iri, ſi duæ virgines immolarentur. Cæteris recuſantibus, Orionis filiæ pro ſalute publica ſe devoverunt.

Hanc ... Unam effinxerat collum præcidendum carnifici offerentem virili fortitudine: alteram adacto per viſcera gladio cadentem.

Ferri. Efferri ad rogum.

Celebri in parte. In frequentiſſima Thebarum platea.

Tum &c. Viſebantur celati duo juvenes, e virginum nati, prodeunteſque rogo, ut ſtirpem generoſam propagarent; iidemque funus virginum, quas appellare ſuas matres poterant, celebrare cernebantur.

Coronas. Apud Græcos, unde ſumpta hæc fabula, vocantur illi juvenes Στέφανοι quæ vox coronas ſignificat.

Hactenus &c. Enumerat hactenus ſigna, erant fuſa per totum craterem, qui ex antiquo ære conſtabant: ſed ejuſdem pateræ ſumma pars & ora, cingebatur achanto inaurato.

Achanto. Achantus eſt frutex, arboribus & parietibus adhærens, inſtar hederæ, cujus folia imitatur, anguſtiora tamen habet: ſpinas in trunco ſeu calamo, & aculeos gerit: flores effert candidos, ut liguſtrum: fructus croceos rutiloſque, racematim collectos.

Nec leviora, &c. Trojani viciſſim Anio dedere non leviora munera acceptis,

X I X.

Æneas claſſem ad Siciliam appellit.

Inde recordati Teucros a ſanguine Teucri
Ducere principium, Cretam tenuere, locique

Principium. Originem. Teucer Scamandri Cretenſis filius, una cum Dardano ſuo genero, regnavit in Troa-

Ferre diu nequire Jovem, centumque relictis
Urbibus, Auſonios optant contingere portus.
Sævit hiems; jactatq; viros, Strophadumq; receptos
Portubus inſidis exterruit ales Aëllo.
Et jam Dulichios portus, Ithacamque Samenque,
Neritiaſque domos, regnum fallacis Ulyſſei,
Prætereunt vecti: certatam lite Deorum
Ambraciam, verſique vident ſub imagine ſaxum
Judicis; Actiaco quæ nunc ab Apolline nota eſt:

Troade. Tros, Teucri nepos, nomen ſuum Troiæ dedit. De Teucro. Ajacis Telamonii fratre, agitur ſupra, num. 5.

Jovem. Cœlum, aerem, laborarunt enim ibi peſtilentia. Narrat Virgil. quemadmodum Anchiſes deceptus ambigua voce oraculi Cretam pro Italia petierit. Hunc tu vide, Lib. III.

Centum urbibus. Totidem enim habuiſſe Creta fertur.

Auſonios. Italos. Auſones Italiæ veteris populus.

Hiems. Tempeſtas.

Strophadum. Strophades, inſulæ in mari Jonio duæ juxta inſulam Zacinthum: ita dictæ, quia Calais & Zetes ad eas uſque inſulas perſecuti ſunt Harpyias (Lib. VII. nu. I.) at ulterius ne pergerent à Jove prohibiti, retro ſe converterunt: *στρέφω, verto: revertor*.

Aëllo. Una ex Harpyis. Æneid. Lib. III.

Dulichius. Dulichium, inſula in Jonio mari, prope Ithacam.

Samen. Inſula, e regione Epiri, ante ſinum Ambracium, non procul ab Actio promontorio: vulgo Cephalonia nuncupatur, *Ceſalonia*. Duplex inſula in mari Ægæo Samus vocatur; hæc rectius appellatur Same.

Neritias domos. Neritus, ſive Neritum, eſt oppidum & mons Ithacæ inſulæ, His locis Ulyſſes imperitavit.

Ulyſſei. A recto Ulyſſeus; ut Achillei, ab Achilleus. Porro duæ ultimæ litteræ in diphthongum coaleſcunt, & unam efficiunt ſyllabam.

Prætereunt. Legere eſt in bonis codicibus: *Præter erant vecti*.

Ambraciam. Urbem Epiri, ad cognominem ſinum; nunc *L'arta*: vel *Ambrachia*. De illa certaſſe Deos ait, & arbitrum ſuæ litis ſumpſiſſe, qui deinde mutatus in ſaxum fuerit. Quælis iſta, quis judex illius, extiterit, nullibi, quod ſciam, explicatur.

Actiaco. Quæ Ambracia, nota nunc eſt, ac celebris, templo Apollinis Actiaci. Actium Epiri promontorium eſt, nunc dictum *Capo Figalo*. Ibi Auguſtus Antonium & Cleopatram vicit, ac templum Apollinis condidit, cui acceptam præcipue victoriam referebat. Virg. Lib. VIII.

Vocalemque ſuam terram Dodonida quercu,
Chaonioſque ſinus: ubi nati rege Moloſſo
Irrita ſubjectis fugere incendia pennis.
Proxima Phæacum felicibus obſita pomis
Rura petunt: Epiros ab his, regnataque vati
Buthrotos Phrygio, ſimulataque Troja, tenetur.
Inde futurorum certi, quæ cuncta fideli
Priamides Helenus monitu prædixerat, intrant
Sicaniam: tribus hæc excurrit in æquora linguis;
E quibus imbriferos eſt verſa Pachynos ad Auſtros,
Mollibus expoſitum Zephyris Lilybæon: ad Arctos,
Æquoris expertes ſpectat, Boreamque, Peloros.
Hanc ſubeunt Teucri, & remis, æſtuque ſecundo
Sub noctem potitur Zanclæa claſſis arena.

Vocalemque &c. Prætervehùntur etiam terram Dodonida; ubi quercus olim oracula edebant. Lib. VII. n. 16.

Chaonios ſinus. Chaones, ejuſdem Epiri populus, Lib. V. num. 5.

Moloſſo. Moloſſus in Epiri parte regnavit, quæ ab eo dicta eſt Moloſſia. Ejus filios, ſumptis avium pennis ab incendio liberatos vates docet.

Phæacum. Corcyram inſulam (*Corfù*) Pheaces obtinuerunt. Rex illorum Alcinous, cujus horti celebrantur.

Obſita. Referta, plena.

Epiros. Græciæ pars, Italiæ obverſa, & ſinui Adriatico.

Ab his. Phæacibus. Digreſſi Corcyra Trojani, tenuere, attigerunt Epirum, & Buthrotum, Epiri urbem, ubi Helenus, princeps, & augur, Trojanus, Priami filius, regnabat.

Buthrotos. Terminatio Græca, pro Buthrotus. Eſt inſula, & oppidum Epiri: *Botronto*.

Simulata Troja. Auctor eſt Virgilius, urbem ab Heleno fuiſſe conditam, Trojæ nomine, quæ veteris Trojæ ſimulacrum eſſet, ac monumentum. Lib. III. Æneid. Verſu 349.

Futurorum certi. Admoniti de rebus eventuris.

Sicaniam. Siciliam.

Linguis. Promontoriis.

Pachynos. Lib. V. n. 10. Pachynus (*Il capo Paſſaro*) eſt in parte Auſtrali Siciliæ: Lilybæum (*Il capo Boeo*) occidentem reſpicit. Pelorus; (*Il capo di Faro*) Septemtrionem; ubi Arctos gemina.

Arctos. Lib. II. n. 12.

Hanc. Sicaniam.

Zanclæa. Zancle, urbs Siciliæ, quam poſtea Meſſanam, a Meſſeniis conditoribus, dictam volunt. Ipſa Sicilia tota, Zancle nuncupata traditur.

X X.

Scylla & Carybdis. Polyphemi cantilena.

Scylla latus dextrum, lævum irrequieta Carybdis
Infeſtat, vorat hæc raptas, removitque carinas;
Illa feris atram canibus ſuccingitur alvum.
Hanc multi petiere proci, quibus illa repulſis
Ad pelagi nymphas, pelagi gratiſſima nymphis
Ibat, & eluſos juvenum narrabat amores:
Cui dum pectendos præbet Galatea capillos,
Talibus alloquitur referens ſuſpiria dictis:
Horrendus Cyclops, & viſus ab hoſpite nullo
Impune, & magni cum Dis contemptor olympi,
Quid ſit amor ſentit; jamque eſt tibi cura placendi,
Jam rigidos pectis raſtris, Polypheme, capillos;
Jam libet hirſutam tibi falce recidere barbam,
Et ſpectare feros in aqua, & componere vultus:
Cædis amor, feritaſque, ſitiſque immenſa cruoris,
Ceſſant, & tutæ veniunt abeuntque carinæ.
Telemus interea Siculum delatus in æquor,

Scylla, &c. In freto Siculo ſunt Scylla, & Charybdis: illa ſcopulus: hæc, vortex. Charybdim vetulam fuiſſe narrant furaciſſimam, quæ cum Herculis boves avertiſſet, ab eo projecta in fretum eſt: ac mutata in marinum monſtrum, retinet indolem priſtinam, & naves prætereuntes rapit, devoratque. De Scylla, Phorci & Cratæidis filia, vates narrare occipit, in monſtrum marinum converſa, cujus latera canes rabidi cingunt, ut fuſius libro ſequenti canit.

Illa. Scylla.

Alloquitur. Scyllam. Galatea.

Referens. Miſcens.

Suſpiria. Memor, quam ægre Polyphemi crudelitatem effugiſſet.

Cyclops. Polyphemus. Virgil. III. Æn.

Impune. Quia mactabat hoſpites, ac devorabat: nemo igitur illum impune, ideſt, ſine certa pœna & exitio, videbat.

Raſtris. Hic illius amaſii pecten: novacula, falx: ſpeculum, mare.

Carinæ. Quibus antea inſidiabatur Polyphemus.

Telemus. Cyclops, augurii peritus, qui omnia Polyphemo prædixit, quæ ab Ulyſſe poſtea paſſus eſt.

Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales:
Terribilem Polyphemon adit; lumenq; quod unum
Fronte geris media, rapiet tibi, dixit, Ulyſſes.
Riſit: &, Ovatum ſtoliſdiſſime, falleris, inquit,
Altera jam rapuit. Sic fruſtra vera monentem
Spernit, & aut gradiens ingenti littora paſſu
Degravat, aut feſſus ſub opaca revertitur antra.
Prominet in pontum, cuneatus acumine longo
Collis, utrumque latus circumfluit æquoris unda;
Huc ferus aſcendit Cyclops, mediuſque reſedit;
Lanigeræ pecudes nullo ducente ſecutæ.
Cui poſtquam pinus, baculi quæ præbuit uſum,
Ante pedes poſita eſt, antennis apta ferendis,
Sumptaque arundinibus compacta eſt fiſtula centum;
Senſerunt toti paſtoria ſibila montes,
Senſerunt undæ: latitans procul auribus hauſi
Talia dicta meis, auditaque verba notavi:
Candidior folio nivei Galatea liguſtri,
Floridior prato, longa procerior alno,
Levior aſſiduo detritis æquore conchis;
Solibus hibernis, æſtiva gratior umbra,
Nobilior pomis, platano conſpectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior uva.
Mollior & cycni plumis, & lacte coacto:
Sævior indomitis eadem Galatea juvencis,
Durior annoſa quercu, fallacior undis,
Lentior & ſalicis virgis, & vitibus albis,

Eurymides. Filius Eurymi. Odyſſ. IX.

Quem nulla... Qui ex alitum cantu, volatuque, certiſſime prænunciabat futura. Lib. VI. num. 10.

Altera. Galatea.

Degravat. Deprimit, corporis pondere.

Cuneatus. In cunei ſimilitudinem factus: cuneus, ferrum eſt quo ſinduntur ligna, & cujus prima pars tenuior; altera latior & amplior.

Antennis. Antennas (Libr. XI. num. 12.) fert malus. Baculum ergo Polyphemi erat pinus tam craſſa, ut poſſet vicem obire mali in nave, & antennas ſuſtinere.

Paſtoria ſibila. Paſtorales Polyphemi cantus.

Liguſtri. Liguſtrum, arbuſcula, flore candidiſſimo.

Levior. Nitidior.

Coacto. Coagulato.

Lentior. Mutabilior, inconſtantior.

His immobilior ſcopulis, violentior amne,
Laudato pavone ſuperbior, acrior igni,
Aſperior tribulis, feta truculentior urſa,
Surdior æquoribus, calcato immitior hydro;
Non tantum cervo claris latratibus acto,
Verum etiam ventis, volucrique fugacior aura.
At, bene ſi noris, pigeat fugiſſe, moraſque
Ipſa tuas damnes, & me retinere labores.
Sunt mihi, pars montis, vivo pendentia ſaxo
Antra; quibus nec ſol medio ſentitur in æſtu,
Nec ſentitur hiems; ſunt poma gravantia ramos,
Sunt auro ſimiles longis in vitibus uvæ,
Sunt & purpureæ: tibi & has ſervamus, & illas.
Ipſa tuis manibus ſilveſtri nata ſub umbra
Mollia fraga leges, ipſa autumnalia corna,
Prunaque non ſolum nigro liventia ſucco,
Verum etiam generoſa, novaſque imitantia ceras.
Nec tibi caſtaneæ, me conjuge, nec tibi deerunt
Arbutei fetus: omnis tibi ſerviet arbos.
Hoc pecus omne meum eſt, multæ quoque valli-
bus errant,
Multas ſilva tegit, multæ ſtabulantur in antris.
Nec (ſi forte roges) poſſem tibi dicere quot ſint;
Pauperis eſt numerare pecus: de laudibus harum
Nil mihi crediderìs; præſens potes ipſa videre
Ut vix circumeant diſtentum cruribus uber.
Sunt, fetura minor, tepidis in ovilibus agni.
Sunt quoque (par ætas) aliis in ovilibus hœdi.
Lac mihi ſemper adeſt niveum, pars inde bibenda
Servatur, partem liquefacta coagula durant.
Nec tibi deliciæ faciles, vulgataque tantum

Tribulis. Tribuli, herbæ ſegetibus inimicæ.

Feta. Prægnante.

Auro ſimiles. Flavæ, maturæ. *Corna*. Corni arboris fructus. Lib I. n. 5.

Generoſa. Nobilia ſtirpis exquiſitæ.

Arbutei. Lib. I. num. 5.

Circumeat. Amplectantur.

Fetura minor. Grex minor, ſive mole, ſive numero. Fetura proprie eſt pecoris proventus: partus animalium.

Par ætas. Par eſt illis hædis ætas, atque agnis.

Durant. Denſant, adſtringunt.

Nec tibi &c. Non habebi apud me duntaxat iſtas qu

 faci-

Munera contingent, damæ, leporeſque, capræque,
Parve columbarum, demptuſve cacumine nidus:
Inveni geminos, qui tecum ludere poſſint,
Inter ſe ſimiles, vix ut dignoſcere poſſis,
Villoſæ catulos in ſummis montibus urſæ,
Inveni, & dixi, dominæ ſervabimus iſtos:

facile reperiuntur pecudes: ut lepores, & damas, quibus te oblectes, &c.
Cacumine. Arboris.
Dominæ. Galateæ.
Iſtos. Urſæ catulos. Hos pro delicatis catellis, & elegantibus, habet.

XXI.

Acis in fluvium vertitur.

Jam modo cæruleo nitidum caput exere ponto,
Jam Galatea veni, nec munera deſpice noſtra.
Certe ego me novi, liquidæque in imagine vidi
Nuper aquæ, placuitque mihi mea forma videnti.
Aſpice ſim quantus, non eſt hoc corpore major
Jupiter in cœlo: nam vos narrare ſoletis
Neſcio quem regnare Jovem: coma plurima torvos
Prominet in vultus, humeroſque ut lucus, obumbrat.
Nec mea quod rigidis horrent denſiſſima ſetis
Corpora, turpe puta; turpis ſine frondibus arbor:
Turpis equus, niſi colla jubæ flaventia velent;
Pluma tegit volucres, ovibus ſua lana decori eſt;
Barba viros, hirtæque decent in corpore ſetæ.
Unum eſt in media lumen mihi fronte, ſed inſtar
Ingentis clypei; quid? non hæc omnia magno
Sol videt e cœlo? ſolis tamen unicus orbis.
Adde, quod in veſtro genitor meus æquore regnat:
Hunc tibi do ſocerum: tantum miſerere, preceſque
Supplicis exaudi. Tua fulmine ſævior ira eſt.
Talia nequicquam queſtus (nam cuncta videbam)
Stare nequit; ſilvaque & notis ſaltibus errans
Me videt atque Acim, Paveſacta ſub æquore mergor.

Hæc omnia. Quæ cernimus. Orbem terrarum.
Orbis. Globus, oculus.
Genitor meus. Neptunus. Si-

Terga fugæ dederat converſa Simethius heros,
Et, Fer opem, Galathea; precor mihi; ferte parentes,
Dixerat, & veſtris periturum admittite regnis.
Inſequitur Cyclops, partemque e monte revulſam
Mittit, & extremus quamvis pervenit ad illum
Angulus e ſaxo, totum tamen obruit Acim.
At nos, quod fieri ſolum per fata licebat,
Fecimus, ut vires aſſumeret Acis avitas.
Puniceus de mole cruor manabat, & intra
Temporis exiguum, rubor evaneſcere cœpit;
Fitque color primo turbati fluminis imbre,
Purgaturque mora: tum moles jacta dehiſcit,
Vivaque per rimas, proceraque ſurgit arundo,
Oſque cavum ſaxi ſonat exſultantibus undis.
Miraque res, ſubito media tenus extitit alvo
Incinctus juvenis flexis nova cornua cannis:
Qui, niſi quod major, quod toto cærulus ore eſt,
Acis erat; & ſic quoque erat tamen Acis, in amnem
Verſus; & antiquum tenuerunt flumina nomen.

Simethius heros. Acis fluvii Simethi nepos, aut filius. Eſt autem Simethus Siciliæ fluvius, inter Pelorum, & Pachinum: *La Jarretta*.

Ad illum. Ad Acim. Licet extrema, & exigua, ſaxi parte fuerit percuſſus, totus ea tamen obrutus eſt.

Vires avitas. Vires Simethi fluvii rapidiſſimi, Ut in fluvium verteretur, fecimus.

Mole. Saxo, in eum projecto.

Fitque color. Sanguis induit primo colorem fluminis, quod imbre turbidum eſt; paulo poſt fit limpidior.

Tum moles, &c. Moles, ſaxum molare a Polyphemo jactum, ſcinditur, ac rimas agit, per quas erumperunt arundines prææltæ: mox ipſo ex hiatu ſaxi ebullire ac ſcaturire cœperant aquæ.

Subito &c. Ex illo ſaxi foramine prodiit juvenis, ornatus in modum fluvii, nempe cornua gerens, & coronam ex arundinibus, circum cornua inflexis, conflatam. Dantur cornua taurina fluminibus, quia ſonitus aquarum imitatur boum mugitus: deinde intorta cornua belle adumbrant varios errantis aquæ flexus. Quare coronentur arundinibus, alibi dictum.

Antiquum nomen. Acis fluvius eſt Siciliæ, ex Ætna prorumpens: nunc *Il Freda* vocatur.

Glau-

XXII.

Glaucus e piſcatore, Deus.

Deſierat Galathea loqui, cœtuque ſoluto
Diſcedunt, placidiſque natant Nereides undis.
Scylla redit: neque enim medio ſe credere ponto
Audet, & aut bibula ſecum ſpatiatur arena;
Aut, ubi laſſata eſt, ſeductos nacta receſſus
Gurgitis, incluſa ſua membra refrigerat unda.
Ecce fretum ſcindens alti novus incola ponti
Nuper in Euboica verſis Anthedone membris
Glaucus adeſt: fugit illa procul, veloxque timore
Pervenit in ſummum poſiti prope littora montis.
Ante fretum eſt ingens apicem collectus in unum
Longa ſub arboribus convexus in æquora vertex:
Conſtitit hic, & tuta loco, monſtrumne, Deuſne,
Ille ſit ignorans, admiraturque colorem,
Cæſariemque, humeros ſubjectaq; terga tegentem.
Senſit, & innitens, quæ ſtabat proxima moli:
Non ego prodigium, nec ſum fera bellua, virgo,
Sed Deus, inquit, aquæ: nec majus in æquore Proteus
Jus habet, & Triton, Athamantiadeſque Palæmon.
Ante tamen mortalis eram; ſed ſcilicet altis
Deditus æquoribus, jam tum exercebar in illis.

Loqui. Cum Scylla.
Cœtu. Nereidum, quæ cum Galatea verſabantur.
Redit. Ad littus.
Seductos. Remotos, abditos.
Incluſa. In reducto ſinu, & æquoris parte.
Nuper.. Qui novam formam corporis ſumpſerat, ad urbem Bœotiæ Anthedonem, Eubœæ oppoſitam. Lib. VII. num. 5.
In ſummum. In verticem, in ſummam partem montis.
Collectus. Conſtrictus, coactus. In apicem deſinens.
Convexus. Incurvus: declivis. Hanc vocem fuſius explicatam habes Lib. I. n. 2.
Senſit. Scyllam adeſſe Glaucus.
Innitens moli. Nixus parte ſaxi, quod Scyllæ proximum erat.
Proteus. Lib. II. num. 1.
Triton. Lib. I. num. 11.
Athamantiades. Filius Athamantis.
Palæmon. Lib. IV. n. 7.
Deditus æquoribus. Occupationem, & victum, e mari,

Nam modo ducebam ducentia retia piſces,
Nunc in mole ſedens moderabar arundine linum.
Sunt viridi prato confinia littora, quorum
Altera pars undis, pars altera cingitur herbis,
Quas neque cornigeræ morſu læſere juvencæ,
Nec placidæ carpſiſtis oves, hirtæve capellæ.
Non apis inde tulit collectos ſedula flores;
Non data ſunt capiti genialia ſerta, nec unquam
Falciferæ ſecuere manus. Ego primus in illo
Ceſpite conſedi; dum lina madentia ſicco:
Utque recenſerem captivos ordine piſces,
Inſuper expoſui quos aut in retia caſus,
Aut ſua credulitas in aduncos egerat hamos.
Res ſimilis fictæ: ſed quid mihi fingere prodeſt?
Gramine contacto cœpit mea præda moveri,
Et mutare latus, terraque, ut in æquore, niti:
Dumq; moror, mirorq; ſimul, fugit omnis in undas
Turba ſuas, dominumq; novum, littuſq; relinquunt.
Obſtupui; dubiuſque diu, quæ cauſa requiro:
Num Deus hæc aliquis, num ſuccus fecerit herbæ.
Quæ tamen has, inquam, vires habet herba? manuq;
Pabula decerpſi, decerptaque dente momordi.
Vix bene combiberant ignotos guttura ſuccos,
Cum ſubito trepidare intus præcordia ſenſi,
Alteriuſque rapi naturæ pectus amore:
Nec potui reſtare loco, repetendaque nunquam
Terra, vale, dixi, corpuſque ſub æquora merſi.
Di maris exceptum ſocio dignantur honore;

mari, & piſcatu quærens.

Jam tum &c. Poſtea ſcilicet in illis victurus.

Mole. Rupe aliqua: littoris parte in æquor prominente.

Linum. Lineam piſcatoriam... *Tulit*. Libavit.

Genialia. Genio & hilaritati convenientia. Nemo ex illis herbis ac floribus ſerta capiti coronando, fecit.

Recenſerem. Numerarem, explorarem.

Inſuper &c. Poſui ſuper illo ceſpite.

Res &c. Tunc res accidit mira, & fabulæ ſimilis.

Mea præda. Piſces a me capti.

Niti. Micare. Saltitare.

Dominum novum. Me, a quo capti fuerāt, relinquunt.

Alterius naturæ &c. Ut piſcis fierem, optare me ſenſi.

Reſtare. In littore manere.

Socio honore. Me adoptant in ſocium.

Utque

Utque mihi, quæcumque feram mortalia, demant,
Oceanum, Tethynque rogant. Ego luſtror ab illis,
Et purgante nefas novies mihi carmina dicto,
Pectora fluminibus jubeor ſupponere centum.
Nec mora, diverſis lapſi de partibus amnes
Totaque vertuntur ſupra caput æquora noſtrum.
Hactenus acta tibi poſſum memoranda referre;
Hactenus & memini, nec mens mea cætera ſenſit,
Quæ poſtquam rediit, alium me corpore toto,
Ac fueram nuper, nec eumdem mente, recepi.
Hanc ego tum primum viridi ferrugine barbam,
Cæſariemq; meam, quam longa per æquora verro,
Ingenteſque humeros, & cærula brachia vidi,
Cruraque pinnigero curvata noviſſima piſce.
Talia dicentem, dicturum plura, reliquit
Scylla Deum. Furit ille, irritatuſque repulſa,
Prodigioſa petit Titanidos atria Circes.

Utque, &c. Et rogant Oceanum ac Thetyn, ut eripiant mihi quidquid mortalis naturæ mihi supereſt.

Luſtror. Purgor: expior: depono mortalitatis ſordes.

Carmine. Magico.

Hactenus. Ea ſunt quæ narrare modo tibi, quæ meminiſſe, poſſum; nam cætera, quæ mihi hac in mutatione contigerunt, non ſatis recordor, nec ſatis percepi, ut referre poſſim.

Quæ, &c. Ubi primum collegi me.

Nec eumdem mente. Me inveni alia præditum mente: aliter atque antea, affectum.

Viridi ferrugine. Cæruleam, ſubnigram. Lib. II. 18.

Cruraque, &c. Et crurum partem ultimam, pedeſque junctos, & incurvos, qualis eſt Piſcium cauda.

Pinnigero. Lib. III. n. 11. Ajunt Glaucum urinatorem ſummum fuiſſe, qui, cum aquis ſe conderet, ac variis ſubinde locis emergeret, profitebatur ſe colloqui cum Diis marinis. Hinc Deus maris creditus eſt.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER DECIMUSQUARTUS.

SYNOPSIS.

Scylla in ſcopulum mutata: Sercopes in ſimias: Sybilla in vocem: ſocii Ulyſſis in porcos: Picus in avem: ſocii Diomedis in aves: paſtor in oleaſtrum: naves Æneæ in nymphas: urbs Ardea in volucrem: Vertumnus in varias formas: aquæ frigidæ in calidas: Æneas, & Romulus in Deos. Romæ natales, & reges.

I.

Scylla canibus ſuccincta, & in ſaxum verſa.

Jamque Giganteis injectam faucibus Ætnam,
Arvaq; Cyclopum, quid raſtra quid uſus aratri
Neſcia, nec quicquam junctis debentia bobus,
Liquerat Euboicus tumidarum cultor aquarum:
Liquerat & Zanclen, adverſaque mœnia Rhegi.
Naviſragumq; fretum, gemino quod littore preſſum
Auſoniæ Siculæque tenet confinia terræ.

Jamque &c. Ordo verborum eſt: Jam Euboicus aquarum incola (Glaucus, de quo egit proxime, Lib. XIII. n. 22.) liquerat Ætnam, injectam Gigantum capitibus; & agros Cyclopum, neſcios quid ſint raſtra & aratra, hoc eſt, incultos, & inaratos.

Euboicus. Lib. XIII. n. 22.

Injectam. Canunt poetæ, Gigantes, cum Jovi bellum inferrent, oppreſſos ab eo & ſepultos fuiſſe iiſdem montibus, quos in cœlum torſerant. Ætnam Encelado & Typhœo impoſitam. Virg. III. Æneid. verſu 580.

Junctis. Aratro.

Zanclen. Urbem Siciliæ. Meſſanam, quæ olim Zancle dicebatur.

Adverſa. Et urbem Italiæ Rhegium (*Rhegio*) oppoſitam Meſſanæ. Illas urbes deſerit, & fretum Siculum, naufragiis infame, quod Italiæ & Siciliæ conſtrictum, arctatumque littoribus, utrinque

Inde manu magna Tyrrhena per æquora lapſus
Herbiferos adiit colles, atque atria Glaucus
Sole ſatæ Circes, variarum plena ferarum.
Quam ſimul aſpexit, dicta acceptaque ſalute,
Diva, Dei miſerere, precor: nam ſola levare
Tu potes hunc, dixit (videar mododignus) amorem.
Quanta ſit herbarum Titani potentia, nulli
Quam mihi cognitius, qui ſum mutatus ab illis.
Neve mei non nota tibi ſit cauſa furoris,
Littore in Italico, Meſſenia mœnia contra,
Scylla mihi viſa eſt: pudor eſt promiſſa, preceſque
Blanditiaſque meas, contemptaque verba referre.
At tu, ſivealiquod regnum eſt in carmine, carmen
Ore move ſacro; ſive expugnantior herba eſt,
Utere tentatis operoſæ viribus herbæ.
At Circe horrendis infamia pabula ſuccis
Conterit, & tritis Hecateia carmina miſcet:
Cærulaque induitur velamina, perque ferarum
Agmen adulantum media procedit ab aula:
Oppoſitumque petens, contra Zancleia ſaxa,

uſque fines attingit.

Inde. E freto Siculo in Tyrrhenum mare progreſſus.

Manu magna. Qua utebatur ad natandum, tamquam remio.

Colles. Circæos vocant, ſupra Neapolim: priſcam Circes domum. Vide Lib. XV. num. 14.

Titani. Eſt vocandi caſus a recto Titanis, Titanidis. O Circe, Titanis filia.

Levare. Conſolari, vindicando me de Scylla, quæ me ſprevit.

Nulli &c. Nemini magis, quam mihi compertum eſt quanta ſit vis herbarum.

Ab illis. Lib. XIII. numer. 22.

Contra. E regione Meſſanæ. Hæc olim Meſſene & Meſſena, vocabatur nunc *Meſſina*.

Sive &c. Sive carminibus peculiaris aliqua vis ineſt, & major, quam in herbis; carminibus utere: ſi plus herbæ poſſunt, eas adhibe.

Expugnantior. Validior ad Scyllam expugnandam.

Tentatis. Expertis: uſu a te cognitis.

Infamia. Venenata.

Pabula. Pharmaca.

Hecateja. Avernalia. Quorum uſum docuit Hecate, Inferorum Dea: aut Hecate Circes mater. Lib. VII. 2.

Cærula &c. Cæruleus color proximus eſt nigro, qui carus veneficis.

Adulantum. Caudis blandientium.

Oppoſitumque &c. Petit Rhegium, oppoſitum urbi Zan-

Rhegion ingreditur, ferventeſque æſtibus undas:
In quibus, ut ſolida ponit veſtigia terra,
Summaque decurrit pedibus ſuper æquora ſiccis.
Parvus erat gurges, curvos ſinuatus in arcus,
Grata quies Scyllæ, quo ſe referebat ab æſtu
Et maris, & cœli: medio cum plurimus orbe
Sol erat, & minimas a vertice fecerat umbras.
Hunc Dea prævitiat, portentificiſque venenis
Inquinat, hic preſſos latices radice nocenti
Spargit, & obſcurum verborum ambage novorum
Ter novies carmen magico demurmurat ore.
Scylla venit, mediaque tenus deſcenderat alvo:
Cum ſe ſuccinctam latrantibus undique monſtris
Aſpicit: ac primo refugitque ambigitque, timetque
Ora proterva canum; ſed quos fugit, attrahit una:
Et corpus quærens femorum, crurumque pedumque
Cerbereos rictus pro partibus invenit illis.
Flevit amans Glaucus, nimiumque hoſtiliter uſæ
Viribus herbarum fugit connubia Circes.
Scylla loco manſit: cumque eſt data copia primum,
In Circes odium, ſociis ſpoliavit Ulyſſem:
Mox eadem Teucras fuerat merſura carinas,

Zanclæ, inter rupes conditæ, ubi maris æſtus gravior, & procelloſus.

In quibus. Quibus in undis non ſecus atque in humo ſolida, ingreditur.

Plurimus. Calidiſſimus: plurimam vim habens: meridianus.

A vertice. Imminens noſtro capiti.

Prævitiat. Ante inficit gurgitem, corrumpitque, quam veniret Scylla.

Portentificis. Monſtra efficientibus.

Preſſos. Expreſſos, eductos e radicibus, & herbis peſtiferis.

Succinctam. Exſtantes ab alvo canes aſpexit, inſtar cinguli.

Et corpus . . . Admirans erepta ſibi, & mutata, crura, pedes, femora.

Cerbereos rictus. Canes Cerbero ſimiles.

Loco manſit. In eodem gurgite, quem Circe vitiaverat.

Copia. Facultas, occaſio.

In Circes odium. A qua ſciebat Ulyſſem amari, ejus ſocios undis merſit. Homer. Odyſſ. XIII.

Sociis ſpoliavit. Hauſit illos cum ratibus: & Ulyſſi eripuit.

Teucras. Trojanorum. Lib. XIII. num. 19.

Sco-

Ni prius in ſcopulum, qui nunc quoq; ſaxeus exſtat.
Transformata foret; ſcopulum quoque navita vitat.

Scopulum. Scribit Plinius Scyllam eſſe ſcopulum in freto Siculo, qui ſuperne humanam aliquo modo ſpeciem præſefert: inferne vero, plurimis cavernis abundat, quibus impactæ ac ſtridentes undæ; latratus canum, & luporum ululatus, imitantur.

II.

Cercopes in ſimias mutati.

Hunc ubi Trojanæ remis, avidamque Charybdim,
Evicere rates; cum jam prope littus adeſſent
Auſonium, Libycas vento referuntur ad oras.
Excipit Ænean illic animoque, domoque,
Non bene diſſidium Phrygii latura mariti
Sidonis, inque pyra, ſacri ſub imagine facta,
Incubuit ferro, deceptaque decipit omnes.
Rurſus arenoſæ fugiens nova mœnia terræ,
Ad ſedes Erycis, fidumque relatus Aceſten,
Sacrificat, tumulumque ſui genitoris honorat.
Quaſque rates Iris Junonia pęne cremarat.

Hunc. Scopulum, in quem mutata fuerat Scylla.

Charybdim. Lib. XIII. num. 20.

Evicere. Præter vectæ ſunt.

Dum jam &c. Cum jam fere tangerent Italiam. Virg. En. Lib. I.

Sidonis. Dido Sidonia. Virg. IV. Æneid. Hæc longo poſt Æneam vixit tempore, nec appulit in Africam, ut obſervant Chronologi, niſi circa annum ab orbe condito 3146. Agrippa rege Latinorum decimo: cum Æneas venerit in Latiũ anno 2872. Sed poetæ utuntur licentia ſibi familiari, & res diſjunctas ſæpe conjungunt: conjunctas diſſociant.

Non bene, &c. Ægerrime latura divortium ac diſceſſum Æneæ. Sibi manus violentas allatura.

Sacri, &c. Sacrificium ſimulans.

Arenoſæ terræ. Lybiæ. Africæ, ubi Carthago ædificabatur.

Erycis. Eryx, Amyci, Bebriciorum regis, & Veneris filius, regnavit in Sicilia. Lege Virg. V. Æn. ubi hæc omnia fuſe narrantur.

Iris, &c. Juno, ut Trojanos Italiâ prohiberet, Irim ad matronas Trojanas in littore Siculo ſedentes, & diuturnæ tædio navigationis affectas, mittit. Iris illas hortatur ad cremendam claſ-

ſem:

Solvit, & Hippotade regnum, terraſque calenti
Sulfure fumantes, Acheloiadumque relinquit
Sirenum ſcopulos; orbataque præſide pinus
Inarimen, Prochytenque legit, ſterilique locatas
Colle Pythecuſas, habitantum nomine dictas:
Quippe Deum genitor fraudem, & perjuria quondam
Cercopum exoſus, gentiſque admiſſa doloſæ,
In deforme viros animal mutavit; ut iidem
Diſſimiles homini poſſent, ſimileſque videri.
Membraque contraxit, nareſque a fronte remiſſas
Contudit, & rugis peraravit anilibus ora,
Totaque velatos flaventi corpora villo
Miſit in has ſedes: necnon prius abſtulit uſum
Verborum, & natæ dira in perjuria linguæ;
Poſſe queri tantum rauco ſtridore reliquit.

ſcm, ut Æneas amiſſis navibus cogatur in Sicilia remanere.

Solvit. Mari committit.

Hippotadæ regnum. Æolias inſulas, prope Siciliam. Æolus, Hippotæ nepos.

Sulfure fumantes. Montes Ætnam, Veſuvium, hunc in Italia, illum in Sicilia.

Achelojadum. Filiarum Acheloi.

Sirenum. Libr. V. numero 15.

Præſide. Palinuro, ſuo gubernatore, qui ſomno oppreſſus in mare decidit. Virg. V. Æn.

Pinus. Æneæ ratis.

Inarimen, *Prochyten*. Inſulæ in littore Tyrrheno. Hæc vocatur modo *Prochita*: Illa, *Iſchia*, olim Ænaria etiam dicta.

Legit. Præterit, littus ſectando.

Pithecuſas. Inſulam & urbem in ſinu Campano, ſic dictam, ut ait Plinius, quod dolia fictilia ibi plurima fierent, ut vero narrat Ovidius, a ſimiarum multitudine Πίθος enim dolium ſignificat: Πίθηκος, ſimia iiſdem Græcis eſt. Inſulam hanc eamdem eſſe atque Ænariam, ſive Inarimen, nonnulli volunt. Non abeſt procul Neapoli.

Deum genitor. Jupiter.

Cercopum. Cercopes, Pithecuſarum incolæ, fraudibus & malitia præſtabant, ut nomen ipſum indicat, κέρκωψ enim eſt, fraudulentus, & veterator.

Admiſſa. Flagitia.

Remiſſas. Reductas, colliſas, Suſpicatur Heinſius legendum eſſe, reſimas, quod idem eſt, ac ſimas.

Contudit. Depreſſit.

III.

Sybilla Cumæa in vocem mutanda.

Has ubi præteriit, & Parthenopeia dextra
Mœnia deſeruit; læva de parte canori
Æolidæ tumulum, & loca feta paluſtribus undis
Littora Cumarum, vivaciſque antra Sibyllæ
Intrat, & ut manes adeat per Averna paternos
Orat. At illa diu vultum tellure moratum
Erexit, tandemque, Deo furibunda recepto,
Magna petis, dixit, vir factis maxime, cujus
Dextera per ferrum, pietas ſpectata per ignes:
Pone tamen, Trojane, metum, potiere petitis,
Elyſiaſque domos, & regna noviſſima mundi,
Me duce, cognoſces, ſimulacraque cara parentis.

Has. Pithecuſas.

Parthenopeia. Neapolitana. Neapolim vocatam olim Parthenopen tradunt, ab una Sirenum illic ſepulta.

Canori Æolidæ. Miſeni, Æoli filii, præſtantis tubicinis, Virg. VI. Æneid. initio, docet Miſenum Deos marinos ad certamen tubæ provocaſſe, & a tritone ſubmerſum periiſſe: compoſitum illi ab Ænea tumulum in littore.

Feta. Plena.

Paluſtribus undis. Loca ſtagnantia & uliginoſa; qualis eſt pars illa Tyrrheni littoris, ubi Pomptini palus. Legitur etiam, *ulvis*. Sunt autem ulvæ, herbæ Paluſtres, ut junci, &c.

Cumarum. Cumæ, civitas in littore Campano, Sybillæ ſedes, Virg. VI. Æneid. De Sybillis conſule D. Auguſtinum Lib. XVIII. de Civitate Dei, cap.23. Cluverium de Ital. antiqua Lib. IV. cap.2. Vide etiam quæ diximus in Horatiano Carmine Sæcularis explicando.

Vivacis. Quæ ſeptingentos jam annos vixerat, ut ipſa paulo poſt teſtatur.

Averna. Pluralis eſt numerus: effertur neutro genere: ſingularis, maſculino. De hoc lacu dictum Libr. X. num.2.

Paternos. Anchiſe, Virg. VI.

Moratum. Defixum.

Deo recepto. Phœbo inſpirante plena.

Elyſias domos. Partem inferorum, piis addictam.

Regna noviſſima. Primum regnum æther eſt, Jovi: ſecundum terra & mare, Neptuno: tertium & ultimum, inferi, Plutoni datum.

Simulacra. Res quatuor in homine diſtinguebant ethnici, corpus, animam

um-

Invia virtuti nulla eſt via. Dixit, & auro
Fulgentem ramum ſilva Junonis Avernæ
Monſtravit, juſſitque ſuo divellere trunco.
Paruit Æneas? & formidabilis Orci
Vidit opes, atavoſque ſuos, umbramque ſenilem
Magnanimi Anchiſæ; didicit quoque jura locorum,
Quæque novis eſſent adeunda pericula bellis.
Inde ferens laſſos adverſo tramite paſſus,
Cum duce Cumæa, fallit ſermone laborem.
Dumque iter horrendum per opaca crepuſcula carpit:
Seu Dea tu præſens, ſeu Dis gratiſſima, dixit,
Numinis inſtar eris ſemper mihi, meque fatebor
Muneris eſſe tui; quæ me loca mortis adire,
Quæ loca me viſæ voluiſti evadere mortis.
Pro quibus aerias meritis evectus ad auras
Templa tibi ſtatuam, tribuam tibi thuris honores.
Reſpicit hunc vates, & ſuſpiratibus hauſtis,
Nec Dea ſum, dixit, nec ſacri thuris honore
Humanum dignare caput. Ne neſcius erres:

umbram, & ſimulacrum, ſive imaginem. Corpus humo reddi credebant, ac ſuum in pulverem redire: animas improborum in Tartarum detrudi; proborum, deportari in Elyſium; heroum vero, in cœlum: umbram circa ſepulcrum credebant errare, ſimulacrum ponebant in inferis. Hæc omnia tamen, ut in tantis inſcitiæ tenebris, ſæpe confundebant.

Ramum. Aureum. Lege hæc fuſius in Virg. Lib. VI.

Junonis Avernæ. Proſerpinæ. Sic Pluto, Jupiter infernus a poetis appellatur.

Locorum. Italiæ.

Adverſo tramite. Relegens iter, ut rediret.

Fallit. Via laborum levat colloquio.

Opaca crepuſcula. Per loca obſcura; ſub dubia & maligna luce. Lib. I. n. 9.

Seu Dea tu, &c. Sive es Dea, ſive mortalis, & quidem Superis grata, certe a me inſtar Numinis habeberis, meque acceptam tibi vitam ferre ſemper profitebor.

Pro quibus &c. Hujus ego beneficii memor, cum primum ex his locis ſubterraneis emerſero, ponam tibi templum &c.

Vates. Sibylla.

Suſpiratibus hauſtis. Ductis ex intimo pectore ſuſpiriis.

Ne neſcius erres. Ne me Deam,

Lux æterna mihi, carituraque fine dabatur:
Elige, Phœbus ait, virgo Cumæa, quid optes,
Optatis potiere tuis: ego pulveris hauſti
Oſtendens cumulum, quot haberet corpora pulvis.
Tot mihi natales contingere vana rogavi.
Excidit ut peterem juvenes quoque protinus annos.
Innuba permaneo: ſed jam felicior ætas
Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra ſenectus,
Quæ patienda diu eſt; nam jam mihi ſæcula ſeptem
Acta vides: ſupereſt, numeros ut pulveris æquem,
Tercentum meſſes, tercentum muſta videre.
Tempus erit, cum de tanto me corpore parvam
Longa dies faciet, conſumptaque membra ſenecta.
Ad minimum redigentur onus; nullique videnda,
Voce tamen noſcar, vocem mihi fata relinquent.

Deam, ignorantia deceptus, credas, ſic habeto, mihi lucem æternam, ideſt, vitam immortalem a Phœbo fuiſſe oblatam.

Hauſti. Ex humo ſumpti

Corpora. Arenulas.

Natales. Tot dies natales; ideſt, tot annos; ſingulis enim annis diem unum natalem noſtrum numeramus.

Excidit. Animo. Oblita ſum petere juveniles annos.

Numeros, &c. Ut vivam adhuc tot annos, quot erant in acervo pulveris corpuſcula, & arenæ.

Muſta. Vindemias, annos. Muſtum, eſt recens vinum, in cados fundi quotannis ſolitum.

Minimum onus. Minimam molem.

I V.

Æneas Cajetam ſubit. Achæmenides occurrit Macareo.

Talia convexum per iter memorante Sibylla,
Sedibus Euboicam Stygiis emergit in urbem

Convexum. Acclive, arduum. Lib. I. n. 2.

Sedibus &c. Ex Averno emerſit Æneas in Cumanam ut

Troius Æneas, ſacriſque ex more litatis,
Littora adit nondum nutricis habentia nomen.
Hic quoque ſuſtiterat poſt tædia longa laborum
Neritius Macareus, comes experientis Ulyſſei.
Deſertum quondam mediis in rupibus Ætnæ
Noſcit Achæmeniden, improviſoque repertum
Vivere miratus, Quis te caſuſve, Deuſve,
Servat Achæmenide? cur, inquit, barbara Grajum
Prora vehit? petitur veſtra quæ terra carina?
Talia quærenti, jam non hirſutus amictu,
Jam ſuus, & ſpinis conſerto tegmine nullis,

urbem, olim a Chalcidenſibus, Eubœæ populis, conditam. Itaque Chalcidicam Virg. Lib. VI. Euboicam hic Ovidius, appellat. Eubœa porro eſt maxima Ægæi maris inſula, ſupra Atticam. *Negroponte*.

Litatis. Feliciter peractis ſacrificiis.

Littora &c. Cajetam, urbem Italiæ; in littore Tyrrheno, quæ nondum Cajeta vocabatur; id nominis quippe nacta eſt poſt obitum Cajetæ, nutricis Æneæ, huc, una cum illo, delatæ, ac ibi ſepultæ.

Hic quoque. In eadem urbe, Caieta, olim remanſerat ex Ulyſſis ſociis unus, Macareus nomine: is cum Trojani exſcenderent in littus, incidit in Achæmeniden, Græcum hominem, & ſibi olim notum: miratur illum inter Trojanos degere, narrantemque multa de Ulyſſe ac Polyphemo, quæ apud Virgilium Lib. III. Æneid. fuſe referuntur audit.

Neritius. Neritus, mons Ithacæ; item urbs inſulæ Leucadis, nunc *Santa Maura*.

Experientis. Multa experti & paſſi. Sagacis.

Noſcit ... Macareus agnoſcit Achæmeniden olim ab Ulyſſe, Polyphemum fugiente, relictum in Sicilia. Putabat Macareus devoratum a Polyphemo cum aliis Ulyſſis comitibus, & extinctum: itaque vivum & incolumem, imo Trojana vectum navi, miratur.

Barbara. Trojana. Phrygia. Lib. VI. 12.

Grajum. Te, hominem Græcum, atque adeo Trojanis inviſum.

Petitur &c. Quo pergis cum Trojanis? quo navigas?

Suus. Sui iuris, liber.

Et ſpinis. Nec jam veſtem detritam, & ſpinis male conſutam (qualis a Virgilio, iiſdem verbis, deſcribitur) gerens, ut olim gerebat in Sicilia, cum ibi lateret, Polyphemi metu, & qualem Æneas repertum accepit navi. Lege Librum III. Æneidos.

Fatur Achæmenides: Iterum Polyphemon, & illos.
Aſpiciam fluidos humano ſanguine rictus:
Hac mihi ſi potior domus eſt, Ithacique carina;
Si minus Æneam veneror genitore, nec unquam
Eſſe ſatis potero (præſtem licet omnia) gratus.
Quod loquor, & ſpiro, cœlumque & lumina ſolis
Reſpicio (poſſumne ingratus, & immemor eſſe?)
Ille dedit; quod non anima hæc Cyclopis in ora
Venit; &, ut lumen jam nunc vitale relinquam,
Aut tumulo, aut certe non illa condar in alvo.
Quid mihi tunc animi (niſi ſi timor abſtulit omnem
Senſum, animumque) fuit? cum vos petere alta relictus.
Æquora conſpexi; volui inclamare; ſed hoſti

Iterum Poliphemon, &c. Ego vero, inquit Achæmenides, Polyphemo & priſtinis, quas adhuc tuli, calamitatibus rurſum objici non recuſo, idque profecto mereor, niſi Trojanos agnoſco auctores meæ felicitatis: niſi Æneam habeo in parentis loco, nec parem a me gratiam illius beneficiis referri poſſe confiteor.

Hac mihi, &c. Si domus Ulyſſis & navis, eſt mihi carior hac domo & navi Æneæ. Diſpeream, niſi domum, & navim Æneæ ratibus Ithaci omnibus, ac domibus, antepono.

Quod loquor. Quod hæc tecum loquor, quod vivo, Æneas mihi dedit: hoc illi acceptum fero: cenſeſne me immemorem tanti beneficii eſſe poſſe?

Quod non ... Quod Polyphemi diram ingluviem carnibus meis non pavi.

Et tu lumen. Et quamvis (particula enim *ut*, ſæpe pro *etſi* ponitur) nunc moriar, ſi mihi jam lumen vitale relinquendum, ſi moriendum ſit, illud ſaltem conſequar, Æneæ beneficio, ut vel ſepulchro condar, ut honore ſepulturæ non caream, aut certe non devorer a Polyphemo.

Quid mihi ... Quid animi tunc mihi fuit, niſi forte mihi timor animum tunc omnem & ſenſum abſtulerat, cum &c.

Niſi ſi. Particula *ſi* recte, & bene Latine additur niſi. Hoc eos videtur fugiſſe qui ſcripſerunt, *niſi non*, vel, *niſi quod*: utrumque barbare.

Petere &c. Cum a vobis relictus, vidi vos dare vela.

Volui inclamare. Animus erat vos clamando admonere, ut me acciperetis; ſed timui ne me Polyphemo detegerem.

Cla-

Prodere me timui; veſtræ quoque clamor Ulyſſis
Pene rati nocuit: vidi cum monte revulſum
Immanem ſcopulum medias permiſit in undas;
Vidi iterum, veluti tormenti viribus acta,
Vaſta Giganteo jaculantem ſaxa lacerto:
Et ne deprimeret fluctuſve lapiſve carinam
Pertimui, jam me non eſſe oblitus in illa.

Clamor Ulyſſis. Narrat Homerus, Odyſ. IX. Ulyſſem, cum deluſo Polyphemo fugeret, clamorem edidiſſe, eique illuſiſſe: at Cyclopem fruſtum montis in eum conjeciſſe, quo pene obruta navis Ulyſſis eſt.

Permiſit. Procul miſit.

Tormenti. Machinæ bellicæ, qua torquentur ſaxa, & glandes ferreæ.

Oblitus. Veſtri periculi metu, non mei, qui non eram in illa navi.

V.

Achamenides de Polyphemo narrare pergit.

Ut vero fuga vos ab acerba morte reduxit;
Ille quidem totam gemebundus obambulat Ætnam,
Prætentaque manu ſilvas, & luminis orbus
Rupibus incurſat, fœdataque brachia tabo
In mare protendens, gentem execratur Achivam:
Atque ait, O ſi quis referat mihi caſus Ulyſſem!
Aut aliquem e ſociis, in quem mea ſæviat ira,
Viſcera cujus edam, cujus viventia dextra
Membra mea laniem, cujus mihi ſanguis inundet
Guttur, & eliſi trepident ſub dentibus artus,
Quam nullum, aut leve ſit damnum mihi lucis ademptæ!
Hæc, & plura, feros: me luridus occupat horror
Spectantem vultus etiamnum cæde madentes,

Reduxit. Morti eripuit.

Prætentant manu. Qua cæcos paſſus regat. Incerto manuum conjectu viam per ſilvas veſtigat.

Luminis orbus. Oculo amiſſo, quem illi extuderat Ulyſſes.

Incurſat. Offendit ad ſaxa: rupibus impingit caput.

Tabo. Sanie hominum occiſorum; vel oculi terebrati.

Quam nullum... Tunc ego jacturam oculi facillime conſolarer.

Hæc, Subaudi, loquitur,

Crudeleſque manus, & inanem luminis orbem,
Membraque & humano concretam ſanguine barbam.
Mors erat ante oculos, minimum tamen ipſa doloris;
Et jam prenſurum, jam jam mea viſcera rebar
In ſua merſurum, mentique hærebat imago
Temporis illius, quo vidi bina meorum
Ter quater affligi ſociorum corpora terræ:
Cum ſuper ipſe jacens, hirſuti more leonis,
Viſceraque, & carnes, cumque albis oſſa medullis,
Semianimeſque artus, avidam condebat in alvum.
Me tremor invaſit, ſtabam ſine ſanguine mæſtus,
Mandentemque videns, ejectantemque cruentas
Ore dapes; & fruſtra mero glomerata vomentem,
Talia fingebam miſero mihi fata parari:
Perque dies multos latitans, omnemque tremiſcens
Ad ſtrepitum, mortemque timens, cupiduſque moriri,
Glande famem pellens, & miſta frondibus herba,
Solus, inops, exſpes, leto pœnæque relictus,
Hanc procul aſpexi longo poſt tempore navim;
Oravique fugam geſtu, ad littuſque cucurri,
Et movi, Grajumque ratis Trojana recepit.
Tu quoque pande tuos, comitum gratiſſime, caſus,
Et ducis, & turbæ quæ tecum eſt credita ponto.

Minimum, &c. Ipſa mors mihi minimum dolorem afferebat, minimum erat malorum, quæ timebam (*malorum* pro *doloris*, habent multi ex antiquis) graviora expectabam, nempe, dum me comprehenderet, ac vivum ſpirantemque laniaret: adhuc obverſabantur meis oculis ſocii, &c.

Affligi. Ad terram allidi.

Super. Supra corpora.

Sine ſanguine. Metus exangues facit. Lib.III. n.1.

Moriri. Verbum obſoletum.

Hanc navem. Æneæ.

Oravi fugam. Nutu rogavi, ut me pateretur hinc fugere.

Movi. Commiſerationem excitavi.

Grajum. Græcum hominem, hoſtem.

Tu quoque. Macareu.

Ducis. Ulyſſis.

Turbæ. Sociorum: Græcorum.

V I.

Socii Ulyſſis variis periculis defuncti.

Æolon ille refert Thuſco regnare profundo,
Æolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos:
Quos bovis incluſos tergo (memorabile munus)
Dulichium ſumpſiſſe ducem, ſtatuque ſecundo
Lucibus iſſe novem, & terram aſpexiſſe petitam.
Proxima poſt nonam cum ſeſe Aurora moveret:
Invidia ſocios, prædæque cupidine victos,
Eſſe ratos aurum, dempſiſſe ligamina ventis:
Cum quibus iſſe retro, per quas modo venerat undas,
Æoliique ratem portus repetiſſe tyranni.
Inde Lami veterem Læſtrygonis, inquit, in urbem
Venimus, Antiphates terra regnabat in illa.
Miſſus ad hunc ego ſum, numero comitante duorum,
Vixque fuga quæſita ſalus comitique, mihique.
Tertius e nobis Læſtrygonis impia tinxit
Ora cruore ſuo. Fugientibus inſtat, & agmen

Ille refert. Narrat Macareus Achæmenidi.

Thuſco. Tyrrheno Mare Tyrrhenum alluit Italiam ab occaſu.

Æolon. Is Hippotæ Trojani filius ſeu nepos, regnaſſe dicitur in Æoliis, quæ Siciliæ ad Septemtrionem adjacent, inſulis. Cum ventorum vim, rationes, ortum, calleret, eos habuiſſe in poteſtate, ac ditione fingitur. Ulyſſes ad ipſum divertens, ventos adverſos ſibi, & procelloſos, accepit ligatos in utre, ne nocerent naviganti. Socii Ulyſſis aurum incluſum rati ſolverunt utrem; elapſis ventis, ortæ tempeſtates Ulyſſem in maximum periculum conjecerunt, & in Æolias, unde ſolverat ante novem dies, inſulas retulerunt.

Dulichium ducem. Ulyſſem, Lib. XIII. n. 19.

Terram petitam. Ithacam, patriam.

Lami. Lamus, Læſtrygonum rex, Formias condidiſſe dicitur, in littore maris Tyrrheni. Huc Ulyſſes appulit, cum rerum potiretur Antiphates, hominibus veſci ſolitus. Formiæ, ſeu Hormiæ a Saracenis exciſæ ſunt anno 848. Natus eſt ex urbis ruderibus pagus, *Mila* nunc dictus. De iſto Lamo meminit. Horat. Lib. III. Od. *Æli*, &c.

Agmen... Suorum Læſtrygonum evocat.

Concitat Antiphates: coeunt, & ſaxa, tabeſque
Conjiciunt, merguntque viros, merguntq; carinas.
Una tamen, quæ nos, ipſumque vehebat Ulyſſem,
Effugit. Amiſſa ſociorum parte, dolentes,
Multaque conqueſti terris allabimur illis,
Quas procul hinc cernis: procul hinc (mihi crede) videnda eſt,
Inſula viſa mihi: tuque, o juſtiſſime Troum,
Nate Dea (neque enim finito Marte vocandus
Hoſtis es, Ænea) moneo, fuge littora Circes.
Nos quoque Circæo religata in littore pinu,
Antiphatæ memores, immanſuetique Cyclopis,
Ire negabamus, & tecta ignota ſubire.
Sorte ſumus lecti; ſors me, fidumque Polyten,
Eurylochumque ſimul, nimiique Elpenora vini,
Biſque novem ſocios Circæa ad mœnia miſit.
Quæ ſimul attigimus, ſtetimuſque in limine tecti;
Mille lupi, miſtæque lupis urſæque, leæque,
Occurſu fecere metum: ſed nulla timenda,
Nullaque erat noſtro factura in corpore vulnus:
Quin etiam blandas movere per aera caudas,
Noſtraque adulantes comitant veſtigia, donec
Excipiunt famulæ, perque atria marmore tecta
Ad dominam ducunt. Pulchro ſedet illa receſſu,
Sublimi ſolio, pallamque induta nitentem,
Inſuper aurato circumvelatur amictu.

Coeunt. Concurrunt.

Terris illis. Circæum indicat, ſive Circejos, Latii promontorium, in paludibus Pomptinis, quibus in morem inſulæ cingitur: alias fortaſſe inſula erat. Hæc Circes, veneficæ famoſæ, domus.

Videnda &c. Vidi ego inſulam & intravi, quæ, niſi procul, videnda non eſt, quæ ſapienti cuilibet eſt fugienda.

Ire. Ad Circem.

Sorte &c. Ducta ſors eſt: & certi ex omnibus delecti qui irent.

Nimii vini. Ebrioſum, vinoſum.

Tecti. Domus. In veſtibulo.

Nulla timenda. Quia feræ & leænæ tantum erant externa ſpecie; intus homines, & compotes mentis.

Comitant. Uſitatius eſt, comitantur.

Donec. Ad extremum nos exceperunt famulæ Circes.

Receſſu. Loco ſeparato, interiore conclavi.

Quæ

Nereides, nymphæque ſimul; quæ vellera motis
Nulla trahunt digitis, nec fila ſequentia ducunt:
Gramina diſponunt, ſparſoſque ſine ordine flores
Secernunt calathis, variiſque coloribus herbas.
Ipſa quod hæ faciunt opus exigit, ipſa quis uſus
Quoque ſit in folio, quæ ſit concordia miſtis,
Novit: & advertens penſas examinat herbas.

Quæ vellera, &c. Illæ nymphæ, illæ comites Circes, non ut reliquæ vulgo feminæ, colum tractant, lanam trahunt; ſed herbas ſecernunt: ad veneficia facienda ſcilicet.
Sequentia. Sequacia.
Secernunt. Alios ab aliis diſtinguunt.
Opus exigit. Examinat, emendat, perficit.
Penſas. Ponderatas, expenſas.

VII.

Circe ſocios Ulyſſis in porcos mutat.

Hæc ubi nos vidit: dicta, acceptaque ſalute,
Diffudit vultus, & reddidit omnia votis.
Nec mora miſceri toſti jubet hordea grani,
Mellaque, vimque meri, cum lacte coagula paſſo
Quique ſub hac lateant furtim dulcedine, ſuccos
Adjicit. Accipimus ſacra dat pocula dextra:
Quæ ſimul arenti ſitientes hauſimus ore,
Et tetigit ſummos virga Dea dira capillos,
(Et pudet, & referam) ſetis horreſcere cœpi
Nec jam poſſe queri, pro verbis edere raucum,
Murmur, & in terram toto procumbere vultu,
Oſque meum ſenſi pando occaleſcere roſtro.

Diffudit vultus. Exporrexit: exhilaravit.
Reddidit &c. Reſpondit omnia conſentanea iis, quæ optabamus.
Vim meri &c. Vinum, & lac coagulatum.
Quique &c. Addit herbarum ſuccos nocentes, ſed latentes ſub mellis, vini, & lactis dulci ſapore.
Sacra. Vel, divina, quia Deam Circem putabant: vel infami, dira. Sacer enim interdum eſt, deteſtabilis, inviſus, devotus ſupplicio.
Occalleſcere. Indurari, callum ducere.
Toris. Multa carne: Pulpa ſolida. Lib. II. 19.

Colla tumere toris; & qua modo pocula parte
Sumpta mihi fuerant: illa veſtigia feci
Cumque eadem paſſu (tantum medicamina poſſunt)
Claudor in antra. Suis ſolum caruiſſe figura
Vidimus Eurylochum, ſolus data pocula fugit.
Quæ niſi vitaſſet, pecoris pars una maneret
Nunc quoque ſetigeri, nec tantæ cladis ab illo
Certior, ad Circem ultor veniſſet Ulyſſes.
Pacifer huic dederat florem Cyllenius album,
Moly vocant Superi: nigra radice tenetur.
Tutus eo, monitiſque ſimul cœleſtibus, intrat
Ille domum Circes, & ad inſidioſa vocatus
Pocula, conantem virga mulcere capillos
Reppulit, & ſtricto pavidam deterruit enſe.
Spargimur ignotæ ſuccis melioribus herbæ,
Percutimurque caput converſæ verbere virgæ,
Verbaque dicuntur dictis contraria verbis.
Quo magis illa canit, magis hoc tellure levati
Erigimur, ſetæque cadunt, bifidoſque relinquit
Rima pedes; redeunt humeri, & ſubjecta lacertis
Brachia ſunt. Flentem flentes amplectimur illum,
Hæremuſque ducis collo, nec verba locuti
Ulla priora ſumus, quam nos teſtantia gratos.

Qua parte. Manu. Brachia in pedes porcinos anteriores abierunt.

Cum eadem paſſis. Cum ſociis pariter in porcos mutatis.

Antra. Haram: ſuile.

Suis. Porci.

Certior. Factus certior, admonitus ab Eurylocho.

Pacifer. Mercurius, qui paci & fœderibus conciliandis præeſt.

Moly. Hæc herba, teſte Plinio, Lib. XXV. cap. 4. radicem habet nigram, & florem luteum.

Tutus eo. Munitus iſto flore.

Mulcere. Leviter tangere.

Converſæ. Alio nos modo, ac prius, ferientis; aut alia ipſius parte.

Lacertis. Lacertos intellige ſuperiorem brachii partem, ab humero ad cubitum. Brachia igitur protenduntur, &c.

Illum. Ulyſſem.

Nec verba, &c. Nullas prius voces edidimus, quam eas, quibus nos memores beneficii eſſe teſtaremur.

Picus

VIII.

Picus in avem ejuſdem nominis a Circe converſus.

Annua nos illic tenuit mora: multaque præſens
Tempore tam longo vidi, multa auribus hauſi.
Hoc quoque cum multis, quod clam mihi rettulit una
Quattuor e famulis ad talia ſacra paratis.
Illa mihi niveo factum de marmore ſignum
Oſtendit juvenile, gerens in vertice picum,
Æde ſacra poſitum, multiſque inſigne coronis.
Quis foret, & quare ſacra coleretur in æde,
Cur hanc ferret avem; quærenti & ſcire volenti
Accipe, ait, Macareu, dominæque potentia quæ ſit
Hinc quoque diſce meæ, tu dictis adjice mentem:.
Picus in Auſoniis, proles Saturnia, terris
Rex fuit, utilium bello ſtudioſus equorum.
Forma viro, quam cernis, erat; licet ipſe decorem
Aſpicias, fictaque probes ab imagine veram.
Par animus formæ, nec adhuc ſpectaſſe per annos
Quinquennem poterat Graja quater Elide pugnam.

Illic. In edibus Circes.
Hoc quoque. Hoc præter cætera etiam audivi.
Talia ſacra. Magica.
Paratis: Eruditis a Circe, & inſtructis.
Illa. Famula.
Signum. Statuam.
Picum. Avem. Solet arborum cortices roſtro tundere, in iiſque latentes vermiculos, & eſcam, legere. Signum igitur illud, ſive exigua ſtatua, gerebat effigiem hujus volucris in capite, & in ſacello collocatum erat.
Dominæ. Circes.
Licet. Potes ejus præſtantem formam ipſe aſpicere in hac ſtatua: & veram ſpeciem æſtimare, ex adumbrata, ſculptaque.
Nec adhuc... Necdum poterat per ætatem quater ſpectaſſe certamina, quæ in Graja Elide quinto quoque anno celebrantur. (De illis vide dicta Lib. 1. num.13.) Id eſt, annos nondum viginti natus erat.
Elide. Elis, Peloponneſi urbs, & regio, nunc Calloſcopium Græcis; Italis *Belvedere*. In hac regione celebrabantur ludi Olympici, ad urbem Piſam, prope Alpheum fluvium.

Ille ſuos Dryada Latiis in montibus ortas
Verterat in vultus, illum fontana petebant
Numina, Naiades, quas Albula, quaſque Numici,
Quas Anienis aquæ, curſuque breviſſimus Almo,
Narve tulit preceps, & opacæ Farfarus undæ;
Quæque colunt Scythicæ ſtagnum nemorale Dianæ,
Finitimoſque lacus: ſpretis tamen omnibus unam
Ille colit nympham, quam quondam in colle Palati
Dicitur ancipiti peperiſſe Venilia Jano.
Hæc ubi nubilibus primum maturuit annis,
Præpoſito cunctis Laurenti tradita Pico eſt;
Rara quidem facie, ſed rarior arte canendi,
Unde Canens dicta eſt: ſilvas & ſaxa movere,
Et mulcere feras, & flumina longa morari
Ore ſuo, volucreſque vagas retinere ſolebat.
Quæ dum feminea modulatur carmina voce,

Suos in vultus verterat. Spectabatur a Dryadibus; illis admirationi erat.

Dryades. Libro I. numero 8.

Latiis. Latium, pars Italiæ, ubi Roma, &c.

Najades. Lib. I. num. 8. Facta vox *vio*, *nato*.

Albula. Sic vocatum olim Tyberim ferunt.

Numici. Numicus, agri Laurentius fluvius, in Latio: *Il Rio di Nemi*, prope Lavinium: a quo via Numicia, Brundusium ducens, nomen traxit.

Anienis. Anio, agri Tiburtini fluvius: vulgo *Il Teverone*; in Tyberim defluens.

Almo. Fluvius exiguus, qui ſtatim a fonte in Tyberim decidit: *l' Aquataccia*, Ob eam cauſam *curſu breviſſimus* hic dicitur.

Nar. Flumen Umbriæ, *la Nera* Farfarus, Sabinorum: *la Farſa*.

Stagnum Dianæ. Prope Ariciam, non procul Roma: nunc *lago di Genſano*. Illic Dianæ ſignum fuit, a Taurica Cherſoneſo, Scythiæ vicina, per Oreſten allatum, ut narrant. Fuit etiam nemus adſitum ſtagno, & Dianæ ſacrum. Vide Libro XII. n. 2. Item Appendicem num. 26 Pro *ſtagnum* in quibuſdam codicibus legitur *regnum*. Rationem in Appendice dedi.

Colle Palati. Collis Palatinus, unus eſt e ſeptem, in quibus Roma ſedet.

Ancipiti. Duplicem gerenti vultum. Vide Appendic. 1. & 29.

Venilia. Jani uxor.

Maturuit. Adolevit: ætate proceſſit.

Laurentes agros. In Latio, prope Lavinium.

Indi-

Exierat tecto Laurentes Picus in agros,
Indigenas fixurus apros, tergumque premebat
Acris equi, lævaque haſtilia bina ferebat,
Phœniceam fulvo chlamydem comprenſus ab auro
Venerat in ſilvas & filia Solis eaſdem:
Utque novas legeret fœcundis collibus herbas,
Nomine dicta ſuo Circæa reliquerat arva.
Quæ ſimul ac juvenem virgultis abdita vidit,
Obſtupuit: cecidere manu, quas legerat, herbæ.
Ut primum rapido mentem collegit ab æſtu,
Quid cuperet faſſura fuit. Ne poſſet adire
Curſus equi fecit, circumfuſuſque ſatelles.
Non tamen effugies, vento rapiare licebit,
Si modo me novi, ſi non evanuit omnis
Herbarum virtus, & me mea carmina fallunt.
Dixit, & effigiem, nullo cum corpore, falſi
Finxit apri, præterque oculos tranſcurrere regis
Juſſit, & in denſum trabibus nemus ire videri,
Plurima qua ſilva eſt, & equo loca pervia non ſunt.
Haud mora, continuo prædæ petit inſcius umbram
Picus, equique celer ſpumantia terga relinquit;
Spemque ſequens vanam, ſilva pedes errat in alta.
Concipit illa preces, & verba venefica dicit,
Ignotoſque Deos ignoto carmine adorat;
Quo ſolet & niveæ vultum confundere Lunæ,
Et patrio capiti bibulas ſubtexere nubes.
Tunc quoque cantato denſatur carmine cœlum,
Et nebulas exhalat humus, cæciſque vagantur
Limitibus comites, & abeſt cuſtodia regis.

Indigenas, In iiſdem agris natos.

Phœniceam. Lib. XII. n. 5. Illi chlamys erat coccinea, quam aurea fibula nectebat.

Filia Solis. Circe.

Circæa. Supra, num. 6.

Faſſura fuit. Proceſſit, ut Picum alloqueretur.

Et me &c. Et niſi me fallit vis magicorum carminum.

Relinquit. Ex equo deſiluit: ut pedes fictam ſequeretur prædam, in arcto nemore.

Ignotos Deos. Quales invocant magi, & venefici, vulgo ignotos, ipſiſque vix cognitos. Vel: illius loci Deos, quos ipſa non noverat.

Patrio capiti. Soli.

Denſatur. Obſcuratur.

Limitibus. Itineribus.

Comites. Pici ſtipatores.

Nacta locum; Socerum, qui pervidit omnia, Solem
Accipe; nec durus Titanida deſpice Circen.
Dixerat: ille ferox ipſamque, preceſque repellit:
Et, Quæcunque es, ait, non ſum tuus; altera captum
Me tenet, & teneat per longum comprecor ævum;
Nec Venere externa ſocialia fœdera lædam,
Dum mihi Janigenam ſervabunt fata Canentem.
Sæpe retentatis precibus Titania fruſtra,
Non impune feres, neque, ait, reddere Canenti,
Læſaque quid faciat, quid amans, quid femina, diſces
Rebus, ait: ſed amans, & læſa, & femina, Circe eſt.
Tum bis ad occaſus, bis ſe convertit ad ortus,
Ter juvenem baculo tetigit, tria carmina dixit,
Ille fugit: ſed ſe ſolito velocius ipſe
Currere miratus, pennas in corpore vidit;
Seque novam ſubito Latiis accedere ſilvis
Indignatus avem, duro fera robora roſtro
Figit, & iratus longis dat vulnera ramis.
Purpureum clamydis pennæ traxere colorem:
Fibula quod fuerat, veſtemque momorderat aurum,
Pluma fit, & fulvo cervix præcingitur auro.
Nec quicquam antiquum Pico, niſi nomina, reſtat;

Nacta &c. Captata occaſione Pici alloquendi, ſic eum eſt affata: Ne recuſa ſocerum habere Solem.

Socerum. Si enim Circe nuberet Pico, ſocer Pici Sol futurus erat, nempe Circes pater.

Titanida. Ideſt, Solis filiam. Lib. XIV. I.

Nec Venere. Numquam fidem Canenti datam, alterius amore ac toro, frangam.

Janigenam. Jano genitam.

Retentatis. Iteratis.

Reddere. Numquam ad Canentem reverteris.

Læſaque &c. Rebus ipſis factiſque intelliges quid poſſit fœmina, eaque amans, & offenſa.

Robora. Quercus. Avis enim illa corticem arborum roſtro pertundit, & latentibus ibi vermiculis, inſectiſque, veſcitur.

Præcingitur. Ejus collum fulva linea, inſtar monilis, ambit.

I X.

Pici comites in varia mutati monſtra : ejus conjux in auram tenuem dolore vaneſcit .

Interea comites, clamato ſæpe per agros
Ne quicquam Pico, nullaque in parte reperto ,
Inveniunt Circen: nam jam tenuaverat auras ,
Paſſaque erat nebulas ventis ac ſole reſolvi ;
Criminibuſque premunt veris, regemque repoſcunt ,
Vimque ferunt, ſævíſque parant inceſſere telis.
Illa nocens ſpargit virus, ſuccoſque veneni,
Et noctem, noctiſque Deos, Erebonque Chaonque
Convocat, & longis Hecaten ululatibus orat.
Exſiluere loco (dictu mirabile) ſilvæ,
Ingemuitque ſolum, vicinaque palluit arbor,
Sparſaque ſanguineis rubuerunt pabula guttis,
Et lapides viſi mugitus edere raucos,
Et latrare canes, & humus ſerpentibus atris
Squallere, & tenues animæ volitare videntur.
Attonitum monſtris vulgus pavet: illa paventum
Ora venenata tetigit mirantia virga:
Cujus ab attactu variarum monſtra ferarum
In juvenes veniunt, nulli ſua manſit imago.
Preſſerat occiduus Tarteſſia littora Phœbus,
Et fruſtra conjux oculis, animoque Canentis

Tenuaverat auras. Caliginem removerat: unde aura purior, & liquidior.

Premunt &c. Accuſant illam, quod regem, uti verum erat, veneficiis perdiderit.

Vim ferunt. Tela, necem, intentant.

Chaon. Ea vox ab antiquis grammaticis effertur etiam genere maſculino, & in ſecunda declinatione: idque patet ex hoc verſu, quem nonnulli prave mutant. Significat autem hic chaos, tenebras, voraginem, confuſionem, quæ omnia reperiuntur apud inferos. Imo Chaon & Erebon, inter inferorum numina recenſebant, quo pacto hic videntur accipi ab Ovidio.

Hecaten. Lib. VII. 2.

Animæ. Manes.

Tarteſſia. Tarteſſus, nunc *Tariffa*, oppidum erat Hiſpaniæ Bæticæ. In Hiſpanienſi autem æquore ſolem occidere credebant.

Conjux. Picus.

Lumi-

Expectatus erat. Famuli, populuſque per omnes
Diſcurrunt ſilvas, atque obvia lumina portant.
Nec ſatis eſt nymphæ flere, & lacerare capillos,
Et dare plangorem; facit hæc tamen omnia, ſeque
Proripit, ac latos errat veſana per agros.
Sex illam noctes, totidem redeuntia ſolis
Lumina viderunt inopem ſomnique cibique,
Per juga, per valles, qua ſors ducebat, euntem.
Ultimus aſpexit feſſam luctuque viaque
Tibris, & in gelida ponentem corpora ripa.
Illic cum lacrymis ipſos modulata dolores
Verba ſono tenui mœrens fundebat: ut olim
Carmina jam moriens canit exequialia cycnus.
Luctibus extremum tenues liquefacta medullas
Tabuit, inque leves paulatim evanuit auras.
Fama tamen ſignata loco eſt, quem rite Canentem
Nomine de nymphæ veteres dixere coloni.
Tala multa mihi longum narrata per annum,
Viſaque ſunt: reſides, & deſuetudine tardi
Rurſus inire fretum, rurſus dare vela jubemur:
Ancipiteſque vias, & iter Titania vaſtum
Dixerat, & ſævi reſtare pericula ponti.
Pertimui (fateor) nactuſque hoc littus, adhæſi.
Finierat Macareus, urnaque Æneia nutrix
Condita marmorea, tumulo breve carmen habebat:

Lumina. Faces.

Nymphæ. Canenti. Pici ſponſæ.

Illic, &c. Adeo cantui erat dedita, ut calamitatem ſuam canendo defleret, ac modularetur.

Olim. Vulgo.

Exequialia. Funebria.

Cycnus. Lib. II, 9.

Extremum. Ad extremum: deuique.

Tabuit. Conſumpta eſt.

Fama &c. Locus rei memoriam, & famam ſervat.

Mihi. Loquitur Macareus, Ulyſſis olim comes.

Deſuetudine. Intermiſſa diu navigandi conſuetudine.

Inire fretum. Repetere navigationem.

Ancipites. Difficiles.

Titania. Circe: Solis, qui Titan a poetis vocatur, filia.

Adhæſi. In eo reſtiti.

Urnaque, &c. Et Cajetæ cineribus in urnam abditis, additum erat elogium tumulo.

Hic

Hic me Cajetam notæ pietatis alumnus
Ereptam Argolico, quo debuit igne, cremavit.

Hic me &c. His duobus verſiculis continetur carmen ſepulchrale, inſculptum Cajetæ monumento.

Nota. Eximiæ, celebratæ.

Alumnus. Æneas, quem alui & educavi.

Ereptam &c. Ordo eſt: Me cremavit eo igne, quo debuit, nimirum pio, & funebri; ereptam igne Argolico, & hoſtili, quo Trojam Græci cremaverunt.

Argolico. Lib. VIII. nu. 6.

X.

Socii Diomedis in aves cycnorum ſimiles mutati.

Solvitur herboſo religatus ab agere funis:
Et procul inſidias, infamatæque relinquunt
Tecta Deæ, lucoſque petunt, ubi nubilus umbra
In mare cum fulva prorumpit Tibris arena.
Faunigenæque domo potitur, nataque Latini:
Non ſine Marte tamen; bellum cum gente feroci
Suſcipitur, pactaque furit pro conjuge Turnus.
Concurrit Latio Tyrrhenia tota, diuque
Ardua ſollicitis victoria quæritur armis.
Auget uterque ſuas externo robore vires,
Et multi Rutulos, multi Trojana tuentur
Caſtra: neque Æneas Evandri ad mœnia fruſtra,
At Venulus fruſtra profugi Diomedis ad urbem

Solvitur funis. Sola vox *ſolvere* ſignificat navim a portu, aut littore, amovere.

Infamatæ. Male notæ; infamis, ob veneficia.

Nubilus umbra. Arborum, quibus ripæ veſtiuntur, umbra obſcurus.

Faunigenæ. Latini regis, qui Fauni filius. Virg. VII.

Potitur. Æneas.

Pacta. Promiſſa.

Concurrit Latio. Pugnat contra Latium.

Tyrrhenia. Etruria. Italiæ mediæ regio ad occaſum; Ejus rex Mezentius a Turno ſtabat contra Æneam & Latinos. Virgil. Lib. VII.

Uterq; Æneas, & Turnus.

Evandri. Evander Arcadum rex, poſtquam imprudens patrem interfeciſſet, in Italiam venit, ac Latio potitus Æneæ ſocia junxit arma. Virgil. VIII.

Venulus. Orator a Turno ad Diomedem miſſus, petitum auxilia. (Lib. XI. Æn.) non fruſtra venit Æneas ad Evandrum: ut fruſtra Venulus ad Diomedem venit.

Profugi. Diomedes e bello Trojano in Ætoliam ſuam re-

Venerat. Ille quidem ſub Japyge maxima Dauno
Mœnia condiderat, dotaliaque arva tenebat:
Sed Venulus Turni poſtquam mandata peregit,
Auxiliumque petit, vires Ætholius heros
Excuſat, nec ſe ſoceri committere pugnæ
Velle ſui populos: aut quos e gente ſuorum
Armet, habere ullos. Neve hæc commenta putetis,
(Admonitu quamquam luctus renoventur amaro)
Perpetiar memorare tamen. Poſtquam alta cremata eſt
Ilios, & Danaas paverunt Pergama flammas,
Naryciuſque heros a virgine, virgine rapta,
Quam meruit pœnam ſolus, digeſſit in omnes:
Spargimur, & ventis inimica per æquora rapti,
Fulmina, noctem, imbres, iram, celique, mariſq;

rediens, & ab uxore, fœdis amoribus implicata, expulſus, pervenit in Apuliam, Italiæ extremæ partem, ad ſinum Adriaticum, ubi a rege Dauno acceptus, urbem Argyripam, ſive Arpos, ædificavit. Virgil. Lib. XI.

Japyge. Apulo. Apulia dicta olim eſt Japygia, a vento Japyge, qui plurimus ibi regnat.

Mœnia. In ditione Dauni, regis Apuliæ, urbem condiderat.

Dotalia. Dauni filiam duxerat Diomedes, ac dotis nomine acceperat Apuliæ partem.

Ætolius heros. Diomedes, Tydei regis Ætoliæ, in Græcia, filius.

Vires. Tenuitatem ſuarum virium excuſat: negat ſibi copias adeſſe, quibus Turnum juvet.

Nec ſe, &c. Abnuit in aleam difficilis belli dare populos Dauni, ſui ſoceri: deinde negat habere ſe ullos e gente ſua, nimirum Græcos, ſeu Ætolos, quos poſſit ad bellum mittere. Neve hæc a me fingi putetis, inquit, &c.

Admonitu &c. Licet ejus rei mentio dolorem meum refricet.

Perpetiar &c. Non me pigebit eam tamen referre.

Paverunt. Satiarunt: iis alimenta præbuere.

Narycius heros. Ajax, Oilei filius. Naryx, oppidum Locrorum, in Græcia, prope Ætoliam: unde oriundus iſte Ajax. Poſtquam igitur rapta Caſſandra, Priami filia, & temerata in templo Palladis, Ajax Deam ultricem ſenſit: ac pœnam ſibi uni debitam, in omnes Græcos, qui cum eo redibant in patriam, diviſit, Probi improbis conjuncti, ſæpe cum iis plectuntur.

A Virgine. A Pallade.

Virgine rapta. Caſſandra.

Spargimur. Huc illuc tempeſtate jactati ſumus; unius crimen omnes luimus.

Ca-

Perpetimur Danai, cumulumque Capharea cladis.
Neve morer referens triſtes ex ordine caſus,
Græcia tum potuit Priamo quoque flenda videri.
Me tamen armiferæ ſervatum cura Minervæ
Fluctibus eripuit: patriis ſed rurſus ab agris
Pellor, & antiquo memores de vulnere pœnas
Exigit alma Venus, tantoſque per alta labores
Æquora ſuſtinui, tantos terreſtribus armis,
Ut mihi felices ſint illi ſæpe vocati,
Quos communis hyems, importunuſque Caphareus
Merſit aquis, vellemque horum pars una fuiſſe.
Ultima jam paſſi comites belloque fretoque,
Deficiunt, finemque rogant erroris. At Agmon
Fervidus ingenio, tum vero a cladibus aſper,
Quid ſupereſt, quod jam patientia noſtra recuſet
Ferre, viri? dixit: quid habet Citherea, quod
ultra,

Capharea. Græcus accuſandi caſus. Caphareus, promontorium, eſt Eubœæ inſulæ, ſcopulis obſitum: *Capo dell' Oro*. Nauplius, Palamedis pater, cum filium dolo Ulyſſis (Lib. XIII. numer. 1.) periiſſe cognoviſſet, facem noctu accendit in eo promontorio: Græci portum rati, naves ad ſcopulos fregere.

Cumulum cladis. Perpeſſi ſumus fulmina, imbres, &c. Denique Caphareum, ideſt naufragium, ad cautes Caphareas, qui cumulus acceſſit ad reliqua infortunia.

Armiferæ Minervæ. Palladis, quæ bello præeſt.

Pellor. Ab Ætolia, patria mea, ſcelere conjugis.

Antiquo. Venus exigit a me pœnas, memor ſe a me in bello Trojano vulneratam. Diomedes Æneam ſtricto ferro premebat; Venus adfuit, ac filium imminenti neci, & hoſti ſubduxit. Eam Diomedes gravi affecit vulnere. Homer. V. Iliad. Virg. XI. Ultra porro Diomedem eſt Venus, ejus domum adulteriis perturbando.

Hyems. Procella.

Importunus. Portu carens, refertur ſcopulis.

Deficiunt. Animis concidunt.

Finem &c. Me oraverunt ut in aliquo tandem conſiſterem loco: finem erroribus ponerem.

Cladibus aſper. Calamitas ſumma audaces facit, & ad extrema omnia præcipites.

Viri. O ſocii.

Cytherea. Venus Lib. X. 6.

Quid ultra &c. Quid habet ulterius quod faciat, quo in nos ſæviat, quamvis ſævire velit? Fac velle, quid poteſt.

Nam

Velle puta, faciat? nam dum pejora timentur,
Eſt in vota locus: ſors autem ubi peſſima rerum eſt,
Sub pedibus timor eſt, ſecuraque ſumma malorum.
Audiat ipſa licet, & , quod facit, oderit omnes
Sub Diomede viros: odium tamen illius omnes
Spernimus, & magno ſtat magna potentia nobis.
Talibus iratam Venerem Pleuronius Agmon
Inſtimulat verbis, veteremque reſuſcitat iram.
Dicta placent paucis; numeri majoris amici
Agmona corripimus, cui reſpondere volenti
Vox pariter, vociſque via eſt tenuata, comæque
In plumas abeunt, plumis quoque colla teguntur,
Pectoraque, & tergum; majores brachia pennas
Accipiunt, cubitique leves ſinuantur in alas;
Magna pedum digitos pars occupat, oraque cornu
Indurata rigent, ſinemque in acumine ponunt.
Hunc Lycus, hunc Idas, & cum Rethenore Nyctëus.
Hunc miratur Abas; & dum mirantur, eamdem
Accipiunt faciem, numeruſque ex agmine major
Subvolat, & remos plauſis circumſonat alis.
Si volucrum quæ ſit dubiarum forma requiris;

Nam dum &c. Quandiu homines pejorem fortunam timent, eſt locus votis & precibus; demittunt animos ; ad preces, & vota, deſcendunt: ubi ventum eſt ad ſupremam calamitatem, nihil timetur: ſumma calamitas ſpernit preces, ac, re deſperata, furit.

Secura. Quia nihil pejus timet.

Audiat &c. Hæc ſane, quæ liberius proloquor, Venus audiat, nihil moror, nihil curo. Omnes Diomedis ſocios, ut facit, odio habeat: ejus quoque minas, & potentiam, quæ tanto nobis conſtat, ſpernimus. Pro, *Et quod facit* Optima exemplaria geminant licet: *Licet, ut facit, oderit omnes.*

Et magno. Decem, Heinſio teſte, veteres libri ſcribunt: *Et parvo ſtat tanta potentia nobis*: Hoc ſenſu: parvi facimus Veneris potentiam.

Pleuronius. Pleuron, urbs Ætoliæ.

Numeri &c. Ejus amicorum pars major.

Vocis via. Collum.

Magna &c. Pars magna pedum in digitos abit. Sunt iſtis avibus grandes digiti, exiles pedes, & exſucci.

Oraque. Os in roſtrum corneum, & acutum, deſinit.

Pro-

Ut non cycnorum, ſic albis proxima cycnis.
Vix equidem has ſedes, & Japygis arida Dauni
Arva gener teneo, minima cum parte meorum

Proxima. Simillima. Iſtas aves ardeas aliqui vocant: *ἐρωδιὸς* appellat Ariſtoteles. Conſule interpretes Maronis, Libro XI. Æneid.

Arida arva. Apulia ſere eſt ſiticuloſa.

Teneo. Tueor.

X I.

Paſtor in oleaſtrum.

Hactenus Oenides. Venulus Calydonia regna,
Peucetioſque ſinus, Meſſapiaque arva relinquit:
In quibus antra videt, quæ multa nubila ſilva,
Et levibus guttis manantia ſemicaper Pan
Nunc tenet, at quodam tenuerunt tempore nymphæ.
Appulus has illa paſtor regione fugatas
Terruit, & primo ſubita formidine movit:
Mox, ubi mens rediit, & contempſere ſequentem;
Ad numerum motis pedibus duxere choreas.
Improbat has paſtor, ſaltuque imitatus agreſti,
Addidit obſcenis convicia ruſtica dictis:

Oenides. Diomedes, Oenei nepos, ita peroravit. Illius orationem habes apud Virgil. Lib. XI.

Calydonia regna. Apuliam, cujus pars, erat ditio, & dotale regnum Diomedis Calydonii, ideſt Ætoli; qui tunc verſabatur in Italia, Calydon, urbs Ætoliæ: *Ayton*.

Peucetioſque Sinus. Apulia duplex fuit: altera dicta Daunia, nunc *Puglia Piana*, ſive *Capitanata*, ubi modo Sipontum, &c. Altera Peucetia, hodie *Terra di Bari*, ubi Barium, &c.

Meſſapia. Ubi regnavit Meſſapus, Italus princeps, Turni ſocius: hanc poſtea Calabri tenuere: nunc eſt provincia Hydruntina: *Terra d' Otranto*.

Videt. Venulus, revertens ad Turnum a quo miſſus fuerat ad Diomedem.

Nubila. Obſcura, tecta.

Levibus guttis. Quales vulgo ſpeluncæ, & loca humida, exudant.

Semicaper. Inferiori corporis parte capro ſimilis.

Movit. Loco cedere pauliſper coegit.

Ubi mens rediit. Poſtquam e metu ſe collegerunt.

Improbat. Irridet.

Ar-

Nec prius obticuit, quam guttura condidit arbor,
Arbor enim eſt, ſuccoque licet cognoſcere mores:
Quippe notam linguæ baccis oleaſter amaris
Exhibet, aſperitas verborum ceſſit in illas.

Arbor eſt. Nam in arborem eſt mutatus.
Succo. Ex illius arboris ſucco, nempe oleaſtri. Eſt olea ſilveſtris.
Mores. Priſtinos paſtoris in eam verſi.
Notam exhibet. Indicium facit procacis & amaræ linguæ: crimen ejus pœnamque monſtrat. Notare cenſores dicebantur, quæ reprehendebant.
Baccis. Baccæ vocantur exigui fructus, ut oleæ, ceraſa, &c. *Ceſſit*. Tranſit.

XII.

Æneæ naves in nymphas: Ulyſſis, in ſcopulos.

Hinc ubi legati redire, negata ferentes
Arma Ætola ſibi, Rutuli ſine viribus illis
Bella infauſta gerunt, multumque ab utraque cruoris
Parte datur, Fert ecce avidas in pinea Turnus
Tecta faces; igneſque timent, quibus unda pepercit.
Jamque picem, & ceras, alimentaque cætera flammæ
Mulciber urebat, perque altum ad carbaſa malum
Ibat, & incurvæ fumabant tranſtra carinæ.
Cum memor has pinus Idæo vertice cæſas

Hinc. A Diomede.
Rediere. Ad Turnum.
Legati. Venulus cum ſociis.
Ferentes. Renuntiantes.
Arma Ætola. Auxiliares copias a Diomede: armorum ſocietatem negatam eſſe.
Rutuli. Populus Italiæ, cui Turnus imperabat.
Illis. Sine Diomedis copiis.
Pinea tecta. Naves Æneæ. Legit Diofanus, *texta*, & auctores laudat optimos codices. Navis ex arboribus quaſi texitur.
Ignes timent. Naves undis toties ereptæ, jam incendium pertimeſcunt.
Picem. Pice navium tabulæ oblinuntur: ceris implentur rimæ.
Mulciber. Vulcanus. Ignis. Lib. II. num. 1.
Tranſtra. Scamna tranſverſa in navi, quibus remiges inſident.
Idæo. Ida, mons Phrygiæ.

Deum

Sancta Deum genitrix, tinnitibus æthera pulſi
Æris, & inflati complevit murmure buxi:
Perque leves domitis invecta leonibus auras,
Irrita ſacrilega jactas incendia dextra,
Turne, ait; eripiam, nec me patiente cremabit
Ignis edax nemorum partes & membra meorum.
Intonuit dicente Dea, tonitrumque ſecuti
Cum ſaliente graves ceciderunt grandine nimbi.
Aeraque, & tumidum ſubitis concurſibus æquor
Aſtræi turbant, & eunt in prælia, fratres.
E quibus alma parens unius viribus uſa,
Stupea prærupit Phrygiæ retinacula claſſis,
Fertque rates pronas, medioſq; ſub æquore mergit.
Robore mollito, lignoque in corpora verſo;
In capitum faciem puppes mutantur aduncæ;
In digitos abeunt, & crura natantia, remi;
Quodque ſinus fuerat, latus eſt; mediiſque carina
Subdita navigiis, ſpinæ mutatur in uſum.
Lina comæ molles, antennæ brachia fiunt:
Cærulus ut fuerat, color eſt; quaſque ante timebant,

Deum genitrix. Cybele, quæ in Ida colebatur. Lege iſta in Lib. IX. Æneid.

Tinnitibus... Hoc ſignum Deæ advenientis: inflari cornua, perſonare tibiæ, cæperunt. Solemne erat in ſacris Cybelles, ut ærea cymbala pulſarentur. Implevit igitur aerem tinnitibus æris pulſi, ideſt, cymbalorum & cornuum: ac murmure buxi, ſeu tibiæ buxeæ.

Leonibus. Ab iis trahitur currus Cybelles. Eadem quippe eſt ac terra: primum autem, & fortiſſimum, terræ animal eſt leo.

Jactas. Conjicis: ſpargis.

Eripiam. Naves tibi, ac tuis ignibus.

Intonuit. Editum eſt tonitru fragore magno,

Aſtræi fratres. Venti, Auroræ & Aſtræi gigantis filii.

E quibus. Ventis.

Retinacula. Funes quibus erat religata in littore.

Sinus. Capacitas, alveus navis. Libri quidam: *Quodque latus fuerat*, (nempe navis) *latus eſt* (nempe nympharum.)

Carina. Proprie eſt longa, & valida trabs, toti navigio, ut ejus fundamentum, ſuppoſita: quæ in ima & media navi porrigitur a puppi ad proram, cæteraſque tabulas tamquam ſpina dorſi coſtas attinet.

Lina. Funes, rudentes.

Antennæ. Lib. III. nu. 10.

Ante. Cum naves eſſent.

Ce-

Illas virgineis exercent luſibus undas
Najades æquoreæ; duriſque in montibus ortæ,
Molle fretum celebrant, nec eas ſua tangit origo.
Non tamen oblitæ quam multa pericula ſævo
Pertulerint pelago, jactatis ſæpe carinis
Suppoſuere manus, niſi ſi qua vehebat Achivos.
Cladis adhuc Phrygiæ memores, odere Pelaſgos,
Neritiæque ratis viderunt fragmina lætis
Vultibus, & lætis videre rigeſcere puppim
Vultibus Alcinoi, ſaxumque increſcere ligno.

Celebrant. Frequentant, colunt.
Nec eas &c. Non curant redire in montes, unde ortæ ſunt.
Cladis Phrygiæ. Trojani excidii.
Neritiæ. Ulyſſeæ. Neritus, mons Ithacæ inſulæ; ipſa Ithaca, fuit olim appellata pariter Neritia; patria Ulyſſis, in mari Jonio, nunc *Thiachi*.
Et lætis &c. Læto vultu viderunt navem, datam Ulyſſi ab Alcinoo, rege Phæacum (Lib. XIII. n. 19.) converſam in ſcopulum (Homer. XIII. Odyſ.) Ulyſſem undis, facto naufragio, vix emerſum, Alcinous excepit, & navem, qua Ithacam veheretur, dedit. Hanc Neptunus, ut Polyphemum filium, ab Ulyſſe excæcatum, ulciſceretur, mutavit in ſaxum.

XIII.

Avis Ardea ex urbis Ardeæ rogo nata.

Spes erat, in nymphas animata claſſe marinas,
Poſſe metu monſtri Rutulum deſiſtere bello;
Perſtat; habetque Deos pars utraque, quodque Deorum eſt
Inſtar, habent animos: nec jam dotalia regna,
Nec ſceptrum ſoceri; nec te, Lavinia virgo,

Animata claſſe. Mutata in nymphas anima prædita.
Monſtri. Tam portentoſæ mutationis.
Rutulum. Turnum, Rutulorum regem:
Deos. Faventes.
Quodque, &c. Habent animos, audaciam, fortitudinem, quæ non minus ad vincendum adjuvat, quam Deorum favor.
Soceri. Latini. Non jam eos tangit cura poſſidendi regni, quod Æneæ Turnoque propoſitum, inſtar dotis erat; pro laude certant, ac victoria.
Lavinia. Latini filia. Virgil. VII. Æneid. Hujus nuptias

Sed viciſſe petunt, deponendique pudore
Bella gerunt: tandemque Venus victricia nati
Arma videt, Turnuſque cadit; cadit Ardea, Turno
Soſpite dicta potens: quam poſtquam barbarus ignis
Abſtulit, & tepida patuerunt tecta favilla,
Congerie e media tum primum cognita præpes
Subvolat, & cineres plauſis everberat alis.
Et ſonus, & macies, & pallor, & omnia, captam
Quæ deceant urbem, nomen quoque manſit in illa
Urbis, & ipſa ſuis deplangitur Ardea pennis.

ptias ambiebant Æneas, Turnus.

Deponendi. Belli. Certare pergunt, ne ceſſiſſe hoſti videantur: hic illos pudor fovere bellum cogit.

Ardea. Turni patria; quam cæſo Turno, Æneas incendit. Erat caput regni Rutulorum.

Barbarus. Phrygius, Trojanus. Lib. VI. 12.

Patuerunt tecta. Disjecta & everſa. *Congerie*. Rogo.

Præpes. Avis. Lib. VI. 11.

Subvolat. Sublime fertur.

Plauſis. Concuſſis.

Sonus. Vox, cantus.

Suis &c. Ipſa urbs Ardea videtur ſe plangere, ſuis pennis; in ave ſcilicet ardea, in quam eſt mutata, dum illa volucris alas volando concutit.

Deplangitur. Valde plangitur.

XIV.

Æneas in Deum mutatus.

Jamque Deos omnes, ipſamque Æneia virtus
Junonem veteres finire coegerat iras:
Cum, bene fundatis opibus creſcentis Iuli,
Tempeſtivus erat cœlo Cythereius heros,
Ambieratque Venus Superos, colloque parentis
Circumfuſa ſui: Nunquam mihi, dixerat, ullo
Tempore dure pater, nunc ſis mitiſſimus oro:

Deos. Trojanis infenſos: Junonem præcipue.

Veteres iras. Cauſas irarum Junonis exponit Virg. in limine Æneidos.

Juli. Filii Æneæ.

Opibus. Imperio, gloria.

Creſcentis. Ætate & gloria paulatim aucti.

Tempeſtivus. Maturus.

Cythereius heros. Æneas, Veneris Cythereæ filius.

Ambierat. Ambire, eſt interdum, ut hoc in loco, ſupplicare, prenſare, blandiri.

Parentis. Jovis.

Æneæque meo, qui te de ſanguine noſtro
Fecit avum, quamvis parvum des, optime, numen,
Dummodo des aliquid. Satis eſt inamabile regnum
Aſpexiſſe ſemel, Stygios ſemel iſſe per amnes.
Aſſenſere Dei, nec conjux regia vultus
Immotos tenuit, placatoque annuit ore.
Tum pater: Eſtis, ait, cœleſti munere digni,
Quæque petis, pro quoque petis: cape, nata, quod optas.
Fatus erat, gaudet, grateſque agit illa parenti:
Perque leves auras junctis invecta columbis
Littus adit Laurens; ubi tectus arundine ſerpit
In freta flumineis vicina Numicius undis.
Hunc jubet Æneæ quæcunque obnoxia morti,
Abluere, tacito deferre ſub æquora curſu.
Corniger exequitur Veneris mandata, ſuiſque
Quicquid in Æneæ fuerat mortale repurgat,
Et reſperſit, aquis: pars optima reſtitit illi.
Luſtratum genitrix divino corpus odore
Unxit, & ambroſia dulci cum nectare miſta

Fecit avum. Pater Æneæ Anchiſes, mater Venus; avus ergo Æneæ Jupiter, Veneris pater.

Quamvis parvum. Modeſta petitio. Locum Æneæ inter Numina, quamlibet infimum, concede.

Aliquid. Aliquem inter Deos locum.

Inamabile regnum. Inferos. Illos Æneas jam adierat. Supra nu. 3. Virg. Lib. VI.

Conjux regia. Juno.

Vultus immotos. Non rigidum tenuit caput: illud, annuendo, inflexit.

Eſtis. Ambo meremini cœleſte munus: tu quæ poſtulas; ille, pro quo poſtulas.

Cape, *&c*. Voti compos eſto; Æneam Superis inſere.

Hunc, *&c*. Jubet Venus, ut Numicius abluat Æneam, & mortalis naturæ veluti ſordibus expurget. Aiunt Æneam in fluvium Latii Numicium cecidiſſe. Cum non reperiretur, creditus eſt in Deum indigetem fuiſſe mutatus.

Corniger. Fluvius Numicius, *Rivo di Nemi*: prope Lavinium fluit.

Reſtitit. Remanſit.

Luſtratum. Lib. IV. n. 5.

Ambroſia. Deorum cibus erat: nectar vero potus.

Turba Quirini. Romani. Romulus, Romæ conditor, bellis aſſuetus, haſtam vulgo geſtabat; hinc nomen illi datum, Quirinus, a vocabulo Sabino, quiri, quod haſtam ſignificat.

Indi-

Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem : temploque ariſque recepit.

Indigetem. Erant indigetes, Dii proprii cujuſque loci, & quaſi indigenæ : Dii ex hominibus facti : *αὐτόχθονες*, *ἐγχώριοι*, quaſi inde, nimirum e terra, geniti, & aſſumpti. Æneam proprio quodam nomine, Jovem Indigetem appellatum fuiſſe tradit Livius.

X. V.

Latini reges. Vertumnus in varias formas ſe ſe vertens.

Inde ſub Aſcanii ditione binominis, Alba
Reſque Latina, fuit; ſucceſſit Silvius illi:
Quo ſatus, antiquo tenuit repetita Latinus
Nomina cum ſceptro: clarum ſubit Alba Latinum;
Epitus ex illo: poſt hunc Capetuſque, Capyſque,
Sed Capys ante fuit; regnum Tiberinus ab illis
Cepit, & in Thuſci demerſus fluminis undis
Nomina fecit aquæ; de quo Remuluſque, feroxque
Acrota, ſunt geniti. Remulus maturior annis
Fulmineo periit, imitator fulminis, ictu.

Aſcanii. Qui alio nomine dictus eſt Julus. Hinc binominis appellatur. Virg. Lib. I. v. 271. Aſcanius igitur Albam, & Latinum regnum, tenuit.

Alba. Urbs in Latio, ab Aſcanio condita. Virgil. I. Æn. verſ. 275. Nominis originem docet idem Virgil. Lib. VIII. 48.

Silvius. Duplicem Silvium memorant hiſtorici, alterum filium Æneæ, ex Lavinia, poſthumum: alterum, hujus poſthumi filium, qui Silvius Æneas vocatus fuerit.

Quo ſatus. Cujus Silvii poſthumi filius Latinus antiquum nomen, & ſceptrum obtinuit. Jam enim id nominis geſſerat Latinus, rex Latii, Laviniæ pater.

Subit Alba Latinum. Alba ſucceſſit Latino.

Epitus ex illo. Epitus (alii hunc aliter appellant) poſt Albam regnavit.

Sed Capys ... Capys ante Capetum regnavit. Capetum priori loco appellatum innuit, metri cauſa.

Ab illis. Poſt illos.

Aquæ. Flumini Tyberino.

Maturior annis. Major natu.

Imitator fulminis. Cum fulmina Jovis imitari vellet.

Fratre ſuo ſceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Aventino, qui, quo regnarat, eodem
Monte jacet poſitus, tribuitque vocabula monti.
Jamque Palatinæ ſummam Proca gentis habebat.
Rege ſub hoc Pomona fuit, qua nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit ſolertius hortos,
Nec fuit arborei ſtudioſior altera fetus;
Unde tenet nomen. Non ſilvas illa, nec amnes;
Rus amat, & ramos felicia poma ferentes:
Nec jaculo gravis eſt, ſed adunca dextera falce,
Qua modo luxuriem premit, & ſpatiantia paſſim
Brachia compeſcit; fiſſo modo cortice, lignum
Inſerit, & ſuccos alieno præſtat alumno:
Nec ſentire ſitim patitur, bibulæque recurvas
Radicis fibras labentibus irrigat undis.
Te, Vertumne, tamen metuens, pomaria claudit.
O quoties habitu duri meſſoris ariſtas
Corbe tulit, verique fuit meſſoris imago!
Tempora ſæpe gerens feno religata recenti,

Eodem monte. Aventino, quem habet Roma inter occaſum, & meridiem: non procul a Palatino, & Capitolino.

Summam. Imperium.

Palatinæ gentis. Populi Romani, qui tunc circa montem Palatinum habitabat.

Proca. Amulii & Numitoris pater. Primus igitur Aſcanius regnavit: Aſcanium excepit Silvius Poſthumus: Poſthumum Æneа Silvius, Silvium Latinus, Latinum Alba, Albam Epitus (Livius Atim Albæ ſucceſſiſſe ſcribit) Epitum Capys, Capyn Capetus; Capetum Tyberinus; hunc Remulus; Remulum Acrota, ſive Agrippa; tum Aventinus & Procas: denique Amulius & Numitor.

Pomona. Pomorum, ſeu fructuum Dea.

Hamadryadas. Libr. II. 18.

Arborei fetus. Pomorum: fructuum.

Tenet nomen. A pomis Pomona dicitur.

Jaculo. Quo feras conficiat, venando captas.

Luxuriem. Nimiam foliorum copiam, quæ fructibus nocet.

Spatiantia brachia. Ramos diffuſos latius.

Lignum. Surculum, ex arbore meliori deciſum.

Succos. Trunci reſecti, & fiſſi, cui calamus inditur.

Alieno alumno. Surculo, ex alia deprompto arbore; inſito.

Habitu meſſoris. Vertumnus indutus meſſoris cultu.

Tempora. Caput, capillos.

Ver-

Defectum poterat gramen verſare videri:
Sæpe manu ſtimulos rigida portabat, ut illum
Juraſſes feſſos modo disjunxiſſe iuvencos.
Falce data, frondator erat; vitiſque putator;
Induerat ſcalas, lecturum poma putares:
Miles erat gladio, piſcator arundine ſumpta.

Verſare. Ut ſolent Feniſecæ, qui fenum ſiccandum raſtris, furciſque, verſant.
Stimulos. Sudes acutas, quibus punguntur boves, ut accelerent.
Disjunxiſſe. Removiſſe ab aratro, cui juncti erant.
Data. Sumpta.
Frondator. Putator frondium.
Induerat. Aſcenderat: vel inductas inſertaſque collo geſtabat: vel arbori applicuerat.
Lecturum. Collecturum ex arbore.
Arundine. Linea piſcatoria.

X V I.

Aquæ frigidæ in calidas mutatæ. Romæ natales. Romanorum cum Sabinis fœdus.

Proximus Auſonias injuſti miles Amuli
Rexit opes, Numitorque ſenex amiſſa nepotum
Munere regna capit: feſtiſque Palilibus, urbis
Mœnia conduntur. Tatiuſque, patreſque Sabini,

Proximus. Proxime poſt regem Procam.
Injuſti Amuli. Amulius & Numitor ea conditione a parente Proca regnum acceperant, ut alternis regnarent annis. Amulius, ejecto fratre, ſolus regnum occupavit: quem regno viciſſim & vita exuerunt Romulus ac Remus, Ilia, ſive Rhea Silvia, Numitoris filia, & Marte, geniti. Numitor illorum beneficio rem Romanam ſolus rexit.
Miles Amuli rexit. Amulius per ſuos ſatellites, & adminiſtros, Italiam gubernavit.
Amiſſa. Fratris Amulii ſcelere.
Nepotum. Remi & Romuli.
Palilibus. Palilia, feſta erant in honorem Palis, Deæ paſtorum.
Urbis. Romæ, quæ vulgo Urbs, per antonomaſiam, appellatur. Condita eſt XII. Kal. Maias, quo die agebantur Palilia.
Tatius. Rex Sabinorum, qui, ob raptas a Romulo Sabinas, bellum illi indixit.

Bella gerunt: arciſque via Tarpeja recluſa.
Dignam animam pœna congeſtis exuit armis.
Inde ſati Curibus, tacitorum more luporum,
Ore premunt voces, & corpora victa ſopore
Invadunt, portaſque petunt, quas obice firmo
Clauſerat Iliades; unam tamen ipſa recluſit,
Nec ſtrepitum verſo Saturnia cardine fecit.
Sola Venus portæ cecidiſſe repagula ſenſit,
Et clauſura fuit, niſi quod reſcindere nunquam
Dis licet acta Deum. Jano loca juncta tenebant
Najades Auſoniæ gelido rorantia fonte:
Has rogat auxilium; nec nymphæ juſta petentem
Suſtinuere Deam, venaſque & flumina fontis

Livium conſule Lib. I. Florum, Plutarchum.

Arcis. Capitolinæ. Hanc obſidebant Sabini: Romana quædam puella, cui Tarpejæ nomen, Tarpeji, præfecti arcis, filia, egit cum Sabinis clam, ut arcem ipſis proderet, ſi viciſſim ab illis acciperet quædam ornamenta, & armillas, quas brachiis geſtabant inſertas. Illi ſe daturos pacti quod in ſiniſtra gererent, arcem obtinuerunt proditione: ac puellam ſcutis, quæ ſiniſtra gerebant manu, in eam congeſtis, obruerunt: fidem hoc pacto ſuam liberari poſſe arbitrati.

Tarpeja &c. Sic verba in ordinem digere. Et Tarpeja puella, poſt viam, portamque arcis hoſti recluſam, exuit animam, dignam pœna; vitam merito ſupplicio amiſit; congeſtis armis, id eſt, obruta clypeis, in ipſam conjectis.

Sati Curibus. Sabini, quorum urbs primaria, Cures.

Ore &c. Silentio Romam invadunt.

Corpora, &c. Romanos ſomno oppreſſos.

Iliades. Romulus, Iliæ filius.

Ipſa. Saturnia: Juno, Saturni filia.

Repagula. Vectes, quibus a tergo muniuntur portæ.

Clauſura fuit. Venus, pro ſuo in poſteros Æneæ ſtudio, clauſiſſet arcis portam: ſed prohibita eſt lege inter Deos ſolemni, ne quis illorum, alterius opus diſturbet. Libr. III. 6.

Reſcindere. Deſtruere.

Jano. Jani templo. Prope illud templum erant, inquit, fontes aquæ frigidæ: illos Venus in aquas calidas, a Najadibus curavit convertendos, & Sabinorum Romanos perſequentium, impetum ita compeſcuit.

Najades. Deæ fontium. Lib. I. 18.

Suſtinuere. Moratæ ſunt. Statim effecere, quod rogabat. *Deam*. Venerem.

N'n-

Elicuere ſui. Nondum tamen invia Jani
Ora patentis erant, nec iter præcluſerat unda,
Lurida ſupponunt fœcundo ſulfura fonti,
Incenduntque cavas fumante bitumine venas.
Viribus his, aliiſque, vapor penetravit ad ima
Fontis, & Alpino modo quæ certare rigori
Audebatis aquæ, non ceditis ignibus ipſis.
Flammifera gemini fumant aſpergine poſtes,
Portaque, nequicquam rigidis promiſſa Sabinis.
Fonte fuit præſtructa novo; dum Martius arma
Indueret miles: quæ poſtquam Romulus ultro
Obtulit, & ſtrata eſt tellus Romana Sabinis
Corporibus ſtrata eſtque ſuis; generique cruorem

Nondum, &c. Quamvis Najades magnam effudiſſent aquæ copiam, nondum tamen ſufficiebat ad obſtruendam viam patentem per Jani templum, qua Sabini Romanos perſequebantur. Najades eam occluſerunt aquis frigidis repente mutatis in calidas, ope ſulphuris ac bituminis; quod aquis admiſcuerunt.

Ora. Aditus, porta.

Patentis. Patebat Jani templum flagrante bello: confecto, claudebatur.

Lurida. Pallida.

Venas. Fontis meatus.

Bitumine. Limus eſt calidus, & pinguis, ac tenax inſtar picis.

Viribus. Ope bituminis, & arcani caloris, quem nymphæ addiderunt.

Vapor. Calidus: vis ignea.

Rigori. Frigori.

Alpino. Alpes, montes altiſſimi, ſeparant Galliam, & Germaniam ab Italia: ibi aſperrimum & diuturnum frigus.

Poſtes. Duo latera portæ templi Jani.

Promiſſa. Quam ſe patentem habituros ſperabant: quam Tarpeja illis promiſerat, Juno aperuerat.

Rigidis. Laudabantur ob morum ſeveritatem, & caſtimoniam.

Præſtructa. Intercluſa.

Dum, &c. Donec Romani milites arma induerent.

Martius miles. Romani a Marte, Romuli patre, ducebant originem.

Quæ. Arma. Poſtquam arma, & armatum militem Romulus objecit hoſti.

Strata. Cooperta.

Suis. Suorum Romanorum.

Generi, &c. Romani Sabinorum filias uxores acceperant. Generi ergo cum ſoceris impio, nempe inter cognatos, bello dimicabant.

Sanguine cum ſoceri permiſcuit impius enſis:
Pace tamen ſiſti bellum, nec in ultima ferro
Decertare placet. Tatiumque accedere regno:

Siſti. Componi, finiri.
In ultima. Uſque ad internecionem, ad excidium utriuſque populi.
Accedere regno. Regnum cum Romulo partiri. Satius viſum eſt, ſi Tatius ſocius regni eſſet: æqua poteſtate cum Romulo regnaret.

XVII.

Romulus Superis adſcriptus.

Occiderat Tatius, populiſque æquata duobus,
Romule jura dabas; poſita cum caſſide Mavors
Talibus affatur divumque hominumque parentem.
Tempus adeſt, genitor (quoniam fundamine magno
Res Romana valet, & præſide pendet ab uno)
Præmia jam promiſſa mihi, dignoque nepoti
Solvere, & ablatum terris imponere cœlo.
Tu mihi concilio quondam præſente Deorum
(Nam memoro, memorique animo pia verba notavi)
Unus erit, quem tu tolles in ſidera cœli;
Dixiſti: rata ſit verborum ſumma tuorum.
Annuit omnipotens, & nubibus aera cæcis
Occuluit, tonitruque & fulgure terruit orbem.
Quæ ſibi promiſſæ ſenſit data ſigna rapinæ,

Æquata jura. Conſtituta: æqua: paria. Unus duobus populis imperabas, Tatio ſublato.
Poſita caſſide. Depoſita galea, quaſi ſupplex, & aperto capite.
Quoniam &c. Siquidem Roma fundata jam, & ſtabilita eſt, atque ab uno principe adminiſtratur.
Nepoti. Romulo.
Concilio. Cætu.
Summa. Sententia. Exequere, quod promiſiſti.
Quæ ſibi, &c. Ex iſto tonitru Mars intellexit factam ſibi a Jove poteſtatem Romuli, ut promiſerat, rapiendi, & in cœlum transferendi.

Preſ-

Innixuſque haſtæ, preſſos temone cruento
Impavidus conſcendit equos Gradivus, & ictu
Verberis increpuit, pronumque per aera lapſus
Conſtitit in ſummo nemoroſi colle Palati:
Reddentemque ſuo non regia jura Quiriti
Abſtulit Iliadem. Corpus mortale per auras
Dilapſum tenues; ut lata plumbea funda
Miſſa ſolet medio glans intabeſcere cœlo.
Pulchra ſubit facies, & pulvinaribus altis
Dignior, & qualis trabeati forma Quirini

Preſſos temone. Suppoſitos jugo: currui alligatos.

Gradivus. Mars: Append. cap. 4.

Palati. Palatium, unus e ſeptem Romæ collibus.

Non regia. Non ſuperba, regum more, ſed civilia & humana.

Quiriti ſuo. Romanis, qui dicti Quirites, a Curibus, Sabinorum urbe præcipua, quando in unum populum utrique coaluerunt.

Iliaden. Romulum, Iliæ filium: Rem ita narrat Livius: Cum ad exercitum recenſendum concionem in campo ad Capræ paludem haberet, ſubito coorta tempeſtas tam denſo regem operuit nimbo, ut conſpectum ejus concioni abſtulerit: nec deinde in terris Romulus fuit. Vide Valer. Max. Lib. V. cap. 3.

Corpus &c. Romuli corpus molem terrenam, & pondus exuit. Subtile evaſit, inſtar auræ tenuis.

Intabeſcere. Liqueſcere diſſolvi: molleſcere.

Subit. Succedit in locum prioris.

Pulvinaribus. Pulvinaria erant lectuli, in templis, inſtructi pulvillis, ubi Deorum ſtatuæ adorandæ proponebantur. Interdum ante lectulos menſæ ferculis onuſtæ ſtruebantur, quaſi Dii eſſent accubituri, idque Lectiſternium vocabatur. Hoc in loco per pulvinaria Divini honores ſignificantur, Romulo delati.

Et qualis, &c. Aſſumis Romulus digniorem & auguſtiorem formam, cultumque parem illi, quem gerit, cum trabeatus & numinum ornatus veſte pingitur. Trabea, veſtis erat propria regum, magiſtratuum, & Deorum: faſciis quibuſdam tranſverſis, inſtar trabium, purpureis, aut acu pictis, diſtincta: unde illi nomen.

XVIII.

Romuli conjux in Deam Oram transformatur:

Flebat, ut amiſſum, conjux: cum regia Juno
Irin ad Herſiliam deſcendere in limite curvo
Imperat, & vacuæ ſua ſic mandata referre.
O, et de Latio, o et de gente Sabina
Præcipuum matrona decus, digniſſima tanti
Ante fuiſſe viri conjux, nunc eſſe Quirini:
Siſte tuos fletus, &, ſi tibi cura videndi
Conjugis eſt, duce me lucum pete, colle Quirino
Qui viret, & templum Romani regis obumbrat.
Paret, & in terram pictos delapſa per arcus,
Herſiliam juſſis compellat vocibus Iris.
Illa verecundo vix tollens lumina vultu,
O dea (namque mihi, nec quæ ſis dicere promptum eſt.
Et liquet eſſe Deam) duc, o duc, inquit, & offer
Conjugis ora mihi, quem ſi modo poſſe videre
Fata ſemel dederint, cœlum accepiſſe videbor.

Conjux. Romuli, Herſilia.

Limite curvo. Per arcum ſuum.

Vacuæ. Otioſæ, quietæ, ſolitariæ.

Nunc ... Quirini. Antea hominis conjux, nunc Dei Quirini. Sic Romulus eſt appellatus, ut annotavimus Lib. XIV. n. 14.

Lucum &c. Perge mecum in ſilvam ſacram, quæ eſt in monte Quirinali, vicina templo Romani regis, ideſt, Romuli. Huic enim ſtatim poſt obitum ædes conſecrata in iſto monte fuit, cum Julius Proculus ſenator affirmaſſet illum a ſe viſum humana ſpecie auguſtiorem. Collis quoque dictus ab eodem eſt Quirinalis. Utrumque diſerte canit Ovidius Lib. II. Faſtorum: cui Plutarchus adſtipulatur. Vide plura apud Alexandrum Donatum Lib. III. cap. 15. Montem Quirinalem hodie Roma vocat *Monte Cavallo*, propter equos duos inſignes e marmore, opus Phidiæ, & Praxitelis, ante Palatii Pontificii veſtibulum collocatos.

Promptum. Facile.

Liquet. Manifeſtum eſt.

Cœlum accepiſſe &c. Non minori me affectam beneficio arbitrabor, quam ſi eſſem in cœlo, ſi donata cœlo forem. In cœlo eſſe, pro, beatum & fortunatum eſſe, locutio Latinis eſt domeſtica, & vernacula.

Ro-

Nec mora Romuleos, cum virgine Thaumanthæa,
Ingreditur colles: ibi ſidus ab æthere lapſum
Decidit in terras; a cujus lumine flagrans
Herſiliæ crinis cum ſidere ceſſit in auras.
Hanc manibus notis Romanæ conditor urbis
Excipit, & priſcum pariter cum corpore nomen
Mutat, Oramque vocat: quæ nunc Dea juncta
Quirino eſt.

Romuleos colles. Montem Quirinalem.
Thaumantea. Iride. Lib. IV. num. 5.
Ceſſit. Abiit ſublimis.
Conditor urbis. Romulus.
Juncta &c. Quæ nunc in eodem templo, cum Romulo colitur.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER QUINTUSDECIMUS.

SYNOPSIS.

Myſcellus, calculis nigris in albos mutatis abſolutus. Pythagoras in Italia docet. Ejus ſlacita præcipua, & præſertim de perpetua rerum aliarum in alias transfiguratione. Roma ingens, e minima urbe. Ægeria in fontem converſa; Hippolytus in Virbium; haſta Romuli, in arborem; Æſculapius in Draconem; Anima Cæſaris in ſidus. Auguſti laudes, & pro eo vota.

I.

Croton ædificata. Calculi nigri in albos mutati.

Quæritur interea; quis tantæ pondera molis
Suſtineat, quantoque queat ſuccedere regi.
Deſtinat imperio clarum prænuntia veri
Fama Numam: non ille ſatis cognoſſe Sabinæ
Gentis habet ritus, animo majora capaci
Concipit, & quæ ſit rerum natura requirit.
Hujus amor curæ, patria Curibuſque relictis,
Fecit ut Herculei penetraret ad hoſpitis urbem.

Tantæ molis. Romanæ rei gubernandæ.
Regi tanto. Romulo.
Numam. Numa Pompilius, Sabinus, Romanorum rex ſecundus extitit.
Ritus. Cæremonias, jura, leges.
Majora. Rerum abditarum, & interioris naturæ, cognitionem.
Hujus amor curæ. Studium hoc, & cura cognoſcendæ rerum naturæ. Philoſophiæ amor fecit, ut relicta patria, Crotonem iret.
Curibus. Cures, Sabinorum urbs primaria.
Herculei hoſpitiis. Crotonis, qui Herculem in Italiam venientem ex Hiſpania, hoſpitio recepit.

Gra.

Graja quis Italicis auctor poſuiſſet in oris
Mœnia quærenti, ſic e ſenioribus unus
Rettulit indigenis, veteris non inſcius ævi:
Dives ab oceano bobus Jove natus Iberis
Littora felici tenuiſſe Lacinia curſu.
Fertur, &, armento teneras errante per herbas,
Ipſe domum magni, nec inhoſpita tecta, Crotonis
Intraſſe, & requie longum relevaſſe laborem:
Atque ita diſcedens, ævo, dixiſſe, nepotum
Hic locus urbis erit. Promiſſaque vera fuerunt.
Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam
Myſcelus, illius Dis acceptiſſimus ævi.
Hunc ſuper incumbens preſſum gravitate ſoporis
Claviger alloquitur: Patrias, age, deſere ſedes,
Et pete diverſa lapidoſas Æſaris undas:

Graja quis, &c. Miratus eſt Numa, urbem Crotonem in reſſus, Græcum oppidum in Italia conditum: de conditore quæſivit. Ei reſpondit ſenior indigena.

Auctor. Fundator.

Indigenis. Incolis ibidem natis.

Dives &c. Fama eſt (verba ſunt illius ſenis, Numæ reſpondentis) Herculem in Italiam veniſſe ab Hiſpania cum gregibus inde abductis.

Oceano. Mari Atlantico, quod Hiſpaniam alluit: pars eſt oceani.

Jove natus. Hercules.

Bobus. Quos Geryoni abſtulerat. Lib. IX. n. 6.

Iberis. Iberus (*L' Ebro*) fluvius eſt Hiſpaniæ, a quo ipſa vocatur Iberia.

Littora Lacinia. Lacinium, eſt promontorium extremæ Italiæ, contra mare Jonium ubi templum olim ſuperbiſſimum fuit Junonis Laciniæ a cujus columnis aliquot adhuc extantibus, promontorium Itali vocant *Il capo delle colonne*.

Curſu. Navigatione.

Crotonis. Herois, ob ſapientiam & probitatem ea tempeſtate celebrati.

A que &c. Fertur Hercules dixiſſe, cum a Crotone diſcederet: Erit hoc in loco civitas ævo nepotum, ideſt, longo poſt tempore.

Argolico. Græco. Lib. XII. 15.

Myſcelus. Non Micylus: Græce quippe ſcribitur Μύσκελος.

Hunc &c. Oblatus illi, ſecundum quietem Hercules (armatus clava pingitur) imminens capiti, ſublimis, velut e cœlo delabens.

Æſaris. Æſar, ſive Æſarus, fluvius eſt Calabriæ, in Italia, prope Crotonem. *L' Eſaro*.

Diverſi. Remoti: procul, a Græcia ſcilicet, poſiti.

Et, niſi paruerit, multa ac metuenda minatur.
Poſtea diſcedunt pariter ſomnuſque Deuſque.
Surgit Alemonides, tacitaque recentia mente
Viſa refert; pugnatque diu ſententia ſecum.
Numen abire jubet, prohibent diſcedere leges,
Pœnaque mors poſita eſt patriam mutare volenti.
Candidus oceano nitidum caput abdiderat ſol,
Et caput extulerat denſiſſima ſidereum nox:
Viſus adeſſe idem Deus eſt; eademque monere,
Et, niſi paruerit, plura & graviora minari.
Pertimuit, patriumque ſimul transferre parabat
In ſedes penetrale novas. Fit murmur in urbe,
Spretarumque agitur legum reus; utque peracta eſt
Cauſa prior, crimenque patens ſine teſte probatum:
Squalidus ad Superos tollens reus ora manuſque
O cujus cœlum bis ſex fecere labores,
Fer, precor, inquit; opem: nam tu mihi criminis auctor.
Mos erat antiquus, niveis atriſque lapillis,
His damnare reos, illis abſolvere culpa.

Alemonides. Myſcelus, Alemonis filius.

Refert. Secum tacitus reputat; recolit, ac retractat, animo.

Pugnatque. Sibi ipſe diſſidet: contrariis cognitionibus diſtrahitur.

Numen. Hercules.

Leges. Capitale erat, ſi quis civis Argos, patriam ſuam, desereret.

Penetrale patrium. Domicilium: Sacrarium domeſticum. Cogitabat alio commigrare.

Cauſa prior. Accuſatio, quæ eſt pars cauſæ prior: ut defenſio, pars cauſæ poſterior. Accuſatus igitur Myſcelus, non oratione, ſed precibus, ſe defendit.

Sine teſte. Non erat opus teſtibus, ſiquidem res patebat, videbantque omnes Myſcelum e patria demigrare.

Squalidus. Rei, apud Romanos, ſordidati prodibant in jus, hoc eſt, induti veſte ſqualida, & detrita.

O cujus, &c. O cui cœlum & divinos honores promeruerunt duodecim labores, Vide Lib. IX. Scribit Muretus: *O cui jus cœli bis ſex fecere labores*. Argute: an vere?

Criminis. Quod mihi objicitur. Crimen ſæpe pro accuſatione ponitur.

Lapillis. Nigri calculi conjiciebantur in unam ciſtam in alteram albi: qui ſi plures forent nigris, abſolvebatur reus; ſi pauciores, condemnabatur.

Ver.

Tunc quoque ſic lata eſt ſententia triſtis, & omnis
Calculus immitem. demittitur ater in urnam.
Quæ ſimul effudit numerandos verſa lapillos,
Omnibus e nigro color eſt mutatus in album:
Candidaque Herculeo ſententia numine facta
Solvit Alemonidem. Grates agit ille parenti
Amphitryoniadæ, ventiſque faventibus æquor
Navigat Ionium, Lacedæmoniumque Tarentum
Præterit, & Sybarim, Salentinumque Neæthum;
Thurinoſque ſinus, Temeſemque, Iapygis arva:
Vixque pererratis, quæ ſpectet littora, terris;
Invenit Æſarei fatalia fluminis ora:
Nec procul hinc tumulum, ſub quo ſacrata Crotonis.
Oſſa tegebat humus, juſſaque ibi mœnia terra

Verſa. Inverſa; ore in terram verſo.

Solvit. Periculo liberavit.

Parenti. Herculi, quem honoris cauſa vocat parentem.

Amphitryoniadæ. Herculem Amphitryonis filium vulgus credebat, cum eſſet Jovis.

Jonium. Lib. IV. 7.

Tarentum. Urbem Calabriæ in Italia, conditam a Lacedæmoniis, duce Phalanto illuc profectis. Horat. Lib. II. Ode *Septimi*, *&c.*

Sybarim. Sybaris fluvius Italiæ in ea parte, quæ Magna Græcia vocabatur: nunc dictus *Il Cochile*. Fuit ejuſdem nominis urbs in ora ſinus Tarentini, inter oſtia Sybaris, & Cratis, fluviorum, olim potentiſſima, & deliciis ac voluptatibus dedita.

Neæthum. Neæthus, exilis fluvius Magnæ Græciæ, in Brutiis. per agrum Crotoniatem fluit, Calabriamque citeriorem ab ulteriori dividit: *Neto*. Salentini non aberant procul, Italiæ populus, ad ſinum Tarentinum.

Thurinos ſinus. Thurium, ſive Thurii, oppidum fuit ejuſdem Magnæ Græciæ, in Lucania: idem aliqui volunt eſſe, atque Sybarim. *La Torre Brodogneto*.

Temeſen. Temeſa, ſeu Tempſa, civitas Brutiorum in Italia. Ejus rudera dicuntur hodie *Torre Loppa*.

Japygis arva. Japygia, regio Italiæ, Calabriam, Apuliam, &c. complectebatur: Eſt etiam promontorium Japygium in aditu maris Adriatici, in mare Jonium longe procurrens.

Quæ ſpectant littora. Quæ ſunt maritimæ, littori impoſitæ.

Fatalia. Sibi a fatis & Numine indicata.

Tumulum. Subaudi, reperit.

Sacrata oſſa. Ineſt oſſibus humanis quædam religio: itaque colliguntur, atque aſ-

ſer.

Condidít, & nomen tumulati traxit in urbem.
Talia conſtabat certa primordia fama
Eſſe loci, poſitæque Italis in finibus urbis.

ſervantur, velut inſita divinitus mortalium animis opinione reſurrectionis. Præterea Cro·o iſte, vir impenſe pius, habebatur, & Herculé dignus hoſpite.

Tumulati, &c. Sepulti eo in loco Crotonis nomen, urbi impoſuit: *Crotone* modo appellatur.

II.

Pythagoras in Italiam venit; ibique docet. Carnibus veſci vetat.

Vir fuit hic ortu Samius; ſed fugerat una
Et Samon, & dominos; odioque tyrannidis exul
Sponte erat: iſque licet cœli regione remotus,
Mente Deos adiit, & quæ natura negabat
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.
Cumque animo, & vigili perſpexerat omnia cura,
In medium diſcenda dabat, cœtumque ſilentum,
Dictaque mirantum, magni primordia mundi,

Vir fuit.... Pythagoras, inſignis philoſophus; Ægyptum, Aſſyriam, Græciam, aliaſque celeberrimas orbis regiones, diſcendi ſtudio, peragravit. Reverſus in iníulam Ægæi maris, Samum, patriam ſuam, hanc a Polycrate tyranno deprehendit occupatam: itaque in Italiam, apud Crotoniatas, ſeceſſit, ibique philoſophiam eſt profeſſus, Servio Tullo Romanorum rege: non vero Numa, quemadmodum Ovidius hic ſcribit, ut carmini ſuo ſerviat.

Dominos. Regulos Sami, ac tyrannos.

Mente. Contemplatione: ſtudio.

Deos. Cœlum, aſtra.

Hauſit. Percepit, vidit.

In medium. Omnibus promiſcue.

Dabat. Proponebat. Philoſophiam ita docebat Pythagoras, ut minervalia diſcipulis non peteret.

Cœtum. Scholam.

Silentum. Diſcipuli Pythagoræ vulgo quinque annis illum audiebant, ac ſilebant: nefas iis tunc erat ioqui, aut diſputare. Ἐ'εμυθίαν hanc appellabant.

Mirantum dicta. Tanta auctoritatis erat Pythagoras, ut ejus diſcipuli rogati cauſam, & rationem alicujus rei, ſatis haberent reſpondere, ipſe dixit: Αὐτὸς ἔφα.

Quid

Et rerum cauſas, & quid natura, docebat;
Quid Deus, unde nives, quæ fulminis eſſet origo,
Jupiter, an venti, diſcuſſa nube tonarent;
Quid quateret terras, quæ ſidera lege mearent;
Et quodcunque latet: primuſque animalia menſis
Arcuit imponi; primus quoque talibus ora
Docta quidem ſolvit, ſed non & credita, verbis.
Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis
Corpora; ſunt fruges, ſunt deducentia ramos
Pondere poma ſuo, tumidæque in vitibus uvæ
Sunt herbæ dulces, ſunt quæ miteſcere flamma,
Mollirique queant, nec vobis lacteus humor,
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.
Prodiga divitias, alimentaque mitia tellus
Suggerit, atque epulas ſine cæde, & ſanguine,
præbet.
Carne feræ ſedant jejunia: nec tamen omnes,
Quippe equus, & pecudes, armentaque gramine
vivunt;
At quibus ingenium eſt immanſuetumq; ferumque
Armeniæ tigres, iracundique leones,
Cumque lupis urſi, dapibus cum ſanguine gaudent.
Heu quantum ſcelus eſt in viſcera viſcera condi,
Congeſtoque avidum pingueſcere corpore corpus,
Alteriuſque animantem animantis vivere leto!
Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
Terra creat, nil te niſi triſtia mandere ſævo

Quid natura. Docebat ſilentes, miranteſque diſcipulos, quænam eſſent mundi elementa, quid eſſet natura, quid Deus. Eſt autem Deus, Id quo nihil melius eſſe, dici, aut fingi, poteſt: vel, Res omnium optima. Natura, eſt ordinata rerum creatarum multitudo, certis agendi, & patiendi, viribus prædita.

Unde nives. Lib. IX. n. 7.

Quateret. Moveret. Unde terræ motus exiſterent.

Mearent. De ſiderum nominibus, ſtatione, curſu, dictum Lib. II.

Quodcumque latet. Abdita naturæ arcana.

Areuit. Vetuit.

Sunt fruges. Suppetunt ad veſcendum.

Deducentia. Curvantia.

Thyme ... Apes e thymo præcipue mel conficiunt.

Carne feræ, &c. Ferarum eſt carne veſci, ac n: omnium quidem.

Armenia. Eſt Armenia pars Aſiæ inter Iberiam, Euphratem,

Vulnera dente juvat? ritusque referre Cyclopum?
Nec, niſi perdideris alium, placare voracis
Et male morati poteris jejunia ventris?
At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fetibus arboreis, & quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc & aves tutæ movere per aera pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis,
Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo.
Cuncta ſine inſidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenaque pacis erant. Poſtquam non utilis auctor
Victibus invidit (quiſquis fuit ille Deorum)
Corporeaſque dapes avidam demerſit in alvum,
Fecit iter ſceleri: primaque e cæde ferarum
Incaluiſſe poteſt maculatum ſanguine ferrum;
Idque ſatis fuerat, noſtrumque petentia letum
Corpora miſſa neci ſalva pietate, fatemur.
Sed quam danda neci, tam non epulanda fuerunt:
Longius inde nefas abiit, & prima putatur
Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtro, ſpemque interceperit anni:
Vite caper morſa; Bacchi mactatus ad aras

tem, Meſopotamiam, Aſſyriam & Mediam: Ejus caput nunc Erzerum.

Ritus referre. Mores imitari.

Cyclopum. Lib. I. num. 9.

Male morati. Male inſtituti: intemperantis.

Poſtquam, &c. Ex quo neſcio quis Deorum invidit iſti aureæ frugalitati, menſis iſtis tam innocentibus: & damnoſa auctoritate carnes epulandas propoſuit. Pro, *Deorum*, quidam veteres libri, *virorum*. Heinſius malit, *priorum*.

Sceleri. Cædibus.

Primaque &c. Sane liquit ferrum tingere ſanguine ferarum immanium & nocentium; ſed ibi ſtandum erat: ulterius itum eſt. Suadet ipſa ſententia, ut retineatur *poteſt*: quam vocem prave nonnulli mutant.

Id ſatis fuerat. Feras occidere.

Noſtrum, &c. Animalia nobis pernicioſa.

Inde. A juſta ferarum exitialium nece, ventum eſt ad eas, quæ levius nocebant, mactandas, ut ſuem.

Pando. Recurvo.

Eruerit. Effoderit.

Spem. Meſſium, erutis ſeminibus.

Mactatus dicitur... Aliis *Mactandus ducitur*.

Duo

Dicitur ultoris, nocuit ſua culpa duobus:
Quid meruiſtis, oves, placidum pecus? inque tuendos
Natum homines? pleno quæ fertis in ubere nectar:
Mollia quæ nobis veſtras velamina lanas
Præbetis, vitaque magis, quam morte, juvatis.
Quid meruere boves, animal ſine fraude, doliſque
Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?
Immemor eſt demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit, curvi dempto modo pondere aratri,
Ruricolam mactare ſuum; qui trita labore
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat meſſes, percuſſit colla ſecuri.
Nec ſatis eſt quod tale nefas committitur, ipſos
Inſcripſere Deos ſceleri, numenque ſupernum
Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci.
Victima labe carens, & præſtantiſſima forma,
(Nam placuiſſe nocet) vittis inſignis & auro,
Siſtitur ante aras, auditque ignara precantem,
Imponique ſuæ videt inter cornua fronti,
Quas coluit fruges, percuſſaque ſanguine cultros
Inficit in liquida prævisos forſitan unda.
Protinus ereptas viventi pectore fibras
Inſpiciunt, menteſque Deum ſcrutantur in illis.

Duobus. Porco, & capro.
Tuendos. Defendendos a frigore. Quidam libri, *tegendos*.
Immemor. Ingratus. Qui beneficium a bobus arantibus datum, nece illorum penſat. Pro, *demum*. Heinſius invenit alicubi *Divum*.
Ruricolam. Bovem arantem.
Renovaverat. Arando.
Inſcripſere. Quaſi fautores & adſtipulatores fecere: cum illis ſuum ſcelus communicavere, bovem mactatum ipſis immolando.
Placuiſſe. Labe caruiſſe, ac nævo.
Vittis... Tæniolis aureis.
Ignara. Neſciens in iſtis precibus agi de ſua nece.
Coluit. Aratrum trahendo.
Fruges. Spargebantur capita victimarum mola ſalſa: hoc eſt, hordeo, ſeu farre toſto, cum ſale.
In liquida. Quos cultros forte vidit in pelvi aliqua, ubi purgabantur, ante ſacrificium.
Fibras. Viſcerum particulas.
Inſpiciunt. Haruſpices, qui futura prædicunt, conſideratis victimarum extis.
Mentes. Voluntatem, & conſilia.

Fa-

Unde fames homini vetitorum tanta ciborum eſt?
Audetis veſci, genus o mortale? quod, oro,
Ne facite, & monitis animos advertite noſtris:
Cumque boum dabitis cæſorum membra palato,
Mandere vos veſtros ſcite, & ſentite colonos.
Et quoniam Deus ora movet, ſequar ora moventem
Rite Deum; Delphoſque meos; ipſumque recludam
Æthera, & auguſtæ reſerabo oracula mentis.
Magna, nec ingeniis inveſtigata priorum,
Quæque diu latuere, canam: juvat ire per alta
Aſtra; juvat terris, & inerti ſede relicta,
Nube vehi, validique humeris inſiſtere Atlantis,
Palanteſque homines paſſim, ac rationis egentes,
Deſpectare procul, trepidoſq; obitumque timentes
Sic exhortari, ſeriemque evolvere fati.

Fames. Aviditas.
Veſci. Ejuſmodi cibis: nempe carnibus.
Colonos. Veſtros ipſos agricolas. Sic aditum ad ſequentem de metempſychoſi diſputationem aperit.
Ora movet. Me ad loquendum ſtimulat; hortatur ut vos doceam.
Delphos meos recludam. Philoſophiæ meæ effata vobis aperiam, Delphicis oraculis veriora. De Apolline Delphico, & oraculo dictum Lib. I. num. 14. X. 4.
Auguſtæ mentis. Divinæ. Pandam oracula quæ Deus mihi recluſit.
Atlantis. Libr. IV. 9. Evehi ſupra montes altiſſimos, etiam illos, quibus fulciri cœlum & niti videtur, qualis eſt Atlas.
Palantes. Errantes.
Deſpectare. Velut e ſuperiore loco aſpicere pronos humi & repentes.
Seriemque... Mortis conditionem ac naturam aperire.

III.

Metempſychoſim docet Pythagoras, ac probare ſimilibus exemplis conatur.

O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras, & nomina vana timetis,
Materiem vatum, falſique pericula mundi?

O genus. Mortale: miſeri, quos mortis exterret metus!
Styga. Lib. IV. n. 4.
Materiem vatum. De quibus poetæ mentiri & fingere ſolent plurima.
Falſi mundi. Sic inferos vocat quos veros eſſe utinam mi-

Corpora ſive rogus flamma, ſeu tabe vetuſtas
Abſtulerit, mala poſſe pati non ulla putetis
Morte carent animæ, ſemperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt habitantque receptæ:
Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ.
Cognovi clypeum lævæ geſtamina noſtræ
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.
Omnia mutantur, nihil interit: Errat, & illinc
Huc venit; hinc illuc; & quoslibet occupat artus

minus multi quotidie experirentur!

Corpora &c. Nolite putare vos quidpiam mali poſt vitam hanc paſſuros: ſeu veſtra corpora igne, ſeu carie conſumpta fuerint.

Tabe. Situ, putredine. Hoc argumento nullos eſſe inferos probare contendit. Si ſunt inferi, aut corpus patietur cruciatus, qui ibi ſtatuuntur, aut anima: non corpus, quod vel crematur igne, vel conſumitur vetuſtate: non anima, quia ex uno corpore in aliud ſemper migrat: neque umquam orbem hunc deſerit, aut a corpore ſeparata vivit, ſed ſtatim ab uno in aliud tranſit: ac proinde eſt mortis expers, quæ eſt disjunctio animæ a corpore. Utraque pars argumenti hujus eſt falſa: nam corpus, igne aut alio quolibet modo, conſumptum, reparabitur ac reſurget: anima ſcelerata in inferos detrudetur, & ſuo poſtmodum corpori reſtituetur, ut una cum illo, in æternum puniatur.

Priore ſede. Corpore.

Novis domibus vivunt. Tranſmigrant in nova corpora.

Ipſe &c. Ego ipſe, qui modo ſum Pythagoras, & philoſophus, in Trojano bello fui miles, Euphorbus nomine, & Panthoi filius, a Menelao interfectus: & nuper in templo Junonis, quod eſt in urbe Argis, agnovi clypeum a me geſtatum olim in bello Trojano. Illuſtrat hic locus Ovidianus Horatianum, Ode *Te maris &c.* in qua ſub Architæ perſona ridet Pythagoram, eumque vere tandem ait eſſe mortuum & Orco ita demiſſum, ut numquam inde eſſet emerſurus; licet, olim ſe in Euphorbi corpus migraſſe, ac ſolo corpore tunc mortem ſenſiſſe dictitaret. Hic videtur eſſe germanus Horatiani loci ſenſus.

Abantis Argis. Argos Peloponneſi civitas, ubi regnavit Abas, Acriſii pater. Lib. IV. n. 9.

Errat &c. Animæ noſtræ in omnia promiſcue ſubeunt corpora, & orbem perrant.

Illinc huc venit. Ex illo corpore, in hoc migrat: ex hoc in aliud.

No-

Spiritus, æque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter, nec tempore deperit ullo.
Utque novis facilis ſignatur cera figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formam ſervat eamdem;
Sed tamen ipſa eadem eſt: animam ſic ſemper eamdem
Eſſe; ſed in varias doceo migrare figuras.
Ergo, ne pietas ſit victa cupidine ventris,
Parcite (vaticinor) cognatas cæde nefanda
Exturbare animas, nec ſanguine ſanguis alatur.
Et quoniam magno feror æquore, plenaque ventis
Vela dedi; nihil eſt toto quod perſtet in orbe:
Cuncta fluunt, omniſque vagans formatur imago.
Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu,
Non ſecus ac flumen, neque enim conſiſtere flumen,
Nec levis ora poteſt: ſed ut unda impellitur unda,
Urgeturque prior veniente, urgetque ſequentem:
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterque ſequuntur
Et nova ſunt ſemper: nam quod fuit ante, relictum eſt;
Fitque quod haud fuerat; momentaque cuncta novantur.
Cernis & emenſas in lucem tendere noctes,

Noſter ſpiritus. Anima humana.
Facilis. Mollis.
Signatur. Conformatur, variatur.
Ergo &c. Cavete igitur, ne contra pietatem, hominibus cognatiſque debitam, peccetis exturbando illorum animas ex animalium corporibus: dum ea mactabitis, ut indulgeatis gulæ.
Vaticinor. Id vobis verus vates denuncio.
Cognatas. Humanas.
Æquore... In magno argumento, & late patenti verſor.
Perſtet. Eodem duret modo, ſitu, forma.
Omniſque &c. Res omnes perpetuo agitatæ motu, & mutatione, diverſam accipiunt imaginem, & figuram.
Vagans. Fluxa, mutabilis.
Relictum eſt. Præteritum eſt.
Fitque quod haud fuerat. Evadit præſens tempus, quod ante non extabat.
Emenſas. Peractas, finitas. Non diſplicet *Emeritas noctes*, quæ ſcriptura e viginti ſcriptis codicibus eſt deprompta. Longius abit *emerſas*, quam nihilominus vocem in Ovidianum verſum immittere non dubitat qui Ovidium edidit cum notis *Variorum*, cujus & in mutandis carminibus confidentiam,

Et jubar hoc nitidum nigræ ſuccedere nocti.
Nec color eſt idem cœli, cum laſſa quiete
Cuncta jacent media; cumque albo Lucifer exit
Clarus equo: rurſumque alius, cum prævia lucis
Tradendum Phœbo Pallantias inficit orbem.
Ipſe Dei clypeus, terra cum tollitur ima,
Mane rubet; terraque rubet cum conditur ima:
Candidus in ſummo eſt, melior natura quod illic
Ætheris eſt, terræque procul contagia fugit.
Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Eſſe poteſt unquam, ſemperque hodierna ſequente
Si creſcit, minor eſt; major, ſi contrahit orbem.

tiam, & negligentiam in omittendis optimorum interpretum locis, merito reprehendas.

Jubar. Solem.

Cum laſſa, &c. Media nocte.

Cumque, &c. Cum oritur Lucifer (Lib. 2. num. 3.) Is auroræ, ac ſoli præit.

Alius. Color cœli,

Pallantias. Aurora, Pallantis, unius e Gigantibus, filia.

Inficit. Roſeo colore tingit.

Dei Clypeus. Solaris orbis, inſtar clypei rotundus.

In ſummo. Cœlo, in meridie.

Melior. Purior.

Illic. In ſuprema cœli parte.

Dianæ. Lunæ.

Si creſcit. Quando, augetur luna, & creſcit, hodie quam cras, eſt minor: quando vero decreſcere incipit, contrahique, hodierna luna ſequente major eſt.

Contrahit. Imminuit.

IV.

Quatuor anni tempeſtates; totidem vitæ humanæ viciſſitudines.

Quid, non in ſpecies ſecedere quattuor annum
Aſpicis, ætatis peragentem imitamina noſtræ?
Nam tener, & lactens, puerique ſimillimus ævo,
Vere novo eſt: tunc herba recens, & roboris expers
Turget, & inſolida eſt, & ſpe delectat agreſtes:
Omnia tum florent; florumque coloribus almus

Species. Vices, tempeſtates.

Ætatis . . . . Ad ſimilitudinem quatuor ætatum vitæ noſtræ.

Inſolida. Fragilis, non ſolida.

Lu-

Ludit ager, neq; adhuc virtus in frondibus ulla eſt.
Tranſit in æſtatem: poſt ver, robuſtior annus,
Fitque valens juvenis: neque enim robuſtior ætas
Ulla, nec uberior; nec quæ magis ardeat, ulla eſt.
Excipit autumnus, poſito fervore juventæ
Maturus, mitiſque, inter juvenemque ſenemque
Temperie medius, ſparſus quoque tempora canis.
Inde ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu,
Aut ſpoliata ſuos, aut, quos habet, alba capillos.
Noſtra quoque ipſorum ſemper, requieq; ſine ulla,
Corpora vertuntur; nec quod fuimuſve, ſumuſve,
Cras erimus. Fuit illa dies, qua ſemina tantum,
Speſque hominum primæ, materna habitavimus alvo:
Artifices natura manus admovit, & angi
Corpora viſceribus diſtentæ condita matris
Noluit, eque domo vacuas emiſit in auras.
Editus in lucem jacuit ſine viribus infans:
Mox quadrupes, ritu; tulit ſua membra ferarum,
Paulatimque tremens, & nondum poplite firmo
Conſtitit, adjutis aliquo conamine nervis:
Inde valens veloxque fuit; ſpatiumque juventæ
Tranſit, & emeritis medii quoque temporis annis,

Ludit. Varie pingitur.

Virtus. Vires, firmitas.

Excipit. Sequitur æſtatem.

Canis. Frondes autumno pallent, aliquæ caneſcunt.

Spes hominum. Fetus in utero materno eſt veluti primordium futuri hominis perfecti, & ſpes.

Angi. Nimis anguſte habitare: conſtringi.

Diſtentæ. Prægnantis.

Mox quadrupes. Reſpicit Pythagoras ænigma decantatum, quod olim ſphinx viatoribus proponebat: nempe: Quodnam eſſet animal primo quadrupes, deinde bipes, poſtremo tripes. Oedipus ab ea interrogatus, hominem eſſe reſpondit, qui prima in infantia repit manibus ac pedibus, inſtar quadrupedis; vir pede gemino nititur; ſenex terno; nam ſcipio ſenibus pro tertio eſt pede. Vide c. XX. Append.

Conamine. Adminiculo. Solebant Romani genibus infantium fulciendis ac firmandis alligare quidpiam ſolidum, quo ſuſtentarentur crura & conformarentur, ne pueri vari fierent, aut valgi.

Emeritis. Præteritis, officio & ſtatione ſua functis; inſtar militum, qui debita ſtipendia confecerunt, appellanturque tunc emeriti, ſunt qui malint *emenſis*.

Iter

Labitur occiduæ per iter declive ſenectæ.
Subruit hæc ævi demoliturque prioris
Robora, fletque Milon ſenior, cum ſpectat inanes
Illos, qui fuerant ſolidorum mole tororum
Herculeis ſimiles, fluidos pendere lacertos.
Flet quoque, ut in ſpeculo rugas aſpexit aniles,
Tyndaris; & ſecum, cur ſit bis rapta, requirit.
Tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas,
Omnia deſtruitis, vitiataque dentibus ævi
Paulatim lenta conſumitis omnia morte.

Iter declive. Pronum, ad metam & interitum vergens.
Hæc. Senectus.
Ævi prioris. Ætatis juvenilis, & virilis.
Milon. Athleta Crotoniates, qui uno ictu nudæ manus taurum interficere dicebatur, mortuum eumdem geſtare humeris, ac totum uno prandio conſumere. Per ſilvam inter aliquando faciens arboris validæ truncum diducere, ac medium diſſindere utraque manu, quaſi per jocum, aggreſſus eſt. Sed interceptis in trunco reluctante manibus, cum ſe non poſſet expedire, a lupis devoratus eſt.
Inanes. Debiles, invalidos.
Solidorum. Robuſtorum.
Tororum. Lib. II. num 19.
Fluidos. Languidos, inertes.
Tyndaris. Helena, Ledæ filia, & Tyndari; ut quidem putabatur, cum eſſet Jovis.
Et ſecum. Et miratur anum tam deformem, qualem ſe videt, tanta præditam forma eſſe potuiſſe, ut rapta fuerit bis, primum a Theſeo, deinde a Paride: vel, bis rapta, primum a Paride, deinde a Senectute, quæ Helenam velut Helenæ rapuerit.

V.

Diverſas elementorum commutationes idem Pythagoras recenſet.

Hæc quoque non perſtant, quæ nos elementa vocamus.
Quaſque vices peragant (animos adhibete) docebo.
Quatuor æternus genitalia corpora mundus

Quas vices &c. Quibus obnoxia ſint mutationibus ac viciſſitudinibus.
Quatuor corpora. Elementa.
Genitalia. E quibus alia corpora generantur.
Mundus æternus. In eo ver-

Continet, ex illis duo ſunt oneroſa, ſuoque
Pondere in inferius, tellus atque unda, feruntur;
Et totidem gravitate carent, nulloque premente
Alta petunt, aer, atque aere purior ignis.
Quæ quamquam ſpatio diſtant, tamen omnia fiunt
Ex ipſis, & in ipſa cadunt, reſolutaque tellus
In liquidas rareſcit aquas; tenuatus in auras
Aeraq; humor abit; dempto quoq; pondere, rurſus
In ſuperos aer tenuiſſimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo:
Ignis enim denſum ſpiſſatus in aera tranſit,
Hic in aquas; tellus glomerata cogitur unda;
Nec ſpecies ſua cuique manet, rerumque novatrix
Ex aliis alias reparat natura figuras.
Nec petit in tanto quicquam (mihi credite) mundo
Sed variat, faciemque novat, naſcique vocatur,
Incipere eſſe aliud, quam quod fuit ante; morique
Deſinere illud idem: cum ſint huc forſitan illa,

verſabantur errore, ut mundum æternum crederent, quem æternum non fuiſſe conſtat.

Oneroſa. Gravia.

Cadunt. Reſolvuntur, deſinunt ac recidunt.

Tenuatus &c. Humor, ideſt, aqua, in aerem attenuatur, & rareſcit.

Retro redeunt. Quemadmodum elementa alia in alia traſmutantur, donec a graviſſimo, nempe terra, ad ſupremum, & leviſſimum ignem, perventum ſit. Ita ab igne ad infimum elementum, graviſſimumque, deſcendendo, idem tranſmutationis ordo reperitur: ita ut ignis in aerem, aer in aquam, aqua in terram, convertatur & redeat.

Hic in aquas. Nempe aer, de quo proxime locutus eſt.

Cogitur. Concreſcit, & conflatur, tellus ex aqua compreſſa, ſpiſſataque.

Nec ſpecies. Nullum elementum in ea ſpecie, natura, forma, permanet, quæ ipſi eſt propria: ſed in aliam perpetua mutatione tranſit.

Rerum novatrix. Novarum rerum inventrix, & creatrix: novitate gaudens.

Ex aliis &c. Ex aliarum rerum interitu & corruptione alias gignit.

Variat. Variam, diverſam a prima, formam & figuram ſumit.

Illud. Deſinere eſſe id, quod ante fuit.

Cum ſint &c. Siquidem accidit, ut hæres in iſtas, iſtæ in has tranſeant.

Huc. In hæc corpora; hunc in locum.

Illa. Certæ quædam res, & formæ.

Sum-

Hæc tranſlata illic: ſumma tamen omnia conſtant.
Nil equidem durare diu ſub imagine eadem
Crediderim: ſic ad ferrum veniſtis ab auro
Sæcula, ſic toties verſa eſt fortuna locorum.
Vidi ego, quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus,
Eſſe fretum; vidi factas ex æquore terras;
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa eſt in montibus ancora ſummis:
Quodque fuit campus, vallem decurſus aquarum
Fecit, & eluvie mons eſt deductus in æquor;
Eque paludoſa ſiccis humus aret arenis,
Quæq; ſitim tulerant, ſtagnata paludibus hument.

Summa, &c. In ſumma, omnia manent, ac perdurant, nihil perit. Subſtantia rerum manet: accidentia dumtaxat, imago, figura, mutantur.

Ad ferrum. Ad ætatem ferream, ab aurea deveniſtis.

Conchæ. Piſcium tegmina.

Et vetus, &c. Quod argumento eſt, ibi olim navigatum fuiſſe.

Eluvie. Aquarum inundatione.

Deductus. Converſus, depreſſus.

Æquor. Planitiem, æquum campum.

Eque &c. Et tellus, quæ antea erat humida, & paludoſa; jam arenoſa eſt, & arida.

Quæque ſitim .... Quæ pars terræ ſiticuloſa, & ſicca erat; jam eſt palus humida, & ſtagnans, id eſt, reſes immota, non perfluens.

V I.

Fontes, fluvii, Campi, urbes mutantur.

Hic fontes natura novos emiſit, at illic
Clauſit; & antiquis tam multa tremoribus orbis
Flumina proſiliunt, aut exſiccata reſidunt.
Sic ubi terreno Lycus eſt epotus hiatu,
Exiſtit procul hinc, alioque renaſcitur ore,
Sic modo combibitur, tecto modo gurgite lapſus.

Tremoribus orbis. Terræ motibus. Lege Plin. Lib. II. Senecam Lib. VI. Nat. Quæſt. c. 4. 5. 6. Pro *tam multa* Heinſius ſcribit *concuſſa*.

Reſidunt. Decreſcunt; exareſcunt.

Lycus. Aſiæ flumen.

Epotus. Hauſtus, abſorptus. *Exiſtit*. Emergit.

Lapſus. Occulto meatu ſub terram lapſus.

Redditur Argolicis ingens Eraſinus in agris.
Et Myſum capitiſque ſui, ripæque prioris
Pœnituiſſe ferunt, alia nunc ire, Caicum.
Nec non Sicanias volvens Amaſenus arenas
Nunc fluit; interdum ſuppreſſis fontibus aret.
Ante bibebatur, nunc quas contingere nolis
Fundit Anigrus aquas: poſtquam (niſi vatibus omnis
Eripienda fides) illic lavere bimembres
Vulnera, clavigeri quæ fecerat Herculis arcus.
Quid? non & Scythicis Hypanis de montibus ortus
Qui fuerat dulcis, ſalibus vitiatur amaris?
Fluctibus ambitæ fuerant Antiſſa, Pharoſque.
Et Phœniſſa Tyrus, quarum nunc inſula nulla eſt.
Leucada continuam veteres habuere coloni:
Nunc freta circumeunt. Zancle quoque juncta fuiſſe
Dicitur Italiæ, donec confinia pontus

Eraſinus. Fluvius Arcadiæ, in Græcia.

Myſum Caicum. Caicus, fluvius Myſiæ, alvum priſtinum mutavit, Myſia porro fuit regio Aſiæ minoris. Alia eſt Myſia Europæ, quæ rectius Mœſia nuncupatur.

Capitis ſui. Fontis.

Alia. Ripa: via: alvæo.

Amaſenus. Fluvius Siciliæ: dictus etiam Amenanus: Eſt alter ejuſdem nominis in Latio: nunc *L'evola*.

Anigrus. Fluvius Græciæ, in Peloponneſo, cujus aquas e dulcibus amaras evaſiſſe tradunt, poſtquam iis abluerunt vulnera Centauri ab Hercule accepta. Lib. IX. n. 6.

Bimembres. Lib. XII. 5.

Ambitæ. Circumdatæ.

Antiſſa. Pars inſulæ Leſbi, antea inſula. Plin. Lib. II. cap. 89.

Pharos. Olim inſula, Alexandriæ vicina, nunc adhærens continenti. Ibi Ptolemæus, Ægypti rex, turrim præaltam ædificaverat, in cujus culmine fax ingens ardebat noctu, & portum navigantibus commonſtrabat.

Tyrus. Urbs, & inſula olim Phœnices: ab Alexandro Magno, magna mole obſeſſa; Curtius Libr. III. nunc ſuis ſepulta ruinis jacet: reſtant paucæ domus: *Sur* loco nomen eſt.

Quarum: E quibus inſulis nulla jam reſtat inſula: omnes in terra continente ſunt.

Leucada. Leucas, inſula in mari Jonio, e regione Italiæ: olim Epiro, cui adjacet juncta: nunc *Santa Maura* dicitur.

Continuam. Junctam continenti.

Circumeunt. Ambiunt Leucadem undæ.

Zancle. Urbs Siciliæ. Lib. XIII. n. 20.

Me-

Abſtulit, & media tellurem reppulit unda.
Si quæras Helicen, & Buran, Achaidas urbes:
Invenies ſub aquis, & adhuc oſtendere nautæ
Inclinata ſolent cum mœnibus oppida merſis.
Eſt prope Pyttheam tumulus Trozena ſine ullis
Arduus arboribus, quondam planiſſima campi
Area, nunc tumulus; nam (res horrenda relatu)
Vis fera ventorum, cæcis incluſa cavernis,
Exſpirare aliqua cupiens, luctataque fruſtra
Liberiore frui cœlo, cum carcere rima
Nulla foret toto, nec pervia flatibus eſſet,
Extentam tumefecit humum, ceu ſpiritus oris
Tendere veſicam ſolet, aut derepta bicorni
Terga capro: Tumor ille loci permanſit, & alti
Collis habet ſpeciem, longoque induruit ævo.

Media. Interfuſa.
Reppulit. Hinc inde ab ſcidit. Virg. III. Æn. verſ. 417.
Helicen. Urbem Achajæ; item *Buram*, ſive *Burin*.
Eſt &c. Viſitur prope urbem Trœzena, Pitthei patriam, colliculus. Pittheus, Pelopi filius, Æthræ pater fuit: Æthra, Theſei mater, Troezen, ſeu Trœzena, *Trezena*, altera eſt in Argia; altera, in Meſſenia.
Tumulus. Collis.
Exſpirare. Erumpere.
Aliqua. Parte.
Carcere. Subterraneis cavernis.
Terga derepta capro. Utrem, caprino e corio factum.

VII.

Affert alias, veluti naturales, rerum metamorphoſes.

Plurima cum ſubeant audita, aut cognita nobis,
Pauca ſuper referam. Quid? non & lympha figuras
Datque capitque novas? Medio tua, corniger Ammon
Unda die gelida eſt; ortuque, obituque caleſcit.

Subeant. Occurrant animo: in memoriam redeant.
Super. Præter illa quæ jam dixi.
Ammon. Lib. IV. n. 10. Jovis Ammonis templum erat in Libya; in eo ſub arietis forma colebatur. Ibidem fons extitiſſe traditur, cujus aqua meridie gelida, oriente vero ſole, & occidente, calida eſſet.

Admotis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cum luna receſſit in orbes.
Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.
Cratis, & huic Sybaris veſtris conterminus oris,
Electro ſimiles faciunt, auroque capillos.
Quodque magis mirum, ſunt qui non corpora tantum,
Verum animos etiam valeant mutare liquores.
Clitorio quicumque ſitim de fonte levarit,
Vina fugit, gaudetque meris abſtemius undis.
Seu vis eſt in aqua calido contraria vino:
Sive (quod indigenæ memorant) Amithaone natus,
Prætidas attonitas poſtquam per carmen, & herbas
Eripuit furiis, purgamina mentis in illas
Miſit aquas, odiumque meri permanſit in undis
Huic fluit effectu diſpar Lynceſtius amnis,
Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet,
Eſt locus Arcadiæ, Pheneum dixere priores.

Athamantis. Sive Athamanis, fons Epiri (Plin. Lib. II. cap. 103.) faces immerſas accendebat, luna decreſcente.

Cicones. Gens Thraciæ.

Cratis &c. Fluvius Cratis (*Il Grati*) & fluvius Sybaris illi vicinus in veſtra, o Crotoniatæ, regione, crines redeunt electro ſimiles. De Sybari fit mentio ſupra, num. 1. de electro. Lib. II. num, 9.

Clitorio fonte. In Arcadia.

Abſtemius. Abſtinens vino: quaſi abſque temo: vinum enim olim temum, ſive temetum, vocabatur.

Amithaone natus. Melampus, inſignis medicus, filius Amithaonis.

Prætidas. Prœtides, Prœti, regis Argivorum, filiæ, Venerem præ ſe contemnebant. Irata Dea illarum turbavit mentem, ſic, ut inſtar vaccarum, mugirent. Melampus eas hoc furore, & amentia liberavit: ſed herbas, quibus erat uſus, ac medicamenta, in flumen Clitorium projecit.

Attonitas. Mente motas: amentes.

Lynceſtius. Fluvius Macedoniæ (*Linceo*) Hic effectus diſpari, temulentos reddit.

Pheneum. Pheneus; Arcadiæ civitas, cujus in vicinia fons erat, ſeu lacus, ejuſdem nominis. *Feneo*.

Ambi.

Ambiguis ſuſpectus aquis, quas nocte timeto;
Nocte nocent potæ, ſine noxa luce bibuntur.
Sic alias, aliaſque, lacus & flumina vires
Concipiunt; tempuſque fuit, quo navit in undis,
Nunc ſedet Ortygie. Timuit concurſibus Argo
Undarum ſparſas Symplegades eliſarum:
Quæ nunc immotæ perſtant, ventiſque reſiſtunt.
Nec, quæ ſulfureis ardet fornacibus Ætna,
Ignea ſemper erit, neque enim fuit ignea ſemper.
Nam ſive eſt animal tellus, & vivit, habetque
Spiramenta locis flammam exhalantia multis:
Spirandi mutare vias, quotieſque movetur,
Has finire poteſt, illas aperire cavernas.
Sive leves imis venti cohibentur in antris,
Saxaque cum ſaxis, & habentem ſemina flammæ
Materiam jactant, ea concipit ictibus ignem;
Antra relinquentur ſedatis frigida ventis.

Ambiguis. Interdiu innoxiis; noxiis noctu: vim ancipitem, noxiam pariter & ſalutarem, habentibus diverſo tempore.

Alia, aliaſque. Diverſas.

Navit. Fluitavit.

Sedet. Immota, & tranquilla eſt.

Ortygie. Delos Lib. I. 18. Lib. V. 13. VI. 5.

Timuit &c. Navis Argo. (Lib. VI. nu. 15. VII. nu. 1.) extimuit Symplegadas cautes, inter ſe concurrentes, fluctibus circum aſſurgentibus, & earum concurſu eliſis, jactatiſque.

Symplegadas. Libr. VII. 1. eædem cautes, ſive inſulæ, dicuntur Petræ Cyaneæ, a colore ipſarum fuſco, ſive cæruleo.

Spiramenta. Meatus, per quos ſpiret, tamquam os, & nares.

Spirandi &c. Poteſt varios meatus habere, & mutare; ac movendo ſe ſe, ſpirare modo hac parte, modo illa.

Finire. Claudere.

Habentem &c. Materiam aptam igni concipiendo, quale eſt bitumen, pix, ſulfur.

Jactant. Commovent, agitant inter ſe, collidunt.

Ictibus. Agitatione crebra: Ventorum pulſu.

Relinquentur &c. Quando ſedati erunt venti, & materiam illam jactare, atque accendere deſinent, reſtabunt antra frigida, neque ignes amplius Ætna eructabit.

Sive, &c. Sive oriuntur Ætnæ incendia e bitumine, quod ignem facile concipit; & e ſulfure: conſumptis bitumine, ac ſulfure, tamquam alimento, ignis extinguetur.

Sive bitumineæ rapiunt incendia vires,
Luteave exiguis ardeſcunt ſulphura fumis:
Nempe ubi terra cibos, alimentaque pinguia flammæ
Non dabit, abſumptis per longum viribus ævum,
Naturæque ſuum nutrimen deerit edaci;
Non feret illa famem, deſertaque deſeret ignes.

Utres bituminea. Bitumina. Sic, vis Priami, pro ipſo Priamo, ponitur, &c. Lib. I. num. 2.

Rapiunt incendia. Facile ignem concipiunt: inflammantur.

Lutea. Pallidi coloris.

Fumis. Exhalationibus calidis.

Abſumptis viribus. Quaſi ſenio effœta.

Naturæ edaci. Igni.

Deſerta ... Iſtis pinguibus alimentis deſtituta ignes profundere ceſſabit.

VIII.

Idem argumentum proſequitur.

Eſſe viros fama eſt in hyperborea Pallene,
Qui ſoleant levibus velari corpora plumis,
Cum Tritoniacam novies ſubiere paludem:
Haud equidem credo. Sparſæ quoq; membra veneno
Exercere artes Scythides memorantur eaſdem.
Si qua fides rebus tamen eſt addenda probatis,
Nonne vides quæcumque mora, fluidoque calore

Pallene. Urbe Macedoniæ, inter ſinus Thermaicum, & Toronaicum, hodie: *Caniſtro*.

Hyperborea. Septemtrionali. Regio quædam prope Riphæos montes, teſte Plinio, Pterophoros appellatur, ob acutos montes, & interciſos, pinnarum in morem. Porro autem vox Græca, **πτίρος**, quæ murorum pinnas; eademavium alas, ſignificat. Hinc occaſio forte data famæ, & fabulæ, quæ pennatos incolas fecit.

Tritoniacam. Palus Tritonis, ſive Tritonia, eſt in Macedonia.

Novies. Cum ſe novem vicibus in iſta palude merſerunt.

Scythides. Mulieres Scythiæ. Illæ, inquit, poſtquam ſua membra ſparſerunt, ſeu unxerunt, veneno, eaſdem artes exercent, quas iſti Pallennenſes, nempe in aves ſe convertunt; pennas ſumunt.

Si qua ... Equidem vix crediderim in aves converti tam facile viros, aut mulieres: ſunt alia tamen miracula uſu quotidiano probata, quibus abrogare fidem non ita facile poſſumus.

Probatis. Uſu compertis.

Ta-

Corpora tabuerint, in parva animalia verti?
I, ſcrobe delecta mactatos obrue tauros:
(Cognita res uſu) de putri viſcere paſſim
Florilegæ naſcuntur apes, quæ more parentum
Rura colunt, operique favent, in ſpemque laborant.
Preſſus humo bellator equus, crabronis origo eſt.
Concava littoreo ſi demas brachia cancro,
Cætera ſupponas terræ, de parte ſepulta
Scorpius exibit, caudaque minabitur unca.
Quæque ſolent canis frondes intexere filis
Agreſtes tineæ (res obſervata colonis)
Ferali mutant cum papilione figuram.
Semina limus habet virides generantia ranas,
Et generat truncas pedibus; mox apta natando
Crura dat, utque eadem ſint longis ſaltibus apta,
Poſterior ſuperat partes menſura priores.
Nec catulus, partu quem reddidit urſa recenti,

Tabuerint. Corrupta fuerint.

Scrobe delecta mactatos. Age, boum cadavera in ſcrobem conjice. Heinſium ita ſcribentem ſequor libens, donec melius aliquid occurrat.

Operi favent. Inſtantoperi. Incumbunt in laborem. Opere delectantur.

In ſpem. Mellis conficiendi. Novi examinis. Virgil. IV. Georg.

Preſſus. Obrutus humo, mortuus, corruptus. Apes proprie e bobus, fuci, de equis: crabrones de mulis: veſpæ de aſinis, oriuntur.

Concava, &c. Lib X. n.3.

Quæque. Bombyces, & erucæ, nidum quemdam ſibi ac tumulum e filo ſuo texunt in concavis frondibus arborum. Ibi novam induunt formam, ac denique in papiliones mutantur.

Ferali. Qui velut e ſepulchro ſit natus. Feralia erant feriæ quædam Diis Manibus conſecratæ: hinc ferale dicitur quicquid ad mortuos pertinet. Præterea nocturnis animalibus ferale quiddam ac ſiniſtri ominis ineſſe antiqui exiſtimabant: papilio autem nocte accenſis luminibus advolitat, & inhonoratus, atque ignavus a Plinio (Lib.XI. c.19.) vocatur.

Agreſtes tineæ. Erucas, & alios generis ejuſdem vermes, vocat tineas agrorum, ut blattæ, ac tineæ, ſunt peſtes chartarum, ac veſtium.

Poſterior, &c. Poſteriora crura longiora ſunt anterioribus. Vide Lib.I. n.13.

Nec catulus &c. Catulus quem enixa partu recenti eſt urſa, non eſt catulus, ſed rudis potius indigeſtaque caro.

Sed male viva caro eſt: lambendo mater in artus
Fingit, & in formam, quantam capit ipſa, reducit.
Nonne vides, quos cera tegit ſexangula fetus
Melliferarum apium, ſine membris corpora naſci,
Et ſeroſque pedes, ſeraſque aſſumere pennas?
Junonis volucrem, quæ cauda ſidera portat,
Armigerumque Jovis, Cythereiadaſque columbas,
Et genus omne avium, mediis e partibus ovi
Ni ſciret fieri, quis naſci poſſe putaret?
Sunt qui, cum clauſo putrefacta eſt ſpina ſepulchro,
Mutari credant humanas angue medullas.

In artus fingit. Dat illi membrorum idoneam figuram. Plin. Lib. VIII. cap. 35.

Quantam capit ipſa. Quanta eſt ipſius urſæ matris; non mole, ſed ſitu partium, nexu, ordine.

Cera ſexangula. Favi apium, quæ ſunt illarum quaſi cellæ, ac domunculæ, ſex angulis vulgo conſtant.

Fetus. Apiculas recens in favis editas (nymphas vulgo vocant) ita naſci, ut ſint quaſi corpora ſine membris.

Seros pedes. Sero productos.

Sidera. Orbiculos verſicolores, inſtar ſiderum.

Armigerum Jovis. Aquilam.

Cythereiadas. Sacras Cythereæ, ideſt Veneri.

Mediis e partibus. Vitello.

Angue. Naſci ajunt anguem e ſpinæ dorſi humani medulla. Plin. Lib. X. c. 66.

I X.

Phœnix, chamæleon, & alias id genus.

Hæc tamen ex aliis generis primordia ducunt;
Una eſt, quæ reparet, ſeque ipſa reſeminet, ales:
Aſſyrii phœnica vocant; nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis, & ſucco vivit amomi.
Hæc ubi quinque ſuæ complevit ſæcula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæve cacumine palmæ,
Unguibus & duro nidum ſibi conſtruit ore.

Generis primordia. Originē.

Reſeminet. Iterum producat.

Aſſyrii. Aſiæ populus circa Euphratem, ſupra Palæſtinam.

Lacrymis. Thus, ex arbuſcula, quaſi lacrymante, defluit.

Amomi. Amomum, frutex odoratus.

Ilicis. Quercus.

Quo ſimul ac caſias, & nardi lenis ariſtas,
Quaſſaque cum fulva ſubſtravit cinnama myrrha:
Se ſuperimponit, finitique in odoribus ævum.
Inde ferunt, totidem qui vivere debeat annos,
Corpore de patrio parvum phœnica renaſci.
Cum dedit huic ætas vires, onerique ferendo eſt,
Ponderibus nidi ramos levat arboris altæ,
Fertque piuscunaſque ſuas, patriumq; ſepulchrum:
Perque leves auras Hyperionis urbe potitus,
Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit.
Id quoque, quod ventis animal nutritur, & aura;
Protinus aſſimulat tetigit quoſcunque colores.
Victa racemifero lyncas dedit India Baccho:

Caſias. Caſia, cinnamum, & nardus, ſunt frutices odoris ſuaviſſimi. Nardus frumenti ariſtas imitatur.

Quaſſa. In minimas partes fiſſa: contrita: ut facilius ignem concipiant.

Oneri ferendo &c. Par eſt huic oneri ferendo. Lege Claudianum, qui hoc in argumento multus, & elegans eſt.

Ponderibus nidi &c. Tollit ex arbore, parentis nidum, & ſuas cunas.

Hyperionis urbe. Urbe ſolis. Hanc in Ægypto eſſe docet Plinius: ejus incolæ ſolem venerabantur. Sol Hyperion dicebatur, id nominis a patre ſuo Hyperione, Saturni fratre, Cœli filio, adeptus, facta vox ab ὑπὲρ, *ſupra*; & ἴω, *eo*. Plin. Lib. V. cap. 9. X. cap. 2.

Æde. Templo.

Animal. Chamæleontem vocant. Is nec cibo, nec potu alitur (inquit Plinius Lib. VIII. c. 33.) nec alio, quam aeris alimento. Mutat colorem ſubinde, redditque ſemper, quemcumque proximum attingit, &c. Cum Plinio concinit Ovidius: utrumque decepit fama. Chamælon, ut experientia recens docuit, animal eſt e lacertorum genere, octo, decemve, pollices longum. Non ſolo paſcitur aere, ſed aliis cibis, qui ſi abſint, extinguitur. Illis tamen carere diu poteſt, ob temperationem corporis inſigniter frigidam, & humidam. Ea fit ut pigerrime ſe moveat. Præcipua eſt magnitudo ejus capitis, oculorum & alvi, ſed linguæ præſertim, quæ craſſa etiam, & rotunda. Hanc ſemipede longius ab ore vibrat identidem, nativo madentem viſco, tam tenaci, ut muſcas, locuſtas, & alia id genus inſecta, quibus veſcitur, ſi leviter attigerit, ſiſtat, implicetque. Lætus colorem induit ſmaragdinum, iratus lividum; timidus, flavum, pallidumque. Sæpe varii colores in pelle ſubtiliſſima ſic pinguntur, nihil ut ars, vel natura, moliri poſſit elegantius.

Victa. Bacchus ex India

E quibus, ut memorant, quicquid veſica remiſit,
Vertitur in lapides, & congelat aere tacto.
Sic & coralium, quo primum contigit auras
Tempore, dureſcit, mollis fuit herba ſub undis.
Deſeret ante dies, & in alto Phœbus anhelos
Æquore tinget equos, quam conſequar omnia dictis
In ſpecie translata nova. Sic tempora verti
Cernimus, atque illas aſſumere robora gentes,
Concidere has: ſic magna fuit cenſuque viriſque,
Perque decem potuit tantum dare ſanguinis annos:
Nec humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos oſtendit avorum.
Clara fuit Sparte, magnæ viguere Mycenæ;
Nec non Cecropiæ, nec non Amphionis arces:
Vile ſolum Sparte eſt, altæ cecidere Mycenæ:
Oedipodioniæ quid ſunt, niſi fabula, Thebæ?
Quid Pandioniæ nunc ſunt, niſi nomen, Athenæ?

victa lyncas deportavit. Lib. III. 11.

Quicquid, &c. Urinam lyncum ajunt mutari in lapidem, ſive gemmam, cui nomen Lyncurius.

Coralium. Lib. IV. n. 11. Affirmant urinatores reperiri vulgo jam induratum ſub aqua: licet, ex ea eductum, magis obdureſcat. Inhæret cautibus, arboris ritu; ſine ullis tamen radicibus.

Deſeret. Me deficiet.

Conſequar. Enumerem.

Species. Formas.

Translata. Mutata.

Aſſumere robora. Corroborari. Viris, armis, fama, valeſcere.

Cenſu. Opibus. Cenſus proprie eſt facultatum bonorumque æſtimatio, ſecundum quam vectigal, ſive tributum ſolvitur: vulgo pro fortunis ponitur.

Sparte, *Mycenæ*. Urbes Peloponneſi.

Arces Cecropiæ. Athenæ: quas inſtauravit illarum rex Cecrops: ubi poſtea regnavit Panhion: de quo meminit. Lib. VI.

Amphionis arces. Thebæ. Lib. III. 1. VI. 6.

Oedipodioniæ. Ubi regnavit Oedipus.

Athenæ. Quamvis illæ florerent adhuc ævo Pythagoræ, multum de priſtino tamen ſplendore perdiderant.

X.

Futuram urbis Romanæ amplitudinem Pythagoras canit.

Nunc quoq; Dardaniam fama eſt conſurgere Romam:

Dardaniam Romam. A Trojanis ædificatam: quorum

Appenninigenæ quæ proxima Tybridis undis
Mole ſub ingenti rerum fundamina ponit.
Hæc igitur formam creſcendo mutat: & olim
Immenſi caput orbis erit: ſic dicere vates,
Faticinaſque ferunt ſortes: quantumque recordor,
Dixerat Æneæ, cum res Trojana labaret,
Priamides Helenus flenti, dubioque ſalutis:
Nate Dea, ſi nota fatis præſagia noſtræ
Mentis habes; non tota cadet, te ſoſpite, Troja:
Flamma tibi, ferrumque dabunt iter; ibis, & una
Pergama rapta feres: donec Trojæque, tibique
Externum patrio contingat amicius arvum.
Urbem etiam cerno Phrygios debere nepotes,
Quanta nec eſt, nec erit, nec viſa prioribus annis.
Hanc alii proceres per ſæcula longa potentem,
Sed dominam rerum de ſanguine natus Iuli
Efficiet; quo cum tellus erit uſa, fruentur
Æthereæ ſedes, cœlumque erit exitus illi.

rum dux, & generis auctor, Dardanus. Lib. XIII. 19. Appendic. 13.

Quæ &c. Quæ ad Tyberis, ex Apennino monte fluentis, littus poſita, fundatur operoſe, magno molimine ſtruitur.

Formam mutat. Fit major, augeſcit.

Faticinas ſortes. Oracula, quæ canunt fata: quæ res a fatis deſtinatas indicant.

Sortes. Lib. I. 12.

Recordor. Dixit ſe Trojani belli tempore vixiſſe, & Euphorbum tunc fuiſſe. Supra, num. 3.

Labaret. Jam jam caſura eſſet: ruere inciperet.

Helenus. Supra, Lib. XIV. Virg. III. Æn.

Si nota fatis. Si me peritum augurem noſti: ſi quid mihi futura præſagienti credis.

Et una, &c. Tecum fata Trojæ, & gloriam, a flammis exitioque vindicabis.

Amicius. Fortunatius, benignius.

Urbem debere. Video Phrygum, ſeu Trojanorum, poſteros, a fatis deſtinatos eſſe urbi ædificandæ, quæ cæteras omnes vincat. Proſpicio ejuſmodi civitatem ab iis conditum iri, &c.

Hanc alii &c. Eam urbem alii principes (Reges, conſules, &c.) efficient per longa ſæcula potentiſſimam, augebunt opibus & gloria. Sed illam Orbis dominam reddet Princeps originem ab Julo ducens. Auguſtum Cæſarem innuit.

Quo, cum. Qui poſtquam rerum ſumma potitus fuerit in terris, cœlo donabitur.

Hæc Helenum ceciniſſe Penatigero Æneæ
Mente memor refero, cognataque mœnia lætor
Creſcere, & utiliter Phrygibus viciſſe Pelaſgos.
Ne tamen, oblitis ad metam tendere, longe
Expatiemur equis; cœlum, & quodcumq; ſub illo eſt,
Immutat formas, telluſque, & quicquid in illa eſt.
Nos quoq; pars mundi (quoniam non corpora ſolum,
Verum etiam volucres animæ ſumus, inque ferinas
Poſſumus ire domos, pecudumque in pectora condi)
Corpora quæ poſſunt animas habuiſſe parentum,
Aut fratrum, aut aliquo junctorum fœdere nobis,
Aut hominum certe; tuta eſſe, & honeſta ſinamus:
Neve Thyeſteis cumulemus viſcera menſis.
Quam male conſueſcit, quam ſe parat ille cruori
Impius humano, vituli qui guttura cultro
Rumpit, & immotas præbet mugitibus aures!
Aut qui vagitus ſimiles puerilibus hædum
Edentem jugulare poteſt; aut alite veſci,
Cui dedit ipſe cibos! quantum eſt quod deſit in iſtis

Penatigero. Qui Deos Penates Trojanos in Italiam intulit. Virg. II. Æn.

Cognata. Pythagoras olim Trojanus extiterat. Supra, n. 3. Idcirco Romam vocat cognatam urbem.

Utiliter Phrygibus. Lætor Græcorum victoriam eſſe utilem Trojanis, quibus occaſionem Romæ condendæ offeret.

Ne tamen ... Sed ne a propoſito longius evagemur, aurigarum inſtar, qui relicta meta, longius expatiantur, & aberrant.

Formas. Rerum figuras, corpora, ſtatum.

Nos quoque, &c. Cum ſimus aliqua pars mundi, non debemus ejuſdem mundi partes, nempe animalia, deſtruere.

Volucres animæ. Ab uno domicilio quaſi tranſvolantes in aliud.

Thyeſteis menſis. Dapibus Thyeſtearum ſimillimis. Ut enim Thyeſtes liberorum ſuorum carnes voravit imprudens; ita nos, ſi veſcemur animalibus, abſumemus fortaſſe noſtrorum parentum aut fratrum membra, quorum ſcilicet animæ in hæc animalium corpora migraverint.

Cumulemus. Impleamus.

Quam ſe, &c. Quam prava conſuetudine ſe implicat, quam facilem viam ſibi parat ad humanum cruorem fundendum, qui vitulum interficit!

Quantum eſt... Quam prope abeſt, ea qui facit, a gravi ſcelere admittendo? quam eſt procliviter, ac tranſitus, ab animalium cæde,

Ad plenum facinus? quam tranſitus inde paratus?
Bos aret, aut mortem ſenioribus imputet annis,
Horriferum contra Borean ovis arma miniſtret.
Ubera dent ſaturæ manibus preſſanda capellæ.
Retia cum pedicis, laqueoſque arteſque doloſas
Tollite, nec volucres viſcata fallite virga,
Nec formidatis cervos includite pennis,
Nec celate cibis uncos fallacibus hamos,
Perdite, ſiqua nocent: verum hæc quoque perdite
tantum:
Ora vacent epulis, alimentaque congrua carpant:

cæde, ad homicidium, quod veluti plenum, & abſolutum ſcelus eſt?

Arma. Vellera.

Pennis. Verſicoloribus pennis, aut uſtulatis, e fune in orbem ducto ſuſpenſis, terrebant feras, ac certo ſilvæ ſpatio includebant, ne ſe commoverent: aut fugientes, objecto vano iſto terrore, in vera retia, & pericula compellebant. Adire Lacerdam ne pigeat III. Georg. verſ. 372.

Vacent. Careant epulis ferinis ora veſtra, carnibus abſtineant. Fas ſit occidere nocentes feras: comedere nefas.

Congrua. Homini congruentia.

X I.

Hippolytus in Virbium transformatus.

Talibus atque aliis inſtructo pectore dictis,
In patriam remeaſſe ferunt, ultroque petitum
Accepiſſe Numam populi Latialis habenas.
Conjuge qui felix nympha, ducibuſque Camenis,
Sacrificos docuit ritus, gentemque feroci
Aſſuetam bello pacis traduxit ad artes.
Qui poſtquam ſenior regnumque ævumque peregit,
Extinctum Latiæque nurus, populuſque, patreſque
Deflevere Numam: nam conjux, urbe relicta,

Talibus &c. His Pythagoræ effatis imbutum Numam rediiſſe perhibent in patriam nempe Cures, Sabinorum urbem primariam, unde Crotonem venerat, fama Pythagoræ permotus.

Petitum. Expetitum, electum a Romanis.

Latialis. Latini. Latium, pars Italiæ, ubi Roma.

Nympha. Ægeria.

Sacrificos ritus. Leges & cærimonias ſacrificiorum.

Vallis Aricinæ denſis latet abdita ſilvis;
Sacraque Oreſteæ gemitu, quæſtuque, Dianæ
Impedit. Ah quoties nymphæ nemoriſque lacuſque
Ne faceret monuere, & conſolantia verba
Dixerunt! quoties flenti Theſeius heros
Siſte modum, dixit; nec enim fortuna querenda
Sola tua eſt, ſimiles aliorum reſpice caſus,
Mitius iſta feres; utinamque exempla dolentem
Non mea te poſſent relevare, ſed & mea poſſunt.
Fando aliquem Hippolytum veſtras (puto) contigit aures.
Credulitate patris, ſceleratæ fraude novercæ,
Occubuiſſe neci; mirabere, vixque probabo,
Sed tamen ille ego ſum. Me Paſiphaeia quondam
Tentatum fruſtra patrium temerare cubile,
Quod voluit, finxit voluiſſe, & crimine verſo,
Indiciine metu magis, offenſane repulſæ?

Aricinæ. Arricia, oppidum haud procul Româ, cum ſilva, Dianæ olim ſacra: nunc *L'Ariccia*. Lib. XIV. n. 8.

Sacraque, &c. Impedit ſuis gemitibus, ſuo de morte Numæ luctu, ne pacate fiant Dianæ ſacra, ab Oreſte inſtituta.

Oreſtea. Dianæ ſimulacrum Oreſtes in Latium detuliſſe putabatur e Taurica Cherſoneſo. Lege append. c. 26

Ne faceret. Ne modi oblita, lugere Numam pergeret.

Theſejus heros. Hippolytus, Theſei filius, qui templo ejuſdem Dianæ Aricinæ præerat, ab Æſculapio in vitam revocatus, ut ipſe modo narrat Ægeriæ.

Siſte modum. Impone lacrymis finem; moderate Numam luge.

Querenda. Deploranda.

Utinamque. Utinam alienis te potius exemplis, & calamitatibus conſolari poſſem, quam meis! Sed meis tamen id præſtare poſſunt: Quod mihi contigit, valere poteſt ad tuum dolorem conſolandum.

Fando &c. Audiviſti, credo, quemdam Hippolytum, occidiſſe propter credulitatem patris, & novercæ dolos; mirum tibi videtur, ſi dixero illum vivere, illum ipſum eſſe me. Ita ſe res tamen habet.

Paſiphaeja. Phædra, Paſiphaes filia, Theſei uxor, noverca Hippolyti.

Tentatum &c. De ſtupro interpellatum.

Quod voluit, &c. Finxit me voluiſſe, nempe temerare Theſei torum: Id quod ipſa voluit. Scelus ſuum mihi affinxit.

Crimine verſo. Crimine a ſe rea, in me innocentem, converſo.

Indiciine metu. An timens ne indicarem ipſam patri? an

Arguit; immeritumque pater projecit ab urbe,
Hoſtilique caput prece deteſtatur euntis.
Pitthejam profugo curru Trœzena petebam,
Jamque Corinthiaci carpebam littora ponti,
Cum mare ſurrexit, cumuluſq; immanis aquarum
In montis ſpeciem curvari, & creſcere viſus,
Et dare mugitus, ſummoque cacumine findi.
Corniger hinc taurus ruptis expellitur undis;
Pectoribuſque tenus molles erectus in auras,
Naribus, & patulo partem maris evomit ore.
Corda pavent comitum, mihi mens interrita manſit
Exiliis contenta ſuis. Tum colla feroces
Ad freta convertunt, erectiſque auribus horrent
Quadrupedes, monſtrique metu turbantur, & altis
Præcipitant currum ſcopulis; ego ducere vana
Fræna manu, ſpumis albentibus oblita, luctor;
Et retro lentas tendo reſupinus habenas.
Nec vires tamen has rabies ſuperaſſet æquorum,
Ni rota, perpetuum quæ circumvertitur axem,
Stipitis occurſu fracta, ac disjecta fuiſſet.
Excutior curru; loriſque tenentibus artus,
Viſcera viva trahi, nervos in ſtirpe teneri,

an potius ægre ferens ſe a me repulſam?
Arguit. Accuſavit me apud patrem meum; me reum loco ſuo fecit.
Immeritum. Inſontem.
Hoſtili prece. Diris imprecationibus, quales in hoſtem conjiciuntur, me proſecutus eſt.
Træzenam Pitthejam. Lib. VI. num. 10.
Corinthiaci. Lib. VI. n. 10. V. 11.
Surrexit. Intumuit.
Hinc. Ex illo aquarum cumulo erumpit.
Taurus. Vitulus marinus.
Exiliis &c. Nihil metuens pejus exilio mihi a patre irrogato. Qui magna aliqua premuntur calamitate, fiunt audaces, & impavidi, quia nihil gravius timent.
Ducere. Adducere, flectere.
Vana manu. Quæ frænis equos moderari non poterat.
Luctor. Conor.
Oblita. Infecta, madida.
Lentas. Sequaces; faciles.
Reſupinus. In tergum reflexus.
Has. Meas. Juveniles.
Perpetuum. Continuum: ab una parte currus ad alteram oblique ductum.
Stipitis. Trunci arboris.
Loriſque, &c. Pedibus, manibuſque inter habenas implicatis.

De

Membra rapi partim, partim deprehenſa relinqui;
Oſſa gravem dare fracta ſonum, feſſamque videres
Exhalari animam, nullaſque in corpore partes
Noſcere quas poſſes, unumque erat omnia vulnus.
Num potes, aut audes cladi componere noſtræ
Nympha, tuam? Vidi quoque luce carentia regna,
Et lacerum fovi Phlegethontide corpus in unda:
Nec, niſi Apollineæ valido medicamine prolis,
Reddita vita foret: quam poſtquam fortibus herbis,
Atque ope Pæonia, Dite indignante recepi;
Tum mihi, ne præſens augerem muneris hujus
Invidiam, denſas objecit Cynthia nubes:
Utque forem tutus, poſſemque impune videri,
Addidit ætatem, nec cognoſcenda reliquit
Ora mihi: Cretenque diu dubitavit habendam
Traderet, an Delon; Delo Cretaque relictis,
Hic poſuit; nomenque ſimul, quod poſſit equorum
Admonuiſſe, jubet deponere; quique fuiſti

Deprenſa relinqui. Hærere in arboris trunco infixa, intercepta, & ab aliis divulſa.

Phlegethontide unda. Phlegethon, inferorum fluvius.

Apollineæ prolis. Æſculapii, qui Dianæ precibus motus, Hippolytum excitavit ab inferis, & ea de cauſa percuſſus eſt fulmine à Jove.

Arte Pæonia. Medica. Pæon, medicus inſignis, quem Homerus Lib. V. ſcribit Plutoni ab Hercule vulnerato medicinam feciſſe, pro quolibet medico præſtante accipi ſolet.

Dite. Plutone indigene ferente quod in vitam reſtituerer, ac ſibi eriperer.

Ne præſens &c. Ne inviderent, & indignarentur mihi homines, quod vitæ reſtitutus forem ſingulari privilegio, ſi palam in omnium oculis & ore verſarer; Diana me aliquandiu denſa nube occultavit.

Tutus. A Patre irato.

Impune. Sine hominum offenſione & invidia.

Addidit ætatem, &c. Effecit ut viderer ætate provectior, quam revera ſim: vultum immutavit.

Habendam. Habitandam.

Creten. Creta eſt inſula in aditu maris Ægæi. Delos, una Cycladum, in eodem mari Ægæo.

Hic. In Italia. Ariciæ.

Nomenque. Abſtulit mihi nomen, quod refricare poſſet memoriam æquorum, a quibus diſcerptus fui. Ἱππόλυτος, fit ab ἵππος, *equus* & λύω, *ſolvo*. Lege hæc in Virg. VII. Æneid. verſu 765.

Fuiſti. Vocatus.

Vir-

Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius eſto.
Hoc nemus inde colo, de Diiſque minoribus unus,
Numine ſub dominæ lateo, atque accenſeor illi.

Virbius. Quaſi bis vir, bis vivens, bis natus.
Numine. Tutela.
Accenſeor illi. Inter illius ſacerdotes, clienteſque numeror. Ita legit e vetuſtis, & optimis exemplaribus Heinſius.

XII.

Ægeria in fontem mutata. Tages ex humo natus. Haſta Romuli frondoleſcens. M. Genutii Cippi moderatio.

Non tamen Ægeriæ luctus aliena levare
Damna valent; montiſque jacens radicibus imis
Liquitur in lacrymas, donec pietate dolentis
Mota ſoror Phœbi gelidum de corpore fontem
Fecit, & æternas artus tenuavit in undas.
At nymphas tetigit nova res, & Amazone natus
Haud aliter ſtupuit, quam cum Tyrrhenus arator
Fatalem glebam motis aſpexit in arvis
Sponte ſua primum, nulloque agitante, moveri;
Sumere mox hominis, terræque mittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis.

Aliena damna. Hippolyti exemplum, & calamitas.
Liquitur. Solvitur, diffluit.
Pietate dolentis. Ea pietate, qua Ægeria Numam extinctum lugebat.
Soror Phœbi. Diana.
Amazone natus. Hippolytus, filius Hippolytæ, Amazonum reginæ. Fuerunt illæ mulieres bellicoſæ, quæ ut commodius arma dextro brachio tractarent, dextram ſibi mammam amburebant: unde factum illis nomen, ἀπὸ *ſine*, μάζος *mamma*. Lib. IX.
Arator. Rem narrat Tullius. Lib. II. de Divinatione, his verbis: Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi, cum terra araretur, extitiſſe repente, puerili ſpecie, at ſenili prudentia. Ejus aſpectu cum obſtupuiſſet bubulcus, clamoremque ediđiſſet, concurſum eſſe factum; eum vero multis audientibus, omnem haruſpicinæ doctrinam explicuiſſe.
Fatalem glebam. Prodigioſam.
Oraque &c. Ac vocem recens natam ſolvere ad vaticinandum.

Etru-

Indigenæ dixere Tagen, qui primus Etruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.
Utque Palatinis hærentem collibus olim,
Cum ſubito vidit frondeſcere Romulus haſtam,
Quæ radice nova, non ferro ſtabat adacto;
Et jam non telum, ſed lenti viminis arbor,
Non expectatas dabat admirantibus umbras.
Aut ſua fluminea cum vidit Cippus in unda
Cornua; vidit enim, falſamque in imagine credens
Eſſe fidem, digitis ad frontem ſæpe relatis,
Quæ vidit, tetigit, nec jam ſua lumina damnans;
Reſtitit, ut victor domito veniebat ab hoſte;
Ad cœlumque oculos, & eodem cornua tollens.
Quicquid, ait, Superi, monſtro portenditur iſto,
Seu lætum eſt; patriæ lætum, populoque Quirini;
Sive minax; mihi ſit: viridique e ceſpite factas

Etruſcam. Etruſci, populus Italiæ mediæ, ad mare Tyrrhenum; doctrinam haruſpicum in Latium invexiſſe perhibentur.

Edocuit aperire. Divinandi artem illi tradidit.

Utque &c. Æque ſtupuit Hippolytus, ac Romulus, cum vidit, &c.

Palatinis collibus. Mons Palatinus ad meridiem eſt Capitolini, eique proximus.

Stabat... Nitebatur humi defixa, non cuſpide, ſed radice. Infima pars haſtarum erat acumine ferreo præfixa ut in terram defigi poſſent.

Cippus. Valerius Maximus Lib.V. c.6. hanc hiſtoriam ita refert. M. Genutio Cippo prætori paludato, porta egredienti, ſubito in capite velut cornua emerſerunt. Reſponſum eſt eum regem futurum, ſi in urbem revertiſſet. Quod ne accideret, voluntarium ac perpetuum ſibimet indixit exilium. Cujus teſtandæ rei gratia, cornuti capitis effigies in ærea porta, qua exceſſerat, incluſa eſt.

Aut &c. Haud aliter ſtupuit Hippolytus, quam Cippus, cum &c.

Falſam fidem. Imaginem quæ ipſum in aqua cornutum exhibebat, eſſe falſam credens, & rei fictæ, cui fides adhibenda non eſſet.

Reſtitit. In eodem loco manſit; urbem non ingreſſus eſt, cum rediret ab hoſte victor.

Victor, &c. Prodiiſſe in hoſtes ex urbe ait Valerius Maximus, cum hæc illi nata ſunt cornua: quæ redeunti nata Ovidius canit.

Eodem. Ad idem cœlum.

Seu lætum eſt, &c. Si lætum & fauſtum omen eſt, ſit patriæ lætum, ſit lætum populo Romano: ſi vero eſt minax, & infauſtum, ſit infau-

Placat odoratis herboſas ignibus aras,
Vinaque dat pateris, mactatarumque bidentum
Quid ſibi ſignificent trepidantia conſulit exta.
Quæ ſimul inſpexit Tyrrhenæ gentis haruſpex,
Magna quidem rerum molimina vidit in illis,
Non manifeſta tamen; cum vero ſuſtulit acre
A pecudis fibris, ad Cippi cornua lumen;
Rex, ait, o ſalve; tibi enim, tibi, Cippe, tuiſque
Hic locus, & Latiæ parebunt cornibus arces.
Tu modo rumpe moras, portaſque intrare patentes
Appropera; ſic fata jubent; namque urbe receptus
Rex eris, & ſceptro tutus potiere perenni.
Rettulit ille pedem, torvamque a mœnibus urbis
Avertens faciem; Procul o, procul omnia, dixit,
Talia Dii pellant, multoque ego juſtius ævum
Exul agam, quam me videant Capitolia regem.
Dixit, & extemplo populumque gravemque ſenatum
Convocat; ante tamen capitis nova cornua fronde
Velat, & aggeribus factis a milite forti
Inſiſtit, priſcoſque Deos de more precatus,
Eſt, ait, hic unus, quem vos niſi pellitis urbe,
Rex erit; is qui ſit, ſigno, non nomine, dicam;
Cornua fronte gerit, quem vobis indicat augur,

fauſtum mihi ſoli.

Placat aras. Placat Deos, quibus thura, in altari feſtis frondibus ornato, incendit.

Quirini. Lib. XIV. n.14.

Bidentum. Ovium.

Haruſpex. Hara ſtabulum pecudum ſignificat: haruga, vox vetus, victimam: haruſpex, qui victimarum exta inſpicit. Etruſci, ſive Tyrrheni, hac arte præſtabant.

Magna molimina. Commutationes rerum magnas, indicia novitatis periculoſæ, ac tumultuoſæ.

Fibris. Viſceribus, cordis, jecoris, &c. extremæ partes appellantur fibræ. Cum igitur Haruſpex oculos a victimarum extis retulit ad illa, quæ extabat in Cippi fronte, cornua.

Lumen. Oculos.

Rex. Regem appellat cui regnum a fatis videbat promitti. *Hic locus.* Roma.

Procul... Avertant hoc nefas Superi, quod iſtæ victimæ portendunt.

Fronde. Plerique codices ſcribunt: *Pacali cornua lauro velat*: nempe poſt relatam victoriam.

Aggeribus. Stetit in alto aggere, ut ab omnibus audiretur; in humo a militibus ex tempore aggeſta.

Quem &c. Hunc ſignificant augures, ſi Romam ingre-

Si Romam intrarit, famularia jura daturum.
Ille quidem potuit portas irrumpere apertas,
Sed nos obſtitimus, quamvis conjunctior illo
Nemo mihi eſt. Vos urbe virum prohibete Quirites:
Vel, ſi dignus erit, gravibus vincite catenis,
Aut finite metum fatalis morte tyranni.
Qualia ſuccinctis, ubi trux inſibilat Eurus,
Murmura pinetis fiunt, aut qualia fluctus
Æquorei faciunt, ſi quis procul audiat illos,
Tale ſonat populus: ſed per confuſa frementis
Verba tamen vulgi, vox eminet una, Quis ille eſt?
Et ſpectant frontes, prædictaque cornua quærunt.
Rurſus ad hos Cippum, Quem poſcitis, inquit; habetis.
Et dempta capiti, populo prohibente, corona,
Exhibuit gemino præſignia tempora cornu.
Demiſere oculos omnes, gemitumque dedere,
Atque illud meritis clarum (quis credere poſſit?)
Inviti videre caput: nec honore carere
Ulterius paſſi, feſtam impoſuere coronam.
At proceres, quoniam muros intrare vetaris,
Ruris honorati tantum tibi, Cippe, dedere,
Quantum depreſſo ſubjectis bobus aratro
Complecti poſſes ad finem lucis ab ortu:

grediatur, vobis impoſiturum ſerviles leges; vobis, ut ſervis, imperaturum.

Nos... Ego impedivi, ne urbem iniret.

Succinctis pinetis. Lib. X. num. 3. Pinetum, locus eſt pinis conſitus.

Et ſpectant, &c. Unuſquiſque vicini ſui frontem circumſpicit.

Populo prohibente. Qui coronam, ut mos victoribus erat lauream ejus capiti impoſitam auferri vetabat.

Quis credere poſſet. Hominem tam bene de populo meritum, ab eo non æquis oculis ſpectatum fuiſſe?

Inviti. Regium nomen apud Romanos invidioſum & inviſum erat, ex quo regia poteſtate Tarquinius Superbus erat abuſus.

Feſtam. Floream, ut ſolebat diebus feſtis, ac lætis, ferri: ſic ejus virtutem honorabant; vel: repoſuerunt ejus capiti laureā, quā abjecerat.

Honorati. Honoris cauſa attributi.

Complecti. Arando circumire.

Ad finem, &c. Ab ortu ſolis,

Cornuaque ætatis miram referentia formam
Poſtibus inſculpunt, longum menſura per ævum.

ſolis, ad occaſum.
Æratis poſtibus. Portæ Romanæ, quæ erant ex ære. Lege Valer. loco citato.
Miram, *&c*. Caput humanum, cum gemino cornu, inſculpſerunt illi portæ: quæ imago exprimebat cornutum, & mirum Cippi caput.
Manſura. Ad æternum rei geſtæ monumentum.

XIII.

Æſculapius in anguem verſus.

Pandite nunc, Muſæ, præſentia numina vatum,
(Scitis enim, nec vos fallit ſpatioſa vetuſtas)
Unde Coroniden circumflua Tybridis alti
Inſula Romuleæ ſacris adjecerit urbis.
Dira lues quondam Latias vitiaverat auras,
Pallidaque exangui ſqualebant corpora morbo.
Funeribus feſſi poſtquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes poſſe medentum,
Auxilium cœleſte petunt, mediamque tenentes
Orbis humum Delphos adeunt oracula Phœbi;
Utque ſalutifera miſeris ſuccurrere rebus
Sorte velit, tantæque urbis mala finiat, orant
Et locus, & laurus, & quas habet ipſe, pharetræ

Præſentia. Amica, potentia.
Vos fallit. Vobis ignota eſt.
Spatioſa. Diuturna.
Unde, *&c*. Qua de cauſa, quomodo, Æſculapius (Apollinis e Coronide filius) venerit in inſulam Tiberinam, & in numerum Deorum, qui Romæ coluntur, adſcitus fuerit.
Adjecerit. Alii, adſciverit. De Æſculapio conſule Pierium. Lib XVI.
Inſula. Tiberis, partem extremam Romæ, verſus occaſum præterfluens, efficit exiguam inſulam, quæ nunc a S. Bartholomæo nomen habet, Huic inſulæ imminet Janiculum, in quo templum S. Petri, cognomine Montorii. Vide Alex. Donatum Lib. I. c. 6.
Tentamenta. Experimenta, remedia.
Mediamque &c. Adeunt Delphos, ubi oracula Phœbi, qui Delphi tenent, occupant, mediam orbis regionem. Lib. X. n. 4.
Sorte. Oraculo. Lib. I. n. 12.
Locus. Templum Apollinis.
Laurus. Qua erat Apollo redimitus.
Ipſe. Apollo: ejus ſtatua,

Intremuere ſimul, cortinaque reddidit imo
Hanc adyto vocem, pavefactaque pectora movit.
Quod petis hinc, propiore loco, Romane, petiſſes;
Et pete nunc priore loco; nec Apolline vobis,
Qui minuat luctus, opus eſt; ſed Apolline nato.
Ite bonis avibus, prolemque accerſite noſtram.
Juſſa Dei prudens poſtquam accepere ſenatus,
Quam colat explorant juvenis Phœbeius urbem,
Quique petant ventis Epidauria littora mittunt.
Quæ ſimul incurva miſſi tetigere carina;
Concilium, Grajoſque patres adiere, darentque
Oravere Deum, qui præſens funera gentis
Finiat Auſoniæ; certas ita dicere ſortes.
Diſſidet, & variat ſententia, parſque negandum
Non putat auxilium; multi retinere, ſuamque
Non emittere opem, nec numina tradere ſuadent.
Dum dubitant, ſeram pepulere crepuſcula lucem,
Umbraque telluris tenebras induxerat orbi;
Cum Deus in ſomnis opifer conſiſtere viſus

Cortina. Erat menſa quædam, ſeu tripus, in adyto templi Delphici: huic inſiſtens vates fundebat oracula. Cortinam autem dictam volunt a corio Pythonis ſerpentis, ab Apolline interfecti, quo tecta erat hæc menſa, ſive ſella tripes.

Hinc. Delphis.

Propiore loco. Epidaurus ſignificatur, quæ civitas eſt in Peloponneſo, celebris templo Æſculapii. Lib. VII. n. 11. Non videtur tamen Italia prior, quam Delphi.

Nec... Non indigetis medico Apolline, ſed Apollinis filio.

Bonis avibus. Bonis ominibus. Lib. VI. num. 10.

Accepere ſenatus. Nomina multitudinem ſignificantia, licet ipſa numeri ſingularis, junguntur ſæpe cum verbis pluralis numeri; ut, turba ruunt; pars cenſent.

Colat. Habitet.

Juvenis. Æſculapius. Lib. II. 13. 14.

Concilium. Senatum Græcum.

Certas ita dicere ſortes. Romani legati affirmant certo oraculo id ſibi imperatum fuiſſe; jubere omnino ac velle Apollinem, ut Æſculapius Romæ laboranti ſuccurrat.

Sortes. Lib. I. num. 12.

Diſſidet. Diſſentiunt Epidaurii.

Opem. Præſidium, & quaſi Palladium.

Crepuſcula. Lib. I. 9. Veſper diem expulit.

Ro-

Ante tuum, Romane, torum; ſed qualis in æde
Eſſe ſolet; baculumque tenens agreſte ſiniſtra,
Cæſariem longæ dextra deducere barbæ,
Et placido tales emittere pectore voces;
Pone metum, veniam, ſimulacraq; noſtra relinquam:
Hunc modo ſerpentem, baculum qui nexibus ambit,
Perſpice? & uſque nota, viſum ut cognoſcere poſſis.
Vertar in hunc; ſed major ero; tantuſque videbor,
In quantum verti cæleſtia corpora debent.
Extemplo cum voce Deus; cum voce, Deoque
Somnus abit, ſomnique fugam lux alma ſecuta eſt.
Poſtera ſidereos Aurora fugaverat ignes,
Incerti quid agant proceres ad templa petiti
Conveniunt operoſa Dei, quaque ipſe morari
Sede velit, ſignis cæleſtibus indicet, orant.
Vix bene deſierant; cum criſtis aureus altis
In ſerpente Deus prænuncia ſibila miſit,
Adventuque ſuo ſignumque, araſque, foreſque,
Marmoreumque ſolum, faſtigiaque aurea movit;
Pectoribuſque tenus media ſublimis in æde

Romane. Senator quiſpiam indicatur, legatus Roma miſſus.

Baculum &c. Baculum & barba dantur Æſculapio, quia eſt ſenior. Commendat medicos experientia, atque adeo ætas provectior. Præterea valetudinem ingraveſcentem ars medica fulcit, ſuſtentatque; ut ſcipio ſeniles artus ſuſtinet, ac regit.

Æde. Templo.

Deducere. Ut ſolent qui barbam mulcent; ſubaudiendum porro, & repetendum e tertio retro verſu, viſus eſt.

Simulacra &c. Aliam ſpeciem induam, atque illam quam in ſtatuis vulgo meis habeo. Vel: exibo a mea ſtatua, unde oracula promere conſuevi.

Serpentem. Dicatus erat Æſculapio ſerpens, utpote ſymbolum ſanitatis, & ſalutis. Pier Lib. XVI.

Uſque nota. Diu & attente circumſpice.

In quantum &c. Eam magnitudinem ſumam, quæ Deos, cum aliena induunt corpora decet.

Operoſa. Opere magno, & ſumptu, ſtructa.

Qua ſede. Romæ, an Epidauri.

Criſtis. Vide Lib. III. nu. 1.

Prænuncia. Cum audita ſunt ſibila Dei in ſerpentem converſi, ipſum adventare ſignificantia.

Signum. Suam ipſius ſtatuam.

Pectoribus &c. Erexit ſe ſupra ſolum, uſque ad pectus.

Vitta-

Conſtitit, atque oculos circumtulit igne micantes
Territa turba pavet. Cognovit numina, caſtos
Evinctus vitta crines albente, ſacerdos,
Et, Deus eſt, Deus eſt, animis linguiſque favete,
Quiſquis ades, dixit; ſis, o pulcherrime, viſus
Utiliter, populoſque juves tua ſacra colentes.
Quiſque adeſt viſum veneratur numen, & omnes
Verba ſacerdotis referunt geminata, piumque
Æneadæ præſtant & voce & mente favorem.
Annuit his, motiſque Deus rata pignora criſtis,
Et repetita dedit vibrata ſibila lingua.
Tum gradibus nitidis elabitur, oraque retro
Flectit, & antiquas abiturus reſpicit aras,
Aſſuetaſque domos, habitataque templa ſalutat.
Inde per injectis adopertam floribus ingens
Serpit humum, flectitque ſinus, mediamque per urbem
Tendit, & incurvo munitos aggere portus.
Reſtitit hic, agmenque ſuum, turbæque ſequentis
Officium, placido viſus dimittere vultu,
Corpus in Auſonia poſuit rate. Numinis illa
Senſit onus, preſſaque Dei gravitate carina,
Æneadæ gaudent, cæſoque in littore tauro,
Torta coronatæ ſolvunt retinacula navis.

Vitta. Tænia alba.
Animis &c. Taciti conſiſtite: verbum mali ominis nullum proferte: ſenſus pios animo induite: precibus incumbite. Vide Horat. Lib. III. Od. 1.
Sis viſus utiliter. Aſpectus tuus nobis fælix, fauſtuſque ſit.
Piumque &c. Et Romani pie favent linguis, animiſque.
Annuit his &c. Viſus eſt capitis nutu, & motu criſtarum, probare populi preces, & certa ſui favoris ſigna dedit.
Gradibus. Aræ: templi.
Adopertam. Tectam, inſtratam.
Sinus. Corporis volumina, & ſpiras.
Dimittere. Populo dare veniam abeundi: officioſam turbam dimittere.
Æneadæ. Romani, ab Ænea oriundi.
Coronatæ. Floreis corollis ornatæ.

Æſcu-

XIV.

Æſculapius Romam defertur.

Impulerat levis aura ratem, Deus eminet alte,
Impoſitaque premens puppim cervice recurvam
Cæruleas deſpectat aquas, modiciſque per æquor
Ionium Zephyris, ſextæ Pallantidos ortu,
Italiam tenuit, præterque Lacinia templo
Nobilitata Deæ, Scyllæaque littora, fertur.
Linquit Japygiam, læviſque Amphyſſia remis
Saxa fugit; dextra prærupta Cenynia parte,
Romechiumque legit, Caulonaque, Nariciamque
Evincitque fretum, Siculique anguſta Pelori,
Hippotadæque domos regis, Temeſeſque metalla,

Deſpectat. Ab alta navi proſpicit.

Modicis Zephyris. Leni vento adſpirante.

Æquor Ionium. Inter Epirum, Peloponneſum, & Italiam.

Pallantidos. Auroræ; Pallantis filiæ.

Lacinia Littora. Templo Junonis Laciniæ celebrata: Supra num.1.

Scyllæa littora. Ubi viſitatur Scylla, ſaxumque Scyllæum. Lib.XIV. n.1. *Scylaceaque* legendum, aſſentior Heinſio. Eſt enim Scylaceus ſinus (*il Golfo di Squilaci*) in ora Calabriæ citerioris, prope Lacinium promontorium, de quo proxime locutus eſt Vates.

Japygiam. Supra, n.1.

Amphyſſia ſaxa. Amphyſſe, urbs Italiæ, cujus obſcurum nomen, & oblitterata veſtigia.

Cenynia prærupta. Cenys diſerte a Plinio nominatur, Italiæ promontorium, e regione Pelori.

Romechium. Oppidum inter Locros, & Caulonem.

Legit. Præterit, littus legendo.

Caulona. Caulon, mons & oppidum Calabriæ: *Caſtel vetere*.

Nariciam. Erat civitas Italiæ in Brutiis, ſive Magna Græcia, Locri quoque nominata, qui fuerat a Locris Nariciis ædificata. Nunc reſtat ſolum turris: locus *Palepoli* ab indigenis appellatur.

Evincit. Superat ægre; præterit.

Pelori. Lib. V. n.10.

Hippotadæ domos. Æolias inſulas, regnum Æoli, Hippotæ filii, aut nepotis. Lib.XIV. 2.

Temeſes metalla. Urbem Temeſen, ſive Tempſam, ubi æris fodinæ, quas ſub tempore exhauſtas Strabo narrat. Ejus rudera hodie dicuntur *Torre loppa*, in Calabria citeriori, ad oram Tyrrheni maris.

Leucoſiamque petit, tepidique roſaria Pæſti:
Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ,
Et Surrentino generoſos palmite colles;
Herculeamque urbem; Stabiaſque & in otia natam
Parthenopen: & ab hac Cumææ templa Sibyllæ.
Hinc calidi fontes, lentiſciferumque tenetur
Linternum, multamque trahens ſub gurgite arenam
Vulturnus, niveiſque frequens Sinveſſa colubris,

Leucoſiam. Inſulam, contra Pæſtanum ſinum, in Lucania: *La Licoſa*.

Pæſti. Pęſtum, urbs olim Lucaniæ, nunc regni Neapolitani: *Peſti*, ſeu *Pieſti*: ubi cœlum tepidum: & ſudum, roſas egregias, & præcipuæ nobilitatis flores alit.

Capreas. Inſulam e regione ſinus Puteolani, ubi Tiberius fere morabatur, ut in libidinum ſuarum diverſorio: *Capri*.

Promontorium Minervæ. Vicinum eſt Surrento. In ejus extremo apice viſebatur Atheneum, ſive ſacellum Minervæ.

Surrentino. Surrentum Italiæ civitas, in Campania. *Sorrento*, vel *Sorriento*. Ager vino præſtanti abundat.

Herculeam urbem. Herculanum vulgo, ſeu Heraclea, dicitur. Erat in eadem Campania Italica; nunc vicus, ad radices montis Veſuvii, *La Torre del Greco*.

Stabias. Urbem Campaniæ, in ora maris Tyrrheni, nunc epiſcopi ſedes eſt, in regno Neapolitano. *Caſtel a mare di Stabia*.

In otia natam. Hoc litus frequentabant Romani, a gravioribus negotiis ſe riantes, ob loci amænitatem.

Parthenopen. Neapolim Lib. XIV. n.3.

Ab hac. Poſt Neapolim.

Cumææ. Cumæ, urbs olim Campaniæ, a Saracenis exciſa, anno 1207. Nunc ejus rudera dicuntur *Cuma diſtrutta*, in colle. De Sibylla dictum Lib. 14. num. 3.

Calidi fontes. Bajani. Bajæ, *Baja*, oppidum olim littoris Campani, amænissimum, & balneis calidis præditum. In eadem Campania erat Linternum: ibi plurima naſcitur lentiſcus, arbor humilis, flavos edens flores. Extant adhuc Linterni veſtigia, ad oſtia fluvii Linterni, ſive Clanis. Locus vocatur, *Torre di Patria*.

Tenetur. Auditur: legitur.

Vulturnus. Campaniæ flumen: *il Voltorno*. Sinveſſa, urbs, in eadem olim Campania: Minturnæ, in Latio: graves dicuntur, ob cœlum, & ſolum paludoſum: nunc ſunt dirutæ.

Colubris. Negat Heinſius divinare ſe quorſum hic fiat mentio de colubris. Itaque reponit, *Columbis*, quas in Campania Romana Plinius laudat. Lib. X. c. 37.

Et

Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus, Trachaſque obſeſſa palude,
Et tellus Circæa, & ſpiſſi littoris Antium.
Huc ubi veliferam nautæ advertere carinam:
(Aſper enim jam pontus erat) Deus explicat orbes,

Et quam. Cajeta, ubi nutricem Æneas ſepelivit. Virg. l. VII. Æn. *Gaeta*. Eſt in regno Neapolit. cum duplici arce, & amplo portu.

Antiphatæ domus. Formiæ, ubi regnavit Antiphates, rex Læſtrigonum. Lib. XIV. n. 6.

Trachas. Tarracina, quam ambiit Pontina palus, *le Paludi Pontine*. Trachadis nomen invenit a ſcopulis, quibus impoſita erat: idque vox ipſa indicat, ducta ſcilicet a Græco τραχὺς, τραχεῖα *aſper*, *arduus*: nunc vocatur *Terracina*, in regno Neapol. olim Anxur etiam dicebatur.

Tellus Circæa. Circæum, ſive Circæi, oppidum Latii, ubi Circe habitavit. Lib. XIV. n. 6. olim in monte poſitum, cinto Pontinis paludibus, *Monte Circello*. In ejus ruinis viſitur hodie caſtrum *S. Felice* nominatum.

Spiſſi littoris. Nemoroſi.

Antium. Urbs Latii, non procul Roma: *Anzio*, ſive *Anzo*: Volſcorum olim caput, nunc everſum per Saracenos, jacet. Crevit ex ejus ruinis Neptunium, *Nettuno*, in Tyrrheno littore. Porro in hoc verſu legendum eſt Antium, diſſillabum, ita ut duæ poſtremæ ſyllabæ contrahantur in unam: aut ultima in ſequentem reiicienda eſt verſum, & elidenda utrumque poetis familiare: ſic Horatius vocem *conſilium*, triſyllabam extulit, lib. III. Od. *Deſcende cœlo*, &c. & vocem, *principium*. Ode 6. Lib. III. Virgilius *humorem* in fine verſus Hexametri, nec non *horrida*, poſuit. Ea tamen difficultate interpretes victi, lectionum variarum monſtra finxerunt. Certe Valerius Maximus teſtatur legatos Epidaurum miſſos, Antium appuliſſe, ibique per triduum in templo Æſculapii conſtitiſſe. Lib. I. c 6. Ciofanus, & Puntanus, legunt: *Spiſſi littoris Anxur* (Eſt Anxur, ut diximus, urbs Italiæ: nunc *Terracina*) obliti factam eſſe iam ab Ovidio mentionem Terracinæ, in præcedenti verſu. Porro cultum Solem fuiſſe Antii, atque adeo templum Apollinis ibi extitiſſe, docent vetera monumenta, & inſcriptiones ibidem repertæ, cum Innocentii XII. juſſu, portus Antii reparatus fuit, anno MDCXCIX. id planum fecit Philippus a Turre, Epiſcopus Hadrienſis, vir de litteris optime meritus, & inveſtigator antiquitatis longe ſagaciſſimus; qui pretioſis e ruderibus, digeſtis, & explicatis, oſtendit Solem ab Antiatibus ſub nomine Mythræ, adoratum fuiſſe.

Aſper. Procelloſus.

Perque ſinus crebros, & magna volumina labens,
Templa parentis init, flavum tangentia littus.
Æquore placato patrias Epidaurius aras
Linquit, & hoſpitio juncti ſibi numinis uſus,
Littoream tractu ſquamæ crepitantis arenam
Sulcat, & innixus moderamine navis, in alta
Puppe caput poſuit: donec Caſtrumque ſacraſque
Lavini ſedes, Tiberinaque ad Oſtia venit.

Sinus. Spiras.

Parentis. Apollinis.

Juncti. Conſanguinei. Phœbi, parentis ſui.

Moderamine navis. Gubernaculo.

Caſtrum. Oppidum in ora maris Tyrrheni, prope rudera Veliæ, nunc *Caſtello a mare della Brucca*. Sunt alia ejuſdem nominis oppida, in eodem littore.

Lavini. Lavinium, *Lavinia*, civitas Latii.

Sacras. Propter conditorem Æneam, Divis adſcriptum: aut propter templum Veneris, ibi conditum.

Oſtia. In Oſtio Tiberis urbs ædificata, nomen habuit Oſtia, quod adhuc ſervat.

X V.

Æſculapius in inſula Tiberina collocatus.

Huc omnis populus paſſim, matrumque patrumq;
Obvia turba ruit, quæque ignes Troica ſervat
Veſta, tuos; lætoque Deum clamore ſalutant.
Quaque per adverſas navis cita ducitur undas,
Thura ſuper ripas, aris ex ordine factis,
Parte ab utraque ſonant, & odorant aera fumis,
Ictaque conjectos incalfacit hoſtia cultros,
Jamque caput rerum Romanam intraverat urbem,

Quæque... Et turba, quæ tuum, o Troiana Veſta, ignem ſervat. Ideſt: Adfuerunt etiam virgines Veſtales. Illæ perpetuum ignem alebant, ac Veſtam, ignis præſidem, colebant, more & ritu ab Ænea Troianiſque deducto. Hinc *Troica* dicitur. Appendicem conſule.

Adverſas. Quippe a mari petebant Romam adverſo flumine.

Sonant. Injecta flammis cum ſtrepitu.

Odorant. Vaporant.

Conjectos. In ſinum adactos.

Incalfacit. Calefacit.

Caput rerum. Urbiū princi-

Erigitur ſerpens, ſummoque acclivia malo
Colla movet, ſedeſque ſibi circumſpicit aptas.
Scinditur in geminas partes circumfluus amnis:
(Inſula nomen habet) laterumque a parte duorum
Porrigit æquales, media tellure, lacertos.
Huc ſe de Latia pinu Phœbeius anguis
Contulit: & finem, ſpecie cœleſte reſumpta,
Luctibus impoſuit, venitque ſalutifer urbi.

cipem: orbis dominam.

Acclivia malo. Circa malum repentia.

Nomen habet. Ipſius amnis nomen: vocatur inſula Tiberina.

Lacertos. Alveos: ita ut inter utrumque tellus media ſit. *Pinu*. Navi.

Phœbejus. Æſculapius, Phœbi filius.

Specie cœleſte reſumpta. Depoſita ſerpentis forma, & cœleſti forma rurſum ſumpta. Cœleſte, pro cœleſti ſcriptum eſt, poetico more.

XVI.

C. Julii Cæſaris laudes. Veneris luctus imminentem illi necem proſpicientis.

Hic tamen acceſſit delubris advena noſtris;
Cæſar in urbe ſua Deus eſt, quem Marte togaque,
Præcipuum, non bella magis finita triumphis,
Reſque domi geſtæ, properataque gloria rerum,
In ſidus vertere novum, ſtellamque comantem,
Quam ſua progenies. Nec enim de Cæſaris actis

Hic. Æſculapius.

Advena. Externus, & peregrinus Deus, in templa noſtra venit.

Cæſar. C. Jul. Cæſar.

Sua. Non hoſpes, & advena, ſed indigena, inter ſuos, colitur: in ſua Roma. Poſt obitum relatus inter Deos fuit.

Marte togaque. Pace, & bello, clariſſimum. Togam in urbe & otio gerebant, ſagum in militia, ſeu chlamydem.

Finita triumphis. Quorum bellorum non alius exitus fuit, quam triumphus.

Properata. Breviſſimo tempore parta. Periit enim ſexto & quinquageſimo ætatis anno. Sveton. c.88.

Id ſidus... Cum Auguſtus ludos in honorem C. Julii Cæſaris, in ſenatum occiſi, celebraret, apparuit ſtella crinita, ſeu cometes, in quem mutatum Cæſarem, cœloque inſertum, ipſe ſibi populoque perſuaſit.

Quam ſua progenies. Ut in ſidus verteretur Cæſar meruit, non magis tot rebus

Ullum majus opus, quam quod pater extitit hujus.
Scilicet æquoreos plus eſt domuiſſe Britannos,
Perque papyriferi ſeptemflua flumina Nili
Victrices egiſſe rates, Numidaſque rebelles,
Cinyphiumque Jubam, Mitridateiſque tumentem
Nominibus Pontum, populo adjeciſſe Quirini,
Et multos meruiſſe, aliquos egiſſe triumphos;
Quam tantum genuiſſe virum, quo præſide rerum,
Humano generi, Superi, faviſtis abunde
Ne foret hic igitur mortali ſemine cretus,
Ille Deus faciendus erat. Quod ut aurea vidit

præclare geſtis, quam adoptando Cæſarem Auguſtum.

Pater. Adoptione. Erat enim Auguſtus genitus C. Octavio, & Accia, filia Juliæ, ſororis C. Julii Cæſaris.

Scilicet. Ironice hæc dicuntur: Quaſi vero plus eſſet Britanniam domuiſſe, Ægyptum victrici claſſe luſtraviſſe, Jubam in Mauritania, Pharnacem, Mithridatis filium, in Ponto profligaſſe, quam Auguſtum filium habuiſſe.

Æquoreos. Anglia mari cingitur.

Victrices. Cæſar, victo Pompeio, Alexandriam petiit, ubi victo, extinctoque, Ptolemæo, Ægypti rege, cujus inſidiis pene oppreſſus fuerat, regnum Cleopatræ, ejus ſorori tradidit.

Papyriferi. Papyrus, Ægypti arbuſcula, cujus philyra, ſive cortex tenuis, uſum chartæ veteribus præbuit.

Numidas. Africæ populum.

Cinyphium. Africanum. Lib. V. num. 4.

Jubam. Regem Mauritaniæ, qui L. Scipione & Catone auctoribus, bellum civile in Africa inſtaurabat. Res geſtas Cæſaris apud Svetonium lege.

Nominibus. Victoriis, fama. Mithridates enim per annos 40. bellum geſſerat cum Romanis, quibus magnas intulerat clades. Ejus filius Pharnaces, in populi Rom. fines irrumpens, a Cæſare illuc ex Ægypto advolante, primo impetu debellatus eſt, & Pontus, ejus regnum, Romanæ ditioni additus. Ibi Cæſar exclamavit: *Veni, vidi, vici*.

Populo Quirini. Romano Imperio. Hujus conditor, Romulus, cui nomen etiam Quirino fuit. Libro XIV. num. 14.

Aliquos. Egit quinque primum de Pompeio. 2. de Ptolemæo. 3 de Pharnace. 4. de Juba. 5. de Pompeji filiis.

Quo præſide, &c. Quem orbi Principem cum dediſtis, o Superi, maximo beneficio mortales affeciſtis.

Hic. Auguſtus. Ne merum hominem haberet patrem, oportuit C. Julium Cæſarem in Deos referri.

Ge-

Æneæ genitrix, vidit quoque triſte parari.
Pontifici letum, & conjurata arma moveri.
Palluit; & cunctis, ut cuique erat obvia, divis,
Aſpice, dicebat; quanta mihi mole parentur
Inſidiæ, quantaque caput cum fraude petatur,
Quod de Dardanio ſolum mihi reſtat Iulo.
Solane ſemper ero juſtis exercita curis?
Quam modo Tydidæ Calydonia vulneret haſta:
Nunc male defenſæ confundant mœnia Trojæ:
Quæ videam natum longis erroribus actum
Jactarique freto, ſedeſque intrare ſilentum,
Bellaque cum Turno gerere; aut, ſi vera fatemur,
Cum Junone magis. Quid nunc antiqua recordor
Damna mei generis? timor hic meminiſſe priorum
Non ſinit: in me acui ſceleratos cernitis enſes,
Quos prohibete, precor, facinuſque repellite, neve
Cæde ſacerdotis flammas extinguite Veſtæ.

Genitrix. Venus.
Pontifici. Julio Cæſari, qui Pontifex Maximus erat.
Caput. Unus vir, qui ſolus ex Julii ſtirpe reſtat.
Julo. Æneæ filio, a quo gens Julia ducebat originem.
Quam &c. Quæ modo a Diomede vulnerer, modo pudore afficiar, ob Trojam male a Trojanis defenſam, & a Græcis everſam.
Tydidæ. Diomedes Venerem, quæ filium Æneam defendebat, vulneravit in bello Trojano. Lib. XIV. 10.
Calydonia. Lib. VI. n. 10.
Junone. Quæ Trojanis, & Æneæ, ſemper infenſa.
Quid nunc ... Quid neceſſe eſt vetera meorum infortunia commemorare?
Timor hic. De conjuratione in Cæſarem ſuſcepta. Recens iſtud malum, longe graviſſimum, facit ut priora, & vetera obliviſcar.
In me. In meum Cæſarem.
Veſtæ. Nolite pati ut extinguatur Cæſaris ſanguine ignis Veſtæ. Hujus Cæſar ſacerdos erat. De Veſta mentio fit Append. cap. 2.

XVII.

Prodigia necem Cæſaris præmonſtrant.

Talia nequicquam toto Venus anxia cœlo
Verba jacit, Superoſque movet, qui rumpere quanquam.
Ferrea non poſſunt veterum decreta ſororum,

Sororum. Parcarum. Veteres vocat, quia ſuum ab Or-

Signa tamen luctus dant haud incerta futuri.
Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribileſque tubas, auditaque cornua cœlo
Præmonuiſſe nefas: ſolis quoque triſtis imago
Lurida ſollicitis præbebat lumina terris.
Sæpe faces viſæ mediis ardere ſub aſtris,
Sæpe inter nimbos guttæ cecidere cruentæ.
Cærulus, & vultum ferrugine Lucifer atra
Sparſus erat, ſparſi lunares ſanguine currus.
Triſtia mille locis Stygius dedit omnia bubo:
Mille locis lacrymavit ebur, cantuſque feruntur
Auditi, ſanctis & verba minantia lucis.
Victima nulla litat, magnoſque inſtare tumultus
Fibra monet, cæſumque caput reperitur in extis.
Inque foro, circumque domos, & templa Deorum
Nocturnos ululaſſe canes, umbraſque ſilentum
Erraviſſe ferunt, motamque tremoribus urbem.
Non tamen inſidias, venturaque vincere fata
Præmonitus potuere Deum, ſtrictique feruntur

be condito munus adminiſtrabant.

Ferrea decreta. Quæ nemo poteſt infringere. Dura, triſtia.

Luctus futuri. Mortis luctuoſæ, imminentis Cæſari.

Ferunt. Perhibent. Lege Virgil. lib. I. Georg. verſ. 474.

Sub aſtris. In aere, ubi cometæ, & alia meteora ſpectantur.

Ferrugine. Colore nigro, qualis eſt ferri. Lib. II. 18.

Lucifer. Lib. II. n.3.

Stygius. Feralis, funeſtus.

Bubo. Lib.VI. n.10.

Ebur. Statuæ ex ebore, ita ſudarunt, quaſi lacrymarentur.

Sanctis. Lucus, erat ſylva Numini cuipiam conſecrata.

Litat. Propitios Deos eſſe ſignificat. Litare proprie dicitur, qui ſacrificio Numen placat, conciliatque.

Fibra. Viſcera pecudum immolatarum. Supra, numer. 12.

Cæſum caput. Quando victimæ viſcera, verbi gratia, cor, hepar, ſine capite reperiebantur, peſſimum cenſebatur omen, ac mortis præſagium.

Silentum. Mortuorum: Manium. Libro I. numero 16.

Tremoribus. Terræ motibus.

Præmonitus. Prævia monita.

Feruntur. A conjuratis portantur.

Tem-

In templum gladii: nec enim locus ullus in urbe
Ad facinus, diramque placet, niſi curia, cædem

Templum. Curiam Pompeji, ubi Cæſar interfectus eſt, vocat templum, quia curia, ſacer locus cenſebatur, & haberi ſenatus in templis ſolebat. Fuit autem cæſus Idibus Martii, tribus & viginti vulneribus: uno tantum letali annum ætatis ſextum, & quinquageſimum agebat. Cædis cauſas, & modum exponit Svet. num. 81. &c. Idem argumentum tractant Virgil. Ecl. 5. Hor. Lib. I. Od. 2.

XVIII.

Jupiter Venerem conſolatur, eique fata, & Auguſti felicitatem aperit.

Tum vero Cytherea manu percuſſit utraque
Pectus, & ætherea molitur condere nube:
Qua prius infeſto Paris eſt ereptus Atridæ,
Et Diomedeos Æneas fugerat enſes.
Talibus hanc genitor: Sola inſuperabile fatum
Nata, movere paras? intres licet ipſa ſororum
Tecta trium, cernes illic molimine vaſto
Ex ære, & ſolido rerum tabularia ferro;
Quæ neque concuſſum cœli, neque fulminis iram,
Nec metuunt ullas, tuta atque æterna, ruinas.
Invenies illic inciſa adamante perenni
Fata tui generis: legi ipſe, animoque notavi,
Et referam, ne ſis etiamnum ignara futuri.

Condere. Occultare Cæſarem, & conjuratis eripere.

Qua prius. Quemadmodū Paridem cum Menelao congreſſum armis imparibus, eripuerat. Hom. Iliad. III.

Æneas. Æneam cum Diomede pugnantem iniquo marte, Venus eadem, obſcura nube tectum, periculo ſubduxit. Hom. VI. Iliad.

Hanc. Subaudi: ſolatur, alloquitur.

Movere. Mutare, diffingere.

Intres licet &c. Potes ingredi Parcarum domum.

Molimine vaſto. Opere, ac labore magno confecta: molis, & magnitudinis eximiæ.

Tabularia. Tabularium, locus eſt, in quo tabulæ publicæ ſervantur.

Rerum. Mundi: rerum in Orbe toto gerendarum.

Concuſſum cœli. Concuſſionem, tumulum, tonitrua.

Hic ſua complevit, pro quo Cytherea laboras,
Tempora; perfectis, quos terræ debuit, annis:
Ut Deus accedat cœlo, templiſque colatur,
Tu facies, natuſque ſuus, qui nominis hæres
Impoſitum feret unus onus, cæſique parentis
Nos in bella ſuos fortiſſimus ultor habebit.
Illius auſpiciis obſeſſæ mœnia pacem
Victa petent Mutinæ; Pharſalia ſentiet illum,
Emathiique iterum madefient cæde Philippi,
Et magnum Siculis nomen ſuperabitur undis:
Romanique ducis conjux Ægyptia, tædæ

Hic. Cæſar.

Tu facies. Dabis operam tu, ejuſque filius Auguſtus, ambo curabitis, ut Cæſar tamquam Deus colatur, ut illi templa ponantur.

Suus. Hoc in loco ponitur pro, *ejus*.

Qui &c. Qui Auguſtus Cæſaris nomen ſumet, orbemque regendum accipiet, ac nobis faventibus, ulciſcetur Cæſaris necem; ille Mutinam expugnabit; ille &c.

Nominis hæres. Vocatus eſt Auguſtus, C. Julius Cæſar Octavius, ſeu Octavianus. Qui adoptabantur nomen adoptantis adſciſcebant.

Onus. Imperii.

Suos. Faventes:adjutores.

Mutinæ. Urbs eſt Italiæ Ciſpadanæ, olim in via Æmilia, quam Antonius obſidebat: eam liberavit Octavius. *Modena*.

Pharſalia. Pugnantem cernet Pharſalia. Eſt regio Theſſaliæ, in Græcia, circa urbem Pharſalum. Ibi Pompejus cum Cæſare conflixit: Octavius vero & Antonius contra Brutum & Caſſium Cæſaris percuſſores, pugnarunt prope Philippos, urbem in finibus Macedoniæ, & Thraciæ, longe a Pharſalia remotam, ut diſerte docent Plinius, Mela, & alii Geographi. Virgilius tamen, Ovidius, & alii ſcriptores, ad Philippos utroque bello pugnatum eſſe narrant. Forte quia utraque clades Theſſaliam, & Macedoniam, pervaſit.

Emathii. Macedonia dicta eſt olim Emathia.

Magnum nomen. Sextus Pompejus, Pompeji Magni filius, Reipublicæ partes contra Octavium ſuſtinens, in freto Siculo victus eſt; ac Magni Pompeji fortunam, & nomen, ſpeſque reip. afflixit.

Romani ducis. M. Antonii triumviri. Coorta inter ipſum & Octavium ſimultas erupit in apertum bellum: in quo Antonius navali ad Actium prælio fuſus, fugatuſque eſt cum Cleopatra conjuge, regina Ægypti. Vide Virgil. VIII. Libr. Horat. Lib. I. Ode: *Nunc eſt &c.*

Conjux, &c. Cleopatra, uxor Antonii, male peribit, dolebitque ſe fruſtratam ea ſpe, quam e ſuis cum Anto-

nio

Non bene fiſa, cadet; fruſtraque erit illa minata
Servitura ſuo Capitolia noſtra Canopo.
Quid tibi barbariam, genteſque ab utroque jacentes
Oceano numerem? quodcumque habitabile tellus
Suſtinet, hujus erit; pontus quoque ſerviet illi.
Pace data terris, animum ad civilia vertet
Jura ſuum, legeſque feret juſtiſſimus auctor,
Exemploque ſuo mores reget: inque futuri
Temporis ætatem, venturorumque nepotum
Proſpiciens, prolem ſancta de conjuge natam
Ferre ſimul nomenque ſuum, curaſque jubebit:
Nec, niſi cum ſenior ſimiles æquaverit annos,
Æthereas ſedes, cognataque ſidera tanget.
Hanc animam interea cæſo de corpore raptam
Fac jubar: ut ſemper Capitolia noſtra, forumque
Divus ab excelſa proſpectet Julius æde.

nio nuptiis conceperat, fore ut Romam & Capitolium in ditionem ac poteſtatem Ægypti redigeret.

Tadæ. Lib. I. num. 20.

Canopo. Canopus Ægypti oppidum. Totam Ægyptum hic ſignificat.

Barbariam. Barbaras gentes, ab Auguſto ſubigendas.

Animum, &c. Curas ſuas convertet ad jura civibus danda, condendas leges, &c.

Auctor. Conditor. Legislator.

Prolem &c. Tiberium, qui Auguſto ſucceſſit, principi optimo peſſimus. Hic jam tum ad imperium gubernandum ab Auguſto formabatur.

Conjuge. Livia Druſilla, quam, ob mores integerrimos, amavit impenſe Auguſtus, & a Claudio Tiberio Nerone marito abduxit prægnantem. Ejus filium Tiberium adoptavit, ac nominis & imperii hæredem reliquit.

Nec niſi &c. Idemque Auguſtus, vitæ ſpatio decurſo; jam ſenex (nempe annos 76. natus) in Deorum numerum adſcribetur.

Similes. Eadem atque Julius Cæſar gloria, & felicitate, tranſactos. Veriſimile eſt hæc prius ab Ovidio ſcripta eſſe, quam Auguſtus ſeneſceret; neque nos quicquam cogit Heinſio aſſentiri *Pylios*, pro *ſimiles*, ſubſtituenti.

Cognata ſidera. Ubi jam ejus majores degunt.

Hanc animam. Julii Cæſaris.

Fac jubar. Stellam, ſidus effice; muta in aſtrum.

Noſtra. Jovis templum inſigne ſpectabatur in Capitolio.

Forum. Romanum ſcilicet, quod Magnum & Vetus dicebatur, inter Capitolium, & Palatinum montem. Donatus Lib. II. cap. 16. 17.

Excelſa æde. Cœlo.

X I X.

C. Julius Caſar in aſtrum mutatus : Vota in gratiam Auguſti.

Vix ea fatus erat, media cum ſede Senatus
Conſtitit alma Venus nulli cernenda, ſuique
Cæſaris eripuit membris, nec in aera ſolvi
Paſſa recentem animam, cœleſtibus intulit aſtris;
Dumque tulit, lucem capere, atque ignoſcere ſenſit,
Emiſitque ſimul: ſimul evolat altius illa,
Flammiferumque trahens ſpatioſo limite crinem
Stella micat; natique videns benefacta, fatetur
Eſſe ſuis majora, & vinci gaudet ab illo.
Hic ſua præferri quanquam vetat acta paternis;
Libera fama tamen, nulliſque obnoxia juſſis,
Invitum præfert, unaque in parte repugnat.
Sic magni cedit titulis Agamemnonis Atreus:
Ægea ſic Theſeus, ſic Pelea vincit Achilles.
Denique, ut exemplis ipſos æquantibus utar;
Sic & Saturnus minor eſt Jove. Jupiter arces
Temperat æthereas, & mundi regna triformis:

Media ſede ſenatus. In medio curiæ.

Solvi. Diſſipari.

Lucem capere. Subita luce colluſtrari ſenſit.

Limite. Cœli tractu. Ludis (inquit Svetonius num. 88.) quos primo conſecratos ei hæres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit: creditumque eſt animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti.

Nati. Auguſti.

Benefacta. Rex præclare geſtas.

Hic. Auguſtus. Quamvis ægre ferat, ac prohibeat ſuas res geſtas anteponi rebus geſtis Julii Cæſaris.

Libera fama. Quia neque odio, neque gratiæ, ſervit.

Obnoxia. Subjecta addicta.

Unaque &c. In hoc uno morem Auguſto Fama non gerit, ab illo diſſidet: nempe ipſum patri præferendo. In cæteris, illi obſequitur.

Ipſos æquantibus. Julio Cæſari & Auguſto convenientibus, paribus: quæ nempe ab ipſis Diis, quorum ſunt in numero, petantur.

Sic &c. Atreus Agamemnone filio inferior eſt, ut Julius Cæſar Auguſto.

Mundi triformis. Cœlum, terra, inferi, a Jove regebantur ſummo quodam jure, ejus velut adminiſtri Neptunus & Pluto erant: utque illis mare, huic inferos, curandos

Terra ſub Auguſto eſt; pater eſt & rector uterque
Di, precor, Æneæ comites, quibus enſis & ignis
Ceſſerunt: Dique indigetes, genitorque Quirine
Urbis, & invicti genitor, Gradive, Quirini,
Veſtaque Cæſareos inter ſacrata penates,
Et cum Cæſarea tu; Phœbe domeſtice, Veſta;
Quique tenes altus Tarpejas Jupiter arces,
Quoſque alios vati fas appellare, piumque eſt:
Tarda ſit illa dies, & noſtro ſerior ævo,
Qua caput auguſtum; quem temperat, orbe relicto,
Accedat cœlo, faveatque precantibus abſens.

dos dedit; ſic terram Auguſto gubernandam demandavit, inquit Ovidius.

Uterque. Jupiter & Auguſtus. Abſtinet prudenter Vates vocibus regis & domini, quæ apud Romanos olim invidioſæ: rectorem Auguſtum, & patrem, inſtar Jovis, appellans.

Quibus. Qui Æneam inter flammas Græcorum, & gladios, incolumem deduxiſtis.

Indigetes. Lib. XIV. n. 14.

Quirine. Lib. XIV. n. 14.

Gradive. Mars.

Veſtaque. Templum Veſtæ, in Auguſti Palatio fuit poſitum, decreto ſenatus, ibique conditum, ubi nunc viſitur ædes ſanctæ Mariæ Liberatricis.

Domeſtice. In eodem Palatio, domi ſuæ, Auguſtus ædem Apollonis ædificavit, cum inſigni bibliotheca.

Tarpejas. Mons Capitolinus, antea Tarpejus vocabatur.

Quoſque alios &c. Deos cæteros hoc verſieulo complectitur.

Illa dies, qua &c. Qua Auguſtus relictis terris, quas regit, ad Superos accedat: Diis adſcribatur.

Noſtro ſerior ævo. Sit nobis ſuperſtes Auguſtus. Annos noſtros vivendo vincat.

Faveat precantibus. Preces hominum & vota audiat.

Abſens. Cœlo receptus.

X X.

Operis clauſula.

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Non poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.
Cum volet, illa dies quæ nil niſi corporis hujus
Jus habet, incerti ſpatium mihi finiat ævi:

Opus. Libros XV. Metamorphoſeon.

Cum volet, &c. Me terris eripiat ultima dies & mors,

Parte tamen meliore mei ſuper alta perrenis
Aſtra ferar, nomenque erit indelebile noſtrum :
Quaque patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi; perque omnia ſæcula, fama,
Siquid habent veri vatum præſagia, vivam.

mors, cum libuerit.

Parte meliore. Ingenio, gloria. Ea parte vivam. Lege Horat. Od. ult. Lib. III.

Si quid &c. Ovidio, etiam puerulo, nomen a verſibus, & inſignem famam, vates adpromittebant: ac majorem foret conſecutus, niſi felicis ingenii venam ſordibus & nequitiis inquinaſſet: iis deterſis, quin vivat in poſteritatis fama, nihil vetat.

Quamvis autem in hac operoſi carminis meta videatur quodammodo ſibi plaudere, nihilominus alibi candide profitetur nondum a ſe ultimam operi manum impoſitam fuiſſe. Sic enim canit Lib. I. Triſtium, Elegia 6.

Ablatum mediis opus eſt incudibus illud,
Defuit & ſcriptis ultima lima meis:
Et veniam, pro laude, peto; laudatus abunde,
Non faſtiditus ſi tibi, lector, ero.

Rurſum Lib. III. Triſtium, Eleg. 14. ſic ſcribit.

Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ
Carmina de domini funere rapta ſui:
Illud opus potuit, ſi non prior ipſe periſſem,
Certius a ſumma nomen habere manu.

FINIS.

AP-

APPENDIX

DE DIIS, ET HEROIBUS POETICIS.

Ad Ovidii Metamorphoſeon, & reliquorum Poetarum intelligentiam neceſſaria.

Licet Ovidius ordinem in fabulis narrandis, & fabricandis Metamorphoſibus, aliquem obſervaverit, quia tamen in eo non nimis accuratus eſt, ac multa de profanis numinibus dumtaxat obiter indicat, tamquam ſuis temporibus cognita; eadem paulo diſtinctius exponere viſum eſt, ut hoc veluti filo cæca legentium veſtigia regerentur. Ac primo quidem referentur quæ de majoribus ac minoribus ethnicorum Diis: deinde quæ de Semideis & Heroibus mandata monumentis veterum leguntur; ſimulque digitus intendetur ad locum Metamorphoſeon, ubi quodpiam ex illis Ovidius attingit. Non ſum neſcius pleraque ex iis quæ in hac ſæculi fabuloſi obſcuritate geſta memorantur, aliter ab aliis narrari ſcriptoribus: nos ea quæ vulgo traduntur attulimus. Si cui plura vacat ac reconditiora cognoſcere, habet quos conſulat, Lilyum Gyraldum in Syntagmate de Diis gentium: Natalem Comitem, in Mythologia; Gerardum Voſſium, de Theologia veterum, &c.

PARS

PARS PRIMA.

De maioribus & minoribus Ethicorum Diis.

CAPUT I.

SATURNUS.

DEorum antiquiſſimus habebatur Cœlum, Duo ejus filii celebrantur a poetis. Tempus, ſive Saturnus; & Titanus. Hic, etſi priore loco genitus foret, eique proinde imperium orbis deberetur, jus tamen ſuum remiſit, conceſſitque Saturno, rogante Veſta matre, ſed ea lege tamen, ut Saturnus maſculam prolem educaret nullam, His ita conſtitutis, Saturnus mares ſtatim editos devorabat, invita vehementer uxore, quæ uno partu Jovem & Junonem enixa, ſolam Junonem oſtendit Saturno, Jovem occultavit. Senſit dolum Titanus, ac Saturnum acie victum in vincula conjecit. Iis liberatus poſtea fuit per Jovem filium ſuum, a quo Titanes, bellum pro Titano patre redintegrantes, fuere profligati.

Saturnus vinculis liberatus, cum in fatis eſſe cognoviſſet futurum, ut ab eodem Jove regno ſpoliaretur, illi ſtruxit inſidias, ac bellum etiam indixit (Ovid. lib. I. n. 5.) Jupiter debellatum patrem cœlo expulit.

Saturnus, amiſſo cœlo, in eam Italiæ partem, ubi Roma condita poſtmodum eſt, venit, quæ Latium fuit appellata, quod ibi latuiſſet, Extorrem Deum Janus, Latii rex, benigne accepit, ac viciſſim a Saturno donatus eſt inſigni prudentia, cujus ope meminerat præterita, futura proſpiciebat: unde biceps, ſeu bifrons appellatur. Eo regnante mores optimi, arteſque viguerunt, quæ illi ætati nomen Aureæ fecerunt.

Saturni feſta dicebantur Saturnalia, & Decembri menſe celebrata ſunt per dies primo tres, deinde quatuor, tum quinque, ac plures. Per eos dies Senatus non habebatur: vacabant ſcholæ, munera ultro citroque mittebantur ab amicis: de ſontibus ſupplicium ſumere, ac bellum indicere, nefas; ſervis menſæ accumbentibus miniſtrabant domini, & ſervorum vicem implebant, ad refricandam videlicet memoriam priſtinæ, quæ florebat Saturno regnante, libertatis, cum nemo ſerviret.

Janus,

Janus de quo proxime facta mentio eſt, pingebatur cum clavi & virga. Virgam gerebat, quaſi viarum præſes; clavim, quia domorum januas, & feras, inveniſſe credebatur; Ab eo Januarius menſis invenit nomen: aræ duodecim eidem ponebantur, pro numero menſium: utque ſunt anni tempeſtates quatuor, ita quatuor ipſi frontes aliquando datæ. In omnibus ſacrificiis appellabatur primo loco, quippe qui primus aras & ſacrorum ritus inſtituiſſet. Ejus templum Romæ claudebatur pace compoſita; patebat flagrante bello.

CAPUT II.

CYBELE.

Cybele, Saturni uxor, varia ſortitur apud poetas nomina. Dyndimene vocatur, Berecynthia, & Idæa, a montibus Phrygiæ Dyndimo, Ida, & Berecyntho, ubi præcipue colebatur: Magna mater, quia Dii plurimi, maximique, ex ea nati: Ops, & Tellus; quia, ut Saturnus cœlo, ſic illa terræ præerat, opemque mortalibus ferebat: Rhea, quia e terra fluunt omnia, & gignuntur. Dicta quoque Veſta reperitur: vulgo tamen Veſta Saturni mater, non conjux, ponitur.

Itaque duas aliqui Veſtas conſtituunt, unam cœli conjugem, & matrem Saturni: alteram juniorem, & Saturni filiam. Seniorem eamdem eſſe cum Cybele, ac Tellure, cenſent. Pingebatur illa ſedens, quia terra ſtat, ſuis librata ponderibus; tympanum gerebat manu, quia terra ventos ſinu continet, qui erumpunt inde cum fragore; aderant circum belluæ; curru vehebatur, quem trahebant leones: caput floribus, plantiſque, ſæpius corona e turribus & murorum pinnis conflata, cingebatur. Junior Veſta igni præerat, eique Aram Numa Pompilius conſecravit, & ignem in ara perpetuum foveri juſſit, cujus alendi curam virginibus Veſtalibus demandavit. Si caſu extingueretur, indicebatur juſtitium, & publica, privataque negotia intermittebantur, donec prodigium illud infauſtum, expiatum fuiſſet: ſi Veſtalium incuria, graviter in eas animadvertebatur. Quotannis renovabatur ignis ille, Kalendis Martiis, petita non ab igne alio, ſed a Sole, flamma.

Cybeles feſta Megaleſia vocabantur: ſacerdotes, dicebantur Galli, a Gallo, Phrygiæ fluvio, cujus aqua epota in rabiem verſi lacerabant ſe cultris, caput rotabant, & adverſis frontibus inter ſe velut arietabant: unde illis etiam Corybantes nomen fuit. Tondebant iidem comam in priori capitis parte, ſtola muliebri erant induti: Jovem in Creta inſula aluerant; quas ob cauſas Curetes pariter dictos volunt. Denique reperiuntur appellati ſæpe

Dactyli

Dactyli Idæi: Dactyli quidem (quæ vox Græca digitos, ſignificat) quia decem, (quot in manibus digiti) erant: vel quod, inſtar digitorum, quibus manus ambæ utuntur, Divæ præſto eſſent ad ſacrorum obſequium. Idæi vero, quia Idam Phrygiæ montem incolebant. Sacra Cybeles celebrabant inconditis clamoribus, fiſtulis, tibiis, ac tympanis percrepantibus. Romæ a feminis fiebant eadem in templo ac loco ſecreto, quod Opertum nuncupabant, excluſis viris.

Saturni & Opis, ſeu Cybeles, filia Ceres fuit: Dea frugum, & inventrix frumenti. Quamobrem cum ſpicea corona pingitur, & plenis uberibus (ex quo Mammoſæ, & Almæ, nomen eſt adepta) quod omnes alat. Facem geſtabat, quia filiam Proſerpinam a Plutone raptam diu quæſivit (Lib. V. 12. 13. &c.) cumque ſomnum præ mærore capere non poſſet, ei papaver edendum præbuiſſe Jupiter dicitur, cujus ea vis eſt ut ſomnum conciliet. Hinc papavera manu tenebat. Uſa eſt Triptolemo adjutore ad monſtrandam hominibus ſerendi artem (Lib. V. 17.) Erat hic Eleuſini regis, apud quem Proſerpinam Ceres quærens diverterat, filius.

In eodem oppido Eleuſi cœpta ſunt primum peragi Cereris ſacra, Eleuſina dicta: in iis incredibile ſervabatur ſilentium: ac ſummum nefas putabatur ex illis aliquid evulgare. Alia duo Cereris feſta memorantur in ſcriptoribus antiquis: Theſmophoria, quia Ceres Atheniensibus leges deſcripſerat: & Ambarvalia: inſtituta ad fertilitatem & ubertatem impetrandam arvis, quæ tunc ambiebantur a ſupplicantibus, unde feſto nomen. Vinum ab aris Cereris amovebatur: immolabatur illi porcus: quia fruges & fata roſtro eruit. Agrorum limitibus præerat Deus Terminus: ejus feſta Terminalia dicebantur. Cererem in Græciam regnaſſe D. Auguſtinus tradit, artemque agros colendi tradidiſſe: ac per eam factum ut Græcia ſuis frugibus uteretur, cum antea frumento aliunde importato vixiſſet.

CAPUT III.

JUPITER.

JUpiter, Saturni & Cybeles filius, poſtquam patrem egiſſet in fugam, regnum mundi cum fratribus ita diviſit: ut cœlum ſibi vindicaret, aquas Neptuno, inferos Plutoni regendos permitteret. Non diu tranquillum regnum habuit. Tellus enim, Titani uxor, dolens filios ſuo Titana a Jove interfectos, Gigantes procreavit, mole viribuſque ſpectandos, qui, congeſtis in cumulum montibus, Jovem cœlo detrudere aggreſſi ſunt. (Lib. I. n. 6. 8. XIV. 1.) Sed fulminibus dejecti, & ſuis obtriti monti-

montibus, pœnas Jovi dedere. Vocati ab illo in belli & periculi partem Dii, cum ſe imparem unum tot hoſtibus crederet, ſic Gigantum conſpectu perterrefacti ſunt, ut omnes in Ægyptum fugerint, ibique ſub variis animantium formis latuerint. (Lib. V. n. 9.) Hinc factum ut belluas Ægyptii colerent pro numinibus. Bacchus tamen ſpecie leonis indutus, rem ſtrenue aliquantiſper geſſit, hortante Jove, & Ev ohe εὖ Ἰὲ, ideſt *Euge fili*, ingeminante.

Jupiter pacatum adeptus regnum, curam ad formandos homines contulit. Eum imitatus Prometheus finxit ſtatuas quaſdam hominum ex argilla, illaſque rapto e curru ſolis igne animavit. (Lib. I. n. 4.) Promethei temeritatem indigne ferens Jupiter negotium Vulcano dedit, ut in eum Caucaſo monte religaret: addidit vulturem qui laniaret viſcera, in novos cruciatus ſemper renaſcentia. Severitatem Jovis inique tulerunt cæteri Dii, ac doluerunt quod ſibi uni formandorum hominum jus arrogaret. Quare collatis ſtudiis & muneribus, mulierem effinxere, quam Pandoram appellarunt, quaſi ex omnium donis conflatam. Jupiter Superum arrogantiam ulturus, illi capſulam dedit, infelix munus. In eam quippe congeſta erant omnia naturæ mala. Hanc Pandora cum detuliſſet ad Epimetheum Promethei fratrem, ille impulſus curioſitate prava; ſive ut alii narrant ejus uxor, capſulam aperuit: ex eaque peſtes omnis generis in orbem terrarum evolarunt, ſola Spe in fundo capſulæ relicta. Hinc ætas ferrea & ſcelerum colluvies nata eſt.

Jovem non unum in Creta regnaſſe doctorum opinio eſt: omnium celeberrimum Abrahamo ſupparem Euſebius facit. Patrem ſpoliavit regno, quod ita cum ſuis Fratribus Neptuno & Plutone diviſit, ut ipſi regiones ad ortum ſitæ; Plutoni occidua pars inſulæ; Neptuno maritimi tractus obtigerint. Hinc Jupiter cœli, Neptunus maris, Pluto inferorum rex, numenque dictus eſt. Jovis nomine apud poetas aer ut plurimum ſignificatur; ſive cœlum: ut nomine Junonis, quæ Jovis conjux, terra, quia e cœlo, terraque, omnia gignuntur.

Ejuſdem Jovis varia ſunt apud ſcriptores profanos nomina: hæc frequentiora. *Dieſpiter* vocatur, quaſi diei pater: *Feretrius*, vel quod hoſtes feriret, vel quod in ejus templum ferrentur omnia ſpolia. *Stator* (ita eſt a Romulo dictus) quod Romanorum contra Sabinos pugnantium fugam ſteterat: *Xenius*, ſive *Hoſpitalis*, quia gerebat hoſpitum curam. *Vejovis*, & *Vedius* tunc appellabatur, cum rogabatur ne quid inferret mali, & inter ſiniſtra, noxiaque numina cenſebatur: factæ voces iſtæ ſunt ex interjectione *væ*, quæ mali ominis; & duplici genitivo, altero Græco, altero Latino: Jovis, & Διὸς.

C A-

CAPUT IV.

JUNO.

JUno, Jovis ſoror, & conjux, matrimoniis præerat, ac partubus feliciter edendis; tumque Pronuba Lucina, & Ilythya, nominabatur. (Lib. IX. 9.) Ejus filia Hebe, juventutis Dea, Nectar Jovi tandiu miſcuit, dum ejus locum Ganymedes, a Jove in aquilam mutato raptus, occupavit. (Lib. IX. 11. X. 4.) Edidit etiam Juno Martem, belli armorumque præſidem, cujus ſoror Bellona, ſive Enyo: denique Vulcanum, ſed diſtortum, & informem. Horruit partum degenerem Jupiter, & calce in terras dejecit.

Vulcanus, crure inter cadendum fracto, claudus remanſit. Jupiter ut infortunium hoc ſolaretur, illum præfecit fabricandis fulminibus. Officinæ Vulcani Lemnos, Lypara, Æthna: adjutores & adminiſtri fuere Cyclopes, ita dicti, quod unum in fronte media oculum haberent. Cæterum offenſus Jupiter & arrogantia Junonis, & poſtremo partu, eam faſtidire, atque alias amare cæpit. Imo Palladem e fecundo capite productam, bello pariter præeſſe, litteriſque voluit. Vulgo tamen cum litterarum eſt præſes, Minerva nuncupatur. Olea ipſi dicata erat, pacis inſigne: nam & pace gaudent litteræ; & belli finis præmiumque pax eſſe debet. (Lib. VI. 3.) Ab Athenienſibus præcipue culta fuit.

Interim Juno maritum in pellicum amores turpiter effuſum obſervans, illi cuſtodem appoſuit centum oculis præditum, Argum nomine. Moleſtum obſervatorem Jupiter, opera Mercurii, obtruncavit. (Lib. I. nu. 17.) ejus oculos Juno indidit pavonis caudæ. Argum ipſum, ut alii volunt, in pavonem mutavit. Junonis famula & nuncia Iris fuit, quamvis operam aliquando Jovi, cæteriſque Diis, navaret.

De Marte, addo, illum Gradivum appellari ſolitum, quando ſæviebat: gradior enim proprie de militibus, in aciem procurrentibus dicitur: Quirinum vero, cum tranquillus & mitis erat; ſumpto nomine a Sabino vocabulo, *Curis*, ſeu *Quiris*, quod haſtam ſignificabat. Id nominis Romulo quoque, Martis filio, tributum eſt. Salii, Martis ſacerdotes, urbem obibant ſaltando, & ancilia (clypeolos ſacros) circumferendo.

CAPUT V.

APOLLO.

JUpiter, ſpreta Junone, Latonam adamavit, ex eaque ſuſcepit Apollinem & Dianam. Priuſquam in lucem ederentur, Juno Terram obſecravit, ut nullum Latonæ, ubi conſiſtere poſſet ac parere, locum relinqueret. (Lib. VI. n. 5.) promiſit Terra excludendam omnibus locis Latonam, præterquam ab inſula Delo, quæ tunc fluitabat incerto mari, ac fere ſemper fluctibus erat obruta. Sed Neptunus, Latonam miſeratus, Delum ſtabilem reddidit, ac juſſit emergere. Hinc Apollo Delii cognomen eſt nactus ab inſula natali.

Ejus filius Æſculapius, cum artem medicam a patre; & a Chirone Centauro didiciſſet, tantum in ca profecit ut Hippolytum, Theſei filium, a monſtris marinis diſ erptum, ad vitam revocaret. (Lib. II. 14. XV. 11.) Quo facto Jupiter auctoritatem ſuam lædi ratus, Æſculapium fulmine percuſſit. Apollo viciſſim Cyclopes, fulminis fabricatores, quoniam ſævire in Jovem ipſum non poterat, interemit. Exarſit iracundia gravi Jupiter, & Apollinem cœlo pulſum, divinitate per aliquot annos ſpoliavit.

Redactus in ordinem Apollo, multis incommodis afflictatus eſt: ac, ne periret fame, operam ſuam locavit Admeto, Theſſaliæ regi, cujus greges paſcendos accepit. (Lib. II. n. 15.) Hinc Deus paſtorum habitus fuit: eique immolabatur lupus, ovium peſtis. Armenta ſic paſcentem aliquando vidit Mercurius, eique vaccam dolo ſurripuit: mox ipſam ejuſdem humeris furtim pharetram detraxit. Daphne in laurum ab eo mutata fuit. (Lib. I. 14.) Hiacynthus, quem diſco imprudens colludentem interemerat, in floris cognomen. (Lib. X. 4.)

At Hiacynthi parentes Apollinem, ut pœnas expeterent, inſecuti, fugere coegerunt in Troadem, ubi incidit in Neptunum, cœlo pariter exulantem, irato Jove, in quem cum Diis aliquot conjuraverat. Ambo ad Laomedontem, qui Trojam tunc ædificabat, confugiunt; ac pacto pretio navant operam conſtruendis Trojæ mænibus. (Lib. XI. 8.) Cum promiſſam mercedem negaret Laomedon, conſpirarunt in perjurum regem, ejuſque civitatem Neptunus immiſſis aquis evertit magna ex parte; Apollo peſtilentia regionem devaſtavit.

Tot malis remedium quæſivit Laomedon, oraculo conſulto. Reſponſum eſt placandos Apollinem ac Neptunum objecta monſtris marinis Trojana quotannis virgine: ſors Heſionem, regis ipſius filiam, neci addixerat. Hercules ita ſe liberaturum illam ſpopondit, ſi Laomedon quoſdam inſignes equos ſibi daret. (Lib. XI. 8.) Promiſit

miſit rex, at liberata filia, monſtris abactis & interfectis, Herculem indonatum irriſumque valere juſſit. Hercules juſto furore percitus obſedit urbem, cepit, ac regem interfecit.

Interea mitigatus Jupiter cœlum Apollini ac divinitatem reddidit. Apollo priſtinum decus non modo recuperavit, ſed magna etiam acceſſione cumulavit. Nam in cœlo lucis Orbi dividendæ munus recepit, quod antea gerebat, etſi provinciam hanc aliqui poetæ tribuant uni e Titanibus, quem Titanem, & Hyperionem dixerunt. Hunc alii ſolis ipſius patrem faciunt. Solem Ægyptii Horum appellabant: Perſæ, Mithram. In terris vero edere cœpit oracula, præſertim Delphis, ubi ſacerdos reſponſa dabat inſidens cortinæ, ſive tripodi, tecto pelle ſerpentis Pythonis, olim ab Apolline interfecti. (Lib. I. 15.)

Præterea invenit artem canendi, & Marſyam ſatyrum, a quo fuerat provocatus, victum cantando, exuit pelle (Lib. VI. 9.) eamdem canendi artem, & poeſim docuit Muſas, Jovis & Mnemoſynes filias. Novem recenſentur. Calliope, Clio, Erato, Thalia, Polyhymnia, Urania, Melpomene, Terpſicore, Euterpe. Parnaſſum una cum Apolline incolebant. (Lib. V. 8. 9.)

Inter Apollinis filios celebratur Phaethon, qui paternum currum, temere expetitum, cum male regeret, a Jove percuſſus, & in Eridanum deturbatus eſt. Ejus ſorores Heliades in populo mutatæ. (Lib. II. n. 1. 8 &c.)

Inter Apollinis liberos nonnulli numerant Auroram. Hæc Tithonum, Laomedontis filium, habuit in matrimonio, eique immortalitatem a Jove impetravit, nec tamen obtinere potuit, ne ſeneſceret. Itaque ſenio fractus, in cicadam ut mutaretur exoravit, e Tithono genuit Aurora Memnonem, qui Priamo ſuppetias, in Trojano bello, tulit. Ab Achille interfectus, a matre diuturnis lacrymis, quæ rorem effecere, deploratus eſt, & ex ejus rogo natæ aves Memnonides. (Lib. XIII. 16.) Illi ſtatuam Ægyptii poſuerant, quæ ſolis orientis primoribus radiis icta, ſonum canoræ voci ſimilem edere jactabatur.

CAPUT VI.

DIANA.

Diana ſoror Apollinis, eadem in cœlo Luna, in terris Diana, in inferis Hecate dicebatur. Hinc triformis diva, triceps Hecate, a poetis nuncupatur. Venationi præſertim addicta, venatoribus præfuit. Eadem virginitatem perpetuo coluit, & Actæonem venatorem quod in eum, ubi ſe cum nymphis lavabat, locum impru-

prudens veniſſet, mutavit in cervum. (Lib. III. 4. 5.) Inſigne templum habuit Epheſi, & inter ſeptem orbis miracula numeratum: aram quoque in Taurica Cherſoneſo, ad Pontum Euxinum, in qua ipſi homines immolabantur, præſertim ii qui naufragio ad iſtas oras ejecti fuiſſent.

CAPUT VII.

BACCHUS.

JUpiter e Semele ſuſcepit Bacchum, quem narrant, cum ante tempus in lucem exiiſſet, inſertum fuiſſe Jovis femori donec menſes legitimi partus implerentur. (Lib. IV. 1.) Ætate provectior peragravit orbem terrarum, deque India triumphavit. Inveniſſe vinum fertur, eique caper immolabatur, quia vitium gemmas arrodit. Primus et iam aratro boves ſubjunxiſſe memoratur: quam ob cauſam ejus capiti affiguntur cornua, quæ pariter indicant robur & audaciam ebrioſis familiarem. Sacra illi quoque hedera, quia vini fumos nativo frigore diſcutere creditur. Ea involutum & pampinis jaculum geſtabat, quem thyrſum vocabant. Eodem inſtructæ feminæ, ſparſis comis ululantes, ſacra Bacchi celebrabant. Trieterica illis nomen, quia tertio quoque anno recurrebant: & Orgia, ob furorem, quo iſtæ Bacchantes, pellibus tigrium, & pantherarum indutæ, nonnumquam armatæ facibus, per invios montes vagabantur, præſertim in Thracia (Lib. IV. 12. Lib. XI. 1.)

Præter illius nomina, quæ expoſuimus Lib. IV. Metamorphoſ. vocabatur etiam Dionyſius, ſive Dionyſus, a Jove, ipſius patre, & ab urbe Nyſa, ubi regnavit: vel, a Nyſæis nymphis, a quibus educatus. Apud Latinos vulgo Liber dicebatur, quia ebrio liberius nihil: nihil ab omni cura ſolutius. Huic nomini reſpondet Græcum Lyæus. Hinc ejus feſta vocabantur apud Græcos Dionyſia; apud Latinos vero Liberalia, ſive Bacchanalia. Peculiaria quædam celebrabantur in Atticæ pagis, Aſcolia nuncupata, a voce Græca, quæ utrem ſignificat. Statuebant itaque utres hircinos in prato, inflatos, & oleo inunctos. Saltabant per hos ruſtici unico tantum pede: nam alterum erectum, & in aere libratum habebant. Qui cadebant (quod proprio vocabulo cernuare dictum eſt a Romanis, eadem ſubinde feſta imitatis) riſu agreſtis coronæ, & cachinnis excipiebantur. Conſule La Cerdan Lib. II. Georg. verſu 384. Sunt qui adumbratum in Baccho fuiſſe velint Nembrodum, qui Hebræa voce Bar-chus; ideſt, Chuſi filius, appellatur. Sunt qui Moyſem in eo expreſſum pugnent, ac mul-

ac multa proferunt a poetis attributa Baccho, quæ plane in Moyſen quadrant. Plerique omnes Noemum in eo depictum cenſent, ſatorem vitis, ac vini ſive monſtratorem, ſive reparatorem. In eam ſententiam explicant, quæ poetæ de Baccho tradunt: nempe a Najadibus, fontium nymphis præſidibus, educatum fuiſſe, ut vinum aqua temperandum docerent. Pingunt eumdem puerili ſemper vultu: ebrii puerorum ſimillimi ſunt: nudum, quia nullum ebrio arcanum eſt. Furioſos comites illi addunt, tigres ejus currui ſubjungunt: vinum, exceſſo rationis imperio, intemperantes ira & furore incendit, ac belluis ſimillimos reddit.

CAPUT VIII.

MERCURIUS.

MErcurius, Maja genitus, Atlantis filia, Jovis & Deorum interpres fuit ac nuncius. Itaque alas in capite & pedibus habebat, quo expeditior eſſet ad mandata Superum perferenda: caduceum vero in manu. (Lib. II. num. 16.) Mercurium narrant incidiſſe aliquando in duos angues inter ſe dimicantes, utrumque diremiſſe interpoſita virga, quam tenebat manu. Inde factum, ut virgam gemino angue circumfuſo inſignem geſtaret, caduceuſque pacis eſſet, ac fœderis ſymbolum. Quia Deorum miniſter & nuncius erat Mercurius, inditum illi quoque fuit Camilli nomen, quo nomine pueros, ac ſacrificiorum præſertim ad miniſtros, antiqui vocare conſueverant, Mercurii nomen invenit a mercibus, & mercatura, cui præerat.

Alterum Mercurii munus erat, animas mortuorum ad inferos deducere; ex iiſque, cum res ferebat, revocare. Tertium, fures adjuvare. Idem palæſtræ, & eloquentiæ laude florebat: ac ſæpe pingebatur cum æreis catenis ex ore defluentibus, quibus audientes vinciebat. Hinc Hermes apud Græcos appellatus eſt. Ejus ſtatuæ apud Romanos in triviis, & compitis, ut iter oſtenderent, locabantur, erantque manibus captæ ac pedibus, & *Hermæ* vocabantur. Iidem Romani ſolebant Mercurii ac Minervæ ſtatuas jungere, & eidem quaſi trunco imponere: *Hermathenas* vocitabant; item Cupidinis ac Mercurii; & *Hermerotes* dicebantur.

CA-

CAPUT IX.

VENUS.

VEneris mater Dione fuit : filius , Cupido : item Priapus , hortorum , & Hymenæus , nuptiarum , præſes ; denique Æneas : filiæ vero , Charites , ſive Gratiæ tres Aglaja , Thalia , Euphroſyne . Colebatur præſertim Amathunte , Cytheris , Paphi , Aſtarte , Sidoniorum Deam , non aliam fuiſſe quam Venus , ab eruditis creditur . Additur aliquando Veneri comes Pytho , ſive Soada , eloquentiæ Dea . Currum Veneris trahebant columbæ , cycni, aut paſſeres . Magiſtra impudicitiæ ferebatur , ut ne puderet miſeros mortales volutare ſe in cæno libidinum , qui Deos ad hæc flagitia duces hortatoreſque ſibi feciſſent.

CAPUT X.

NEPTUNUS.

NEptunus, Jovis frater, maris imperium ſortitus eſt. Illi pro ſceptro, tridens : pro curru, ingens concha; pro equis, hippocampi; ſive equi marini, bipedes tantum, poſtrema corporis parte in piſcium caudam deſinente: pro ſatellitibus, tritones erant. Uxor ejus Amphitrite: filiæ , Harpiæ. (Lib. VII. n.1.)

Oceanus , Neptuni filius , pater fluviorum , Thetyn uxorem duxit , ex qua Nereum , & Doridem ſuſcepit . E Nereo & Doride prognatæ ſunt nymphæ, quarum aliæ vocabantur Nereides, quæ mari : Naiades quæ fontibus & fluviis ; Napeæ , Dryades , & Amadryades ; quæ ſilvis , pratiſque præerant . Inter Nereides inſignis fuit Thetis , Pelei coniux . (Lib. XI. n.8.) Oceani pariter filius erat Proteus , Neptuni paſtor , qui phocas ejus regebat , a Latinis dictus Vertumnus , quia in omnes formas ſeſe vertebat. (Lib. II. 1. VIII. 18. XIV. 15.)

Inter maris numina cenſebantur etiam Glaucus , Ino , ejuſque filius Melicerta . Glaucus quo pacto Deus evaſerit , explicat Vates Lib. VII. n.5. & Lib. XIII. n.22. Ino coniux erat Athamantis Thebarum regis . Hunc irata Juno egit in furias, quibus ille agitatus necem uxori machinatus eſt , Furentem Ino fugiens , in mare ſe dejecit, cum filio Melicerta . Utrumque miſeratus Neptunus Deos maris eſſe iuſſit, & Inonem Leucotheam: Melicertam vero Palemonem dixit . (Lib. IV. 6.)

Nec prætereundus inter Deos maris Æolus eſt, ventorum arbiter . Ejus regia & ventorum carcer, prope Siciliam, in Æoliis inſulis collocatur . In anguſto freto quod

Siciliam ab Italia ſeparat, monſtra duo marina ponuntur a poetis, Scylla nempe & Charybdis. In eodem freto Siculo degebant Sirenes, quæ ſuavitate cantus pellectos vectores in brevia ſyrteſque perducebant. (Lib. V. 15.)

CAPUT XI.

PLUTO.

Plutonis conjux Proſerpina, Cereris filia, quam rapere coactus eſt, quia Dearum nullam, quæ tam deformis regni domino vellet nubere, inveniebat. (Lib. V. 11. &c.) Inferorum fluvii, Acheron, Cocytus, Phlegethon: Palus, Styx. (Lib. II. n.1.) Cuſtos inferorum, Cerberus, canis triceps: portitor Charon, ſenex inexorabilis: carnifices, Furiæ tres, Alecto, Megæra, Tiſiphone, flagellis & facibus armatæ. (Lib. IV. 5. 6.)

Plutonis adminiſtræ, Parcæ tres; Clotho, Lacheſis, Atropos. Illæ fatalem tenebant colum, modo nigra involutam lana, modo alba, ex eaque filum ducebant, quo reciſo, pereundum erat. Mortuorum animæ, opera Charonris tranſvectæ, deducebantur a Mercurio ad Judices Æacum, Minoem, & Rhadamantum: qui expenſa ſingulorum vita, probos mittebant in Elyſium, ſceleratos in Tartarum detrudebant. Eorum pœnas, & inſignium facinorum nomina, deſcribit Vates Lib. IV. n.4. & 5.

Porro animæ in Elyſios campos miſſæ, poſt centum annorum numerum, ex iis educebantur, & in alia migrabant corpora, novam ut vitam inſtituerent. Sed antequam felicibus exirent campis, hauriebant aquas fluvii Lethes, quarum ea vis erat, ut rerum omnium prætéritarum oblivionem afferrent. Mortui, quorum inſepulta jacerent cadavera, centum annos in ripa Stygis errabant, quibus exactis, a Charonte tranſmittebantur.

Plutonis nomina tria præ cæteris erant illuſtria: Orcus dicebatur, quaſi Urgus, vel Uragus, quod omnes urgeret in interitum. Februus, ab antiquo verbo februo, quod ſignificat purgo, luſtro: quia in funebribus cærimoniis multæ luſtrationes & purgationes adhibebantur: præcipua quædam ſacra Plutoni fiebant, dicta ob eam lem. cauſam Februa, unde etiam fluxit nomen Februarii menſis, quo hæc ſacrificia peragebantur. Plutonis vocabulum a Græca voce divitias ſignificante, ducitur, quia aurum & alia metalla in imam tellurem naturæ provida benignitas, ut laterent, retruſit, ipſiſque admovit inferis, ac Plutonis arbitrio ſubjecit, ut fingebant poetæ: qui tamen peculiarem Deum, Plutonis adminiſtrum, divitiis præfecerunt, Plutum nomine: claudum faciunt, quia tarde comparantur opes: cæcum, quia ſæpe immeritis contingunt.

CA-

CAPUT XII.

PAN, FAUNUS. SATYRI, &c.

Ut cœli & inferorum, ſic terræ propria quædam erant numina. Principem inter agreſtes Deos locum obtinebant Pan, & Pales. Pan, Mercurii filius, capri caput ac pedes, necnon barbam & cornua gerebat: illum comitabantur Satyri, non diſſimiles: itemque Silvanus, ſilvarum præſes. In Arcadia præcipue colebatur Pan: ejus in honorem Romani menſe Februario celebrabant Lupercalia, quibus in feſtis Luperci, panos ſacerdotes, nudi per urbem diſcurrebant.

Pan, ut ipſa vox Græca innuit, ac teſtatur Servius, ſymbolum erat Univerſi: in quo homines belluis mixti ſunt: itaque ſuperne hominis; inferne pecudis ſpeciem gerebat. Fiſtulam geſtabat ad ſignificandum partium mundi, junctarum inter ſe ſe ordine pulcherrimo, concentum. Narrat Pauſanias, cum Galli, Brenno duce, Græciam percurſantes, templum Delphicum pararent ſpoliare, injectum illis a Pane improviſum terrorem, quo perculſi omnes fugam arripuerint. Inde natum, ut terior ſine cauſa ſuſceptus, panicus appelletur. Pales invocabatur a Paſtoribus: eadem ac Cybele eſſe putabatur. Ejus feſta Palilia celebrabantur Aprili exeunte.

Faunus quoque Pici, Latinorum regis, filius in agreſtium Deorum numerum veniebat, quia multa docuerat homines ad agriculturæ uſum ſpectantia.

Pomona fructuum: Flora ſeu Chloris, florum gerebat curam. Ludi ejus in honorem celebrati vocabantur Floralia, & tuba indicebantur. Præterea ſuum ſingulis fontibus, fluviis, domibus, hominibus, Deum aſſignabant. Domeſtici Dii Lares, ſive Penates, appellabantur Lares vicorum etiam, itinerumque præſides erant: itaque in vicis & compitis colebantur, & ludis in eorum honorem celebratis; Compitalitiis nomen erat. Tunc hominum effigies e lana, tamquam victimæ piaculares, ſuſpendebantur in compitis, rogabantque Lares, ut in hæc ſimulacra iram & pœnas effunderent, ſi quas ipſimet homines commeruiſſent. Cum bullas pueri deponebant, eas Laribus conſecrabant. Canes illis erant dicati, animal domeſticum, & fidele; ipſique canina pelle veſtiebantur. Locus Laribus domi ſacer, vocabatur Lararium. Iidem Præſtites nominabantur, quaſi qui multa familiis commoda præſtarent.

Proprium cujuſque hominis numen, Genium vocabant, eumque ſimul cum unoquoque naſci, & mori arbitrabantur. Duplicem ſtatuebant Genium, alterum can-

didum & felicem ; alterum nigrum & ſiniſtrum qui ſi albo eſſet fortior , omnibus infortuniis miſerum hominem male mulctabat . Feminarum genios appellabant Junones . Serpens Genio dicatus erat . Rerum humanarum veluti clavum moderabatur Fortuna , Dea cæca , rotæ inſidens volubili , & in ſola inconſtantia conſtans. Huic maxime ſupplicabant , eique varia diverſis nominibus templa poſita reperiuntur . Si qui fortuna ſecunda & favente abuteretur , hunc plectebat Nemeſis , & indignos ingratoſque ulciſcebatur . Inditum id illi nomen a voce Græca quæ ſignificat *diſtribuere* , quia Pœnas & præmia unicuique veluti dividebat . Dicta quoque legitur Adraſtæa ; vel ab Adraſto, rege Argivorum, qui primus aram illi condidit ; vel quod nemo illam poſſet effugere , ut vox Græca ſonat . Rhamnunte (pagus Atticæ fuit) præcipue colebatur . Hinc Rhamnuſia vocatur a Poetis. Alatam exhibebant, ad ſignificandam celeritatem pœnarum , quæ impii non tardo pede conſequuntur : inſidentem rotæ, ut indicarent eam viciſſitudinem qua delictis pœnæ reſpondent , iiſque ſuccedunt . In Deorum etiam numerum referebantur Nox , & Somnus , ſive Morpheus . Ex utroque genitus Momus ludo jociſque præſidebat.

Poſita quoque templa viſebantur variis ſcelerum monſtris , & morbis ; ut Invidiæ, Fraudi , Calumniæ , Diſcordiæ , Furori , Febri , Pavori , Paupertati , Neceſſitati , Tempeſtati . Illud paulo rectius, quod eoſdem honores tribuerent virtutibus , Fidei , Juſtitiæ, ſive Aſtrææ : Pietati , Pudicitiæ, Concordiæ, Veritati, Saluti, Libertati , Paci : demum Silentio , cujus præſes apud Ægyptios erat Harpocrates ; apud Græcos , Sigalion : uterque pingebatur cum digito indice , labris admoto, quaſi ſilentium indicens . Harpocrati ſacra erat arbor Perſea , quod ejus folia linguæ ; fructus autem cordis ſpeciem præſeferant. Ab iiſdem Ægyptiis Angeronia, ſilentii Dea præſes , habebatur , ejuſque ſimulacrum , ore obligato, & obſignato proſtabat.

PARS

PARS SECUNDA.

De Semideis & Heroibus.

CAUT XIII.

ORIGO IDOLOLATRIÆ.

Um primum homines, abrepti cupiditatum æſtu, in graviora flagitia prolapſi ſunt, tunc originis ſuæ & conditoris obliti, nova ſibi numina fabricarunt. Ac primo quidem Solem & Lunam adoravere, quia nihil formoſius objiciebatur ſenſibus, quorum judicio fere omnia metiebantur: deinde hominibus ipſis cultum uni Deo debitum adhibuerunt. Id primus omnium tentaſſe Ninus fertur, circa mundi annum 1945. qui collocata publice patris ſui Beli ſtatua, juſſit ad eam preces & vota concipi. Exemplum ſecutæ gentes vicinæ, Divinos honores ſuis principibus, aut heroibus de genere humano bene meritis, decreverunt. Sic inter Superos relati Saturnus, Jupiter, Neptunus, Hercules, aliique, & pro Numinibus deinde habiti ſunt, communi gentium omnium ſuffragio, præcipue Græcorum, qui ceteris eruditione ac ſapientia præſtare credebantur.

Ordinem nihilominus aliquem ſtatuebant inter Deos. Quoſdam enim cenſebant omni exceptione majores, ut Jovem, Junonem. Neptunum, &c. quoſdam minores, ut Pana, Faunos, Satyros, Nymphas, &c. Nonnullos dimidiatos quaſi Deos, ſive Semideos, appellabant, qui maternum duntaxat, paternumve genus ab aliquo Deo ducerent, ut Æſculapium, Pollucem, & ſimiles. Denique heroibus ob res præclare geſtas, & magna quædam in mortales collata beneficia, cœlum ac Divinitatem indulſerunt. De duobus primis Deorum generibus dictum eſt parte I. nunc de Semideis & Heroibus differendum.

CAPUT XIV.

PERSEUS.

Acriſius, Argivorum rex, cum oraculo didiciſſet futurum, ut periret a puero, quem Danae filia ſua pareret, hanc ærea turri incluſit, appoſitis cuſtodibus, ne quis ad illam vir adſpiraret. Eo tamen penetravit Jupiter in imbrem aureum mutatus, hoc eſt, auro corruptis

 puellæ

puellæ cuſtodibus. Genitum ſic furto Perſeum Acriſius in arcam abdidit, & in medios fluctus projecit: ſed a piſcatoribus ſervatus, cum ætate proceſſiſſet, ac ludrico intereſſet certamini, patrem imprudens interfecit.

Res ejus præclare geſtas deſcribit Ovidius Lib. IV. a n. 9. ad finem, & initio Lib. V. Pegaſus, de quo meminit idem Ovidius Lib. IV. n. 12. egregiam Perſeo primum navavit operam; deinde Bellerophonti, Glauci regis Corinthiorum filio. Ille cum Prœtum Argivorum regem inviſeret, ejuſque uxori Stenobææ aſſentiri nollet, ab ea fuit accuſatus apud Prœtum, qui ne datam hoſpiti dextram, fidemque, violaret, miſit ipſum cum litteris, quaſi commendatitiis, quarum ſimiles, *Bellerophontis Epiſtolæ* poſtea ſunt appellatæ, ad Jobatem regem Lyciæ, ſocerum ſuum. Rogabatur iſtis litteris Jobates, ut Bellerophontem inſidiis & aſtu perderet. Statim variis periculis fuit objectus ab Jobate, uti periret, præſertim Chimæræ, horribili monſtro, in Lycia, quod Pegaſi tamen ope domuit. Sed dum equi alati tergo inſidens evolare in cœlum conatur, a Jove dejectus & oculis orbatus eſt. Commodius actum fuit cum Perſeo & ipſo Pegaſo, nam ambo in ſidera ſunt relati. Stenobæa in necem conſcivit.

CAPUT XV.

HERCULES.

Heroum, quos vetuſtas celebravit, clariſſimus extitit Hercules, Alcmena genitus, conjuge Amphitryonis, Thebani principis, & Jove. Regnabat per idem tempus Mycenis, in Græcia, Stenelus, & regnum Herculi fata deſtinabant. Senſit Juno, effecitque, ut Euryſtheus Steneli filius, prior naſceretur, quam Hercules cum antea impetraſſet a Jove, ut qui amborum prior foret in lucem editus, alteri imperitaret. Imperium inclementer in Herculem Heuryſtheus poſtea exercuit. (Lib. IX. nu. 6. & 9.) Longum tamen Junoni viſum eſt, dum uterque adoleſceret: Herculem in cunis perdere tentavit, immiſſis anguibus geminis, quos infans, jam doctus vincere, qui vivere vix cœperat, tenellis manibus eliſit. Palladis tamen ope, Juno Herculi conciliata paulſper eſt, dumque pueri labris ubera immulget, decidit aliqua particula candidi liquoris, & in eam cœli partem defluxit, quæ via Lactea poſtmodum eſt appellata. (Lib. I. num. 7.)

Hæc Junonis benevolentia minime fuit diuturna. Euryſtheum. Mycenarum ſolio potitum, impulit, ut Herculem variis objiceret laboribus, quibus denique oppreſſus periret. Duodecim vulgo numerantur. Primo juſſus eſt leonem Nemeæ ſilvæ, a quo toti regioni pernicies creabatur

batur . interficere . Adortus feram Hercules in atrium compulit , unde nullum patebat effugium : faucibuſque conſtrictis interemit. (Lib.IX.*6.*) Ejus pellem deinceps, primæ ſcilicet victoriæ monumentum , ſemper geſſit. Erat Hydra leone iſto tetrior : ſerpens immanis in Lerna palude , prope Argos : cui ſeptem capita ſic uni collo inſerebantur, ut cum unum exſcinderetur, alia multa repullularent : omnia ſimul eodem ictu Hercules abſcidit: aut igne , ut alii tradunt, excuſſit . (Lib. IX. num.3.)

Dirus aper in Erimantho monte vaſtitatem agris afferebat: vivum cœpit, Euryſtheoque obtulit. Neque nihil nocebat in Mænalo monte cerva, æreis pedibus, aureiſque cornibus prædita : hanc anno toto inſecutus , denique aſſecutus eſt , jaculiſque confixit . Damni plus afferebant volucres quædam in lacu Stymphalo , inuſitatæ magnitudinis & roboris , ita ut prætereuntes unguibus laniarent : iis fugatis magnam eſt adeptus gloriam : majorem debellatis Amazonibus , ad fluvium Thermedontem , (Lib. IX. *6.*) & tyrannis duobus , Diomede ac Buſiride interfectis, quorum hic in Ægyto peregrinos atque hoſpites immolabat Jovi; ille, in Thracia , eoſdem ferocibus equis conculcandos , ac devorandos , præbebat.

Illis par immanitate ferebatur Geryon , Hiſpaniæ rex, tricorporis , quem ſimili affecit pœna . Magnam quoque induſtriæ laudem tulit in repurgando Augiæ, regis Elidis , ſtabulo , in quo collectæ multis ab annis ſordes , aerem peſtilenti odore inficiebant . (Lib. IX. n.*6.*) Parem adhibuit ſolertiam tum in domando tauro ferociſſimo , quem iratus Neptunus in Græciæ cladem creaverat: tum in auferendis aureis Heſperidum pomis, & ſopiendo pervigili dracone , illorum cuſtode : hoc in labore adjutorem Atlantem habuit , qui dum poma colligebat , Hercules cœlum humeris tulit . Sed maximum omnium periculorum adiit in educendo ab inferis Cerbero (Lib. IX. *6.*) cum quo Theſeum amicum ſuum , ibi vinctum , pariter eduxit .

His laboribus feliciter perfunctus , orbem terrarum , ad levandos mortales variis calamitatibus conflictatos , peragravit . Italiam Caco , Vulcani filio , latrone inſigni , liberavit . Prometheum , in Caucaſo religatum , vinculis exemit . Antæum Terræ filium ſingulari certamine profligavit . (Lib. IX. n.*6.*) Lycum , qui , Thebis captis , Creontem , earum regem , ſocerum Herculis , tunc ad inferos profecti , interfecerat , merita morte mulctavit . Oceanum in medias terras induxit ; aperto freto Capitano, duobuſque montibus , Calpe, & Abila , diductis ; quibus , tanquam columnis triumphalibus , elogium illud inſcripſit : *Non plus ultra* .

Herculis gloriam iniquiſſime ferens Juno , tam diro

furore illum concuſſit, ut Megaram uxorem, liberoſque occiderit. Nec ſibi violentas ipſe non attuliſſet manus, poſtquam ſe ab illo furore collegit, niſi eum amici attinuiſſent. Victorem tot monſtrorum Amor imbellis vicit: ac ſervire turpiter Omphalæ, Lydorum reginæ, cogit, clavamq; colo: leonis exuvias, muliebri cultu, mutare.

Pro Dejanira quoque pugnavit contra Acheloum, Thetidis filium, (Lib. IX. n.1.) Eo ſuperato, cum puellam, pugnæ præmium, domum duceret, centaurum Neſſum, Dejaniram abducere tentantem, ſagittis interemit. Neſſus moriens, & ultionem ſpirans, veſtem ſuo cruore, quod præſentiſſimum erat venenum, tinctam, Dejaniræ dedit, affirmans, ſi eam Hercules indueret, futurum ut nunquam aliam amaret. (Lib. IX. num.4.) Dejanira veſtem ſacrificanti in Oeta monte Herculi miſit. Vix induerat, cum inteſtino correptus igne, in pyram ſe conjecit, eaque conflagravit. (Lib. IX. num.5. & 8.) Antea tamen ſagittas ſuas, Hydræ Lernææ ſanguine imbutas, ſine quibus Trojam capi non poſſe in fatis erat, donavit Philoctetі, Pœantis filio. Philoctetes illas Trojam attulit, ab Ulyſſe perductus. Lib. XIII. num.2. 9. Cenſent eruditi tot res præclare geſtas nequaquam eſſe unius Herculis, ſed multorum, qui eodem nomine, non eodem loco ac tempore, vixerint: ac duos præſertim ſtatuunt, alterum Libycum, cui adſcribunt pugnam cum Antæo, cum Geryone, cum dracone Heſperio: diductam Africam ab Hiſpania, immiſſo freto Gaditano, &, ſi qua ſunt alia geſta per Africam & Hiſpaniam: Alterum Thebanum, cui reliqua facinora tribuunt per Arcadiam, Peloppenneſum, & Phrygiam, ſparſa.

CAPUT XVI.

THESEUS.

Theſeus, Ægei, regis Athenienſium, filius, Herculi propinquus tempore, & conſanguinitate, fuit. Ejus fortitudo eluxit præſertim in domandis tyrannis, ac dinaſtis, qui potentiam ſuam vexandis hominibus, & publica infelicitate, metiebantur. (Lib.VII. n.10. 11.) Talis erat Sciron, qui prætereuntes in mare præcipitabat: talis Procuſtes, qui hoſpites in ſuo ipſius lecto ſternebat, iiſque pedum partem, quæ modum lecti excederet, amputabat, aut tactis in diverſa equis miſeros diſtrahebat. Iſtis, aliiſque id genus, profligatis, ad monſtra quoque debellanda curas animumque vertit.

Tria præcipue ſuſtulit: taurum immanem, qui Marathonium agrum fœda populatione deformabat: aprum Calydonium, ab irata Diana immiſſum in Ætoliam (Lib. VIII. n.67.) & Minotaurum, monſtrum ex homine tau-

roque

roque conflatum: cui devorandos mittere quotannis ſeptem pueros, ſorte lectos, cogebantur Athenienſes: hac eos pœna victor Minos, rex Cretæ, cujus filium Androgeum interfecerant, mulctaverat. (Lib. VII. 3.)

Inceſſit Theſeum cupido Minotauri occidendi: venit in Cretam, & monſtro perempto, Minois filiam Ariadnen, cujus ope labyrinthi ambages explicuerat, ſecum abſtulit: eam tamen, immemor beneficii, deſeruit in inſula Naxo: deſtitutam Bacchus duxit. (Lib. VIII. n.3.) Navis, qua vehebatur in Cretam Theſeus, nigris inſtructa velis erat, mutandis in alba, ſi rem bene geſſiſſet. Mutare non meminit, elatus lætitia victoriæ. At Ægeus nigris velis eminus aſpectis, & periiſſe filium ratus, in mare ſe dedit præcipitem: & Ægæo mari nomen fecit.

Pirithous, Theſſaliæ in eadem Græcia rex, accenſus invidia, ob res præclare a Theſeo geſtas, ejus regionem infeſtis armis incurſavit, ut ad ſingulare certamen illum eliceret. Nec recuſavit Theſeus. Sed ubi primum eſt conſpectus Pirithoum oris dignitate, comitate indolis, ita devinxit ſibi, ut amor invidiæ locum occupaverit, & animos atque arma, æterno fœdere ambo junxerint. Nec diu expectata fuit occaſio amicitiæ ſanciendæ. Centauri cum vicinis Lapithis invitati ad nuptias Pirithoi & Hippodamiæ, moverant rixam temulenti, & ingentem Lapitharum cædem ediderant (Lib. XII. n.7.8.) Erant Centauri equites adeo ſtrenui, ut ſedentes in equo, unum cum eo corpus conflare viderentur. Illorum proterviam ac libidinem Pirithous, Theſeo adjuvante, ultus eſt, ut pareret. Ambo deinde, annis ante excidium Trojæ quatuor & viginti, Helenam rapuerunt, quæ a Caſtore poſtea & Polluce fuit recuperata. Iidem ad rapiendam Proſerpinam regis Moloſſorum filiam profecti ſunt. Eam canis ferociſſimus cuſtodiebat, quem Cerberum vocabant: ab eo laceratus eſt Pirithous: Theſeus a rege datus in cuſtodiam, Herculis precibus conceſſus eſt. Inde nata de inferis fabula, quod Theſeus, ut narrant poetæ, adiit cum Pirithoo, ut Proſerpinam abduceret. Pluto, re cognita, utrumque comprehendit, & vinculis oneravit: in iis hæſit Pirithous, ſive, ut alii narrant, a Cerbero devoratus eſt. Theſeum Hercules, cum adiret inferos, liberavit: & adjutorem habuit in ſuſcepto contra Amazones bello, quarum reginam Hippolytem ipſi uxorem dedit. Ex ea Theſeus genuit Hippolytum: quem Phædra, Minois filia, ſecundis nuptiis Theſeo juncta, cum aliter amaret, ac par & honeſtum erat, accuſavit, quaſi paternum temerare torum voluiſſet. Theſeus Hippolytum diris devovit, ac Neptunum filio ultorem invocavit a quo immiſsæ phocæ Hippolytum in maris littore ſpatiantem curru excuſserunt. Mortuum Æſculapius revocavit in vitam: Diana tranſtulit in Ita-

in Italiam, & Virbium appellavit. Lib.II. 14. XV. 11.) Phædra, crimen confeſſa, necem ſibi attulit.

CAPUT XVII.

CASTOR, ET POLLUX.

CAſtor, Pollux, Helena, & Clytemneſtra, Ledam habuere matrem, uxorem Tyndari, Oebaliæ regis in Græcia: ſed Pollux & Helena, Jovem; Caſtor, & Clytemneſtra Tyndarum, patrem ſortiti ſunt. Caſtor tamen & Pollux vulgo Tyndaridæ a poetis vocantur: & amborum celebratur amicitia, quæ tanta extitit, ut Pollux, Jove ſcilicet natus & immortalis, ſuam immortalitatem impertiri fratri non dubitaverit. Annuit Jupiter ut alternis diebus alter viveret, alter moreretur; imo Caſtorem adoptavit, in Pollucis gratiam, ita ut ambo appellarentur promiſcue Dioſcuri, hoc eſt, Jovis filii; & inter ſidera collocarentur, ubi tertium in Zodiaco locum obtinent, Geminique nuncupantur.

Honorem hunc tamen, niſi magnis in mortales promeritis conſecuti non ſunt, ac potiſſimum depellendis mari prædonibus, quam ob cauſam vota ipſis facere nautæ conſueverant, & agnos immolare candidos, cum nigras oves Tempeſtatibus ſacrificarent. A Romanis quoque impenſius culti ſunt: apud quos viri per ædem Pollucis jurabant vulgo; feminæ, per ædem Caſtoris.

CAPUT XVIII.

JASON, ET ARGONAUTÆ.

ATHamas, Thebarum rex, arietem auro inſignem vellere donatum a Superis ſervabat domi, familiæ Palladium. (Lib. VI. 15. VII. 1. 3.) Hunc Phryxus, Athamantis filius, novercam Nephelen fugiens, adſportavit, & ad Colchos delatum immolavit Jovi: aureum autem vellus dedit Æetæ regi Colcorum, a quo repoſitum in luco Marti ſacro fuit, additis cuſtodiæ cauſa, tauris ignem ſpirantibus, & pervigili dracone. Hunc theſaurum eripere Colchis Jaſon decrevit, filius Æſonis, Theſſaliæ regis, hortante patruo Pelia, qui, fratris ſenio confecti loco, regnum adminiſtrans, donec ei regendo per ætatem Jaſon par foret, eum in iſta expeditione periturum ſperabat.

Jaſon vocatis in periculi, & gloriæ ſocietatem ducibus Græciæ fortiſſimis, Hercule, Theſeo, Caſtore, Polluce, Orpheo, Lynceo, Typhi, &c. navim Argo fabricavit, trabibus e Pelio monte ſumptis, ſive, ut alii tradunt, e Dodonæa ſilva, cujus arbores, voce præditæ, edebant oracula

cula. Typhis clavum regebat: Lynceus, oculis acutiſſimis valens, brevia, & ſcopulos detegebat: Orpheus navigationis tædia levabat cantu: ceteri heroes, qui vulgo dicuntur Argonautæ, remos agitabant. Solus Hercules curſum parumper retardabat, tum quia pondere corporis deprimebat navim, tum quia ingentem ſtomachum nulli ſatis implebant cibi; cumque omnem, quæ condita in ea dis ferebatur, aquam hauſiſſet, miſit Hylam, adoleſcentem ſibi carum, ad petendas e vicino fonte lymphas. Lapſus in fontem Hylas, ſive a Nymphis, ut poetis placet, raptus, (ſunt illæ fontium Deæ) cum non rediret, excendit Hercules, eum quæſiturus, ac ſocio moleſto vectores liberavit.

Navis hoc onere levata, petras Cyaneas, quæ Symplegades vocantur, prætervecta, (Lib.VII. n.1. XV. 7.) & Pontum Euxinum feliciter emenſa, Colchidem attigit. Jaſon aureum vellus abſtulit adjuvante Medea, (Lib.VII. n.3.) quæ una cum illo fugiens in Theſſaliam, ut patrem Æetam perſequentem moraretur. Abſyrtum fratrem interfecit, ejuſque membra, qua pater inſtabat, diſſipavit, quæ colligens Æeta, illi ſpatium fugiendi dedit. Ut Medea venit Jaſonis domum, Æſonem ejus patrem, annis & morbis gravem, in priſtinum robur ac juventutem arte magica reſtituit; (Lib. VII. n.4.7.) at Peliam, deceptis ejus filiabus, jugulavit. (Lib.VII.n.8.)

Jaſon interea Corinthum profectus ad Creontem regem, ejus filiam Creuſam adamavit. Medea ſe ſpretam furens, arculam gemmis incantatis plenam Creuſæ miſit, quæ, igne concepto, ipſam & Creontem abſumpſerunt. (Lib. VII. n.10.) Medea poſt exprobratam Jaſoni perfidiam, ſuſceptos ex eo duos filios, in ipſius conſpectu, mactavit, alatiſque vecta draconibus, Athenas evaſit ad Ægeum regem, cui cum nupſiſſet, ac Medum filium genuiſſet, conata eſt Theſeum, Ægei filium, e medio tollere, veneno dato; ſed deprehenſo ſcelere, fugit in eam Aſiæ partem, quæ ab eius filio Media eſt nominata. (Lib. VII. 10.) Argonautarum expeditionem chronologi aſſignant anno poſt conditum illum ſexageſimo quarto: ante ejus ἅλωσιν, ſeptuageſimo nono.

CAPUT XIX.

CADMUS.

Jupiter in taurum converſus Europen Agenoris, Phœnicum regis, filiam abduxerat in Cretam. (Lib.II.19.) Agenor ejus inveſtigandæ negotium Cadmo filio dedit, eumq; niſi reperta ſorore, domum redire vetuit. Cadmus perreratis fruſtra variis orbis terrarum partibus, oraculo Delphico juſſus eſt in eo Græciæ loco conſiſtere, ubi

obvium haberet bovem, ibique urbem condere (Lib. III. n. 1. 3.) Regionem, Bœotiam; urbem Thebas appellavit. In ea plures regnavit annos, domeſticis tamen calamitatibus graviter conflictatus. Ex ejus quippe liberis Semele, cum Jovem, ex quo Bacchum edidit, videre fulminantem exoptaſſet, ambuſta fulmine periit: Ino furentem virum ſuum Athamantem fugiens, in mare ſe præcipitem dedit. (Lib. IV. 6.) Agave Penthei mater, filium diſcerpſit. (Lib. III. 12.) Cadmus ipſe Thebis pulſus ab Amphione, conceſſit ad Illyrios, cum conjuge, ubi tædio calamitatum affecti, Diis miſerantibus, in ſerpentes ambo mutati ſunt. (Lib. IV. n. 8.)

Amphion Tebanæ civitatis muros condidit, convenientibus ad ſonitum liræ ſaxis, ſeptemque in ea portas aperuit. Hanc Alexander delevit, Pindari tamen familiæ ac domicilio parcitum ubi volunt voluit. Alia fuit urbs ejuſdem nominis in Ægypto, centum portis patens, a qua regio vicina cognomen Thebaidis habuit: alia in Cilicia, Andromaches patria, quam Græci Trojanum ad bellum proficiſcentes, vaſtaverunt.

CAPUT XX.

OEDIPUS.

LAjus, Thebarum rex, cum audiviſſet ſe periturum a filio, Jocaſtæ uxori præcepit; ut natum infantem jugularet. Averſata facinus mater, occidendum puerum tradidit militi: miles pueruli lacrymis, & liberali forma, motus, eum ex arbore ſuſpendit pedibus, quos fune, ſeu vimine, in calces indito, trajecerat. Suſpenſum vidit magiſter armentorum Polybii Corinthiorum regis, & reginæ, liberis carenti, obtulit, quæ puerum aluit pro ſuo, Oedipumque dixit a pedum tumore, quos inflatos & tumentes retinebat.

Ætate provectus comperit nequaquam Polybii ſe eſſe filium; oraculum conſuluit, ab eoque didicit futurum ut patrem in Phocide reperiret. Illuc profectus, Lajum, in ſeditione populari ſedanda laborantem, imprudens peremit, ac Thebas rediit. Erat non procul ab urbe Sphinx, monſtrum ingenioſum, virgineo capite, corpore canino, alis draconis & cauda, pedibus leonis & unguibus, inſigne. Prætereuntibus ænigma proponebat, eoſque, niſi objectum nodum ſolverent, devorabat. Hinc regionis vaſtitas, & urbis ſolitudo, ad quam nemo poterat adſpirare.

Creon Jocaſtæ frater, qui Lajo mortuo regnum Thebanum occupaverat, præconis voce per univerſam Græciam edixit fore ut regnum & Jocaſtam, Laji uxorem, illi traderet; quicumque propoſitum ænigma poſſet explicare.

Quod-

Quodnam animal eſt, inquiebat Sphinx, *mane quadrupes*, *ſub meridiem bipes*, *& veſperi tripes*? Oedipus, tanto præmio invitatus, reſpondit animal iſtud hominem ipſum eſſe, qui pedibus manibuſque reptat in infantia; binis pedibus nititur vir; ſenex, baculo, quaſi tertio pede, fulcitur. (Lib. VII. 18.) Hoc reſponſo victa Sphinx, præcipitem ſe in mare projecit, & regnum metu liberatum, ac Jocaſtam, Oedipo reliquit. Ex ea Eteoclem & Polynicem; itemque Antigonem, & Iſmenam tulit, nec prius matrem eſſe ſuam cognovit, quam orta peſtilentia vates pronuntiaſſent immiſſam peſtem a Superis Laji necem vindicantibus, nec deſituram, niſi exularet is, a quo Lajus cæſus fuiſſet. Compertum denique fuit cædis auctorem Oedipum eſſe, eumdemque matrem habere in matrimonio. His attonitus infelix, oculos eruit ſibi, & in voluntarium exilium diſcedens, regnum Eteocli & Polynici adminiſtrandum reliquit.

CAPUT XXI.

ETEOCLES, ET POLYNICES.

Eteocles & Polinices, Oedipi filii, ne paternum regnum dividendo debilitarent, ſatius duxerunt, illud integrum, ſed alternis annis, poſſidere. Eteocles, ut major natu, primus regnavit anno ſuo: ſed, eo elapſo, fratrem, contra quem convenerat, ſolio excluſit. (Lib. IX. 11.) Hæc belli Thebani, a poetis, præſertim a Statio, decantati, cauſa. Polynices enim omnem Græciam in arma excivit, adſcito in fœdus Adraſtro Argivorum rege. Tireſias fauſta omnia Thebanis promittebat, ſi Menæcus Creontis filius, ultimus Cadmi poſterorum, ſe pro patria devoveret. Nec dubitavit fortis adoleſcens, invito patre, procurrere in conſpectum hoſtium, & cruore ſuo, voluntaria victima, litare.

Hinc ſecunda omnia Thebanis ceſſerunt. Multi hoſtium duces, & potiſſimum Tydeus, Parthenopæus, Capaneus, Amphiaraus, maximis jactati periculis periere. Ad extremum ambo fratres, creduli bello finem imponere ſingulari certamine aggreſſi, alter alterius manu ceciderunt. Nec ipſa mors odium illorum internecinum extinxit. In eumdem quippe rogum conjectis cadaveribus, flamma ſponte diviſa, vivere in ipſis mortuorum fratrum cineribus inimicitias demonſtravit.

Creon, extinctis Oedipo, ejuſque filiis, regnum, quod ipſi ſponte conceſſerat, recepit. Ereptum rogo Polynicis corpus & inhumatum projecit. Antigonem, fratris oſſa conatam ſepelire, vivam humo juſſit infodi: ſed ipſa ſupplicium, eliſis faucibus antevertit. At Hemon, Creontis filius qui Antigonen ſponſam optaverat, enſem ſibi ade-

adegit in pectus; Eurydice, Creontis uxor, tantum filii obitu luctum hauſit, ut mortem ſibi conſciverit. Hanc regiæ familiæ cladem Sophocles in ſcenam cum protuliſſet tam ſuavi commiſeratione affecit ſpectatores, ut inſulæ Sami præfectura donatus fuerit.

CAPUT XXII.

TANTALUS.

NOn levioribus infortuniis familia Tantali, regis Phrygiæ, concidit. Prima calamitatum origo, impietas ipſius Tantali fuit. Jovem, a quo genus ducebat, cum cæteris Diis domi ſuæ acceperat, eorum Divinitatem ut probaret. Pelopem ſuum filium, in fruſta conciſum, & elixum, illis appoſuit. (Lib. VI. 9.) Ceres paulo reliquis avidior, humerum Pelopis abſumpſit, alii ferales epulas deteſtati. Tantalum in tartara detruſerunt, ubi mediis in undis ſitit, & alludentibus ori pomis, fame cruciatur. (Lib. IV. 5.) Pelopem deinde in vitam revocarunt, educta ex inferis per Mercurium eius anima, & membris ita reparatis, ut humerus eburneus, in eius locum, qui a Cerere comeſus fuerat, ſubſtitueretur. (Lib. VI. 9.)

Niobe Tantali filia, paternam impietatem imitata, dum Latonam contemnit, numeroſam amiſit ſobolem, telis Appollinis ac Dianæ confixam, & ipſa dolore amens, in ſaxum diriguit. (Lib. VI. n. 5. 6. 7.) Pelops Phrygiam tot cladibus ſuorum funeſtam deſerens, venit in Elidem, & Hippodamiam, Oenomai regis filiam, uxorem ab ejus patre poſtulavit. Oenomaus mortem ſibi a genero afferendam admonitus, eam filiæ procis conditionem propoſuerat, ut curuli certamine ſecum decertarent, ea potituri ſi vincerent: perituri, ſi vincerentur.

Accipit conditionem Pelops, & regem vinci aliter quam dolo, non poſſe intelligens, egit cum Myrtillo, ejus auriga, ut ferrum tolleret, quod axi extremo, rotarum modiolis inſerto infigitur, eaſque, ne effluant, continet. Excuſſus hunc in modum curru Oenomaus fractis cervicibus, cum vita victoriam & regnum amiſit. Pelops regno dotali potitus, Peloponneſo nomen dedit, fœlix ſi concordes habere filios Atreum, & Thyeſten, potuiſſet! Sed fratrum diſcordia tanto ſolet eſſe gravior, quanto ſanctior amicitia eſſe debet. Thyeſtes uxorem fratris temeravit: Atreus Thyeſtæ filios, inſcio patre interfectos, eidem epulandos præbuit.

Supererat Thyeſtæ filius nothus, qui perire ſtatim ab ortu juſſus, a paſtoribus tamen ſervatus & lacte caprino nutritus fuerat, unde illi nomen Ægiſthus factum. Hic Athreum obtruncavit; Agamemnonem, Atrei filium, e

Trojano reverſum bello ſuſtulit, conſcia & adjuvante, quam ſibi male devinxerat, Clytemneſtra, conjuge Agamemnonis. Hinc fœcunda tragœdiarum ſeges.

CAPUT XXIII.

TROJANI REGES.

IN ea Phrygiæ parte, quæ Boſphorum Thracium reſpicit, Trojam Dardanus, Jovis & Electræ filius condidit, e Thuſcia fugiens occiſo fratre, quo cum in hac Italiæ parte regnabat. Rerum in Troade tunc potiebatur Teucer, qui Dardanum generum adſcivit, eumque illo Troiæ fundamenta iecit, annis ante natam Romam fere ſeptingentis. Dardano ſucceſſit Erichthonius filius, Erichthonio Tros, qui Trojam de ſuo appellavit nomine. Trois filius fuit Ganymedes, a Jove raptus: (Lib. X. 4.) item Aſſaracus, ex quo genitus eſt Capys, Anchiſæ pater: demum Illus, qui paternum adeptus regnum, Trojam Illum vocari juſſit.

Illo ſucceſſit filius Laomedon, quem Hercules vita regnoque ſpoliavit, abducto ejus filio (Lib XI. 8.) qui a Trojanis redemptus, inde Priami nomen conſecutus eſt, cum antea Podarces diceretur. Priamus patri ſuffectus, turribus arcibuſque munivit urbem, quæ tunc Pergama vocabantur, unde ipſa Troja nomen quoque ſumpſit. Priami uxor, Hecuba: filii præcipui, Deiphobus, Helenus, & Paris, ſive Alexander, funeſta patriæ fax. Talem ſibi vita fuerat parere mater, ejuſque ſomnio cognito, Priamus necari puerum juſſerat, Hecuba clam inter paſtores educandum curavit, ubi cum regias dotes oſtenderet in conditionis humilitate, originem probavit, ipſiſque Superis pignus eſt viſus, qui ortam inter Junonem, Palladem, & Venerem, controverſiam dirimeret. Intererant epulo geniali, cum Thetis Peleo nuberet. Diſcordia in medium jecit fatale pomum, cum hac inſcriptione: *Detur pulchriori.* Paris arbiter duræ litis ſumptus, eam Veneri adjudicavit, & ſibi ſuiſque Junonis ac Minervæ conflavit odia.

Interim Priamus certamen ludicrum nobilitati Trojanæ propoſuit. Adfuit Paris adhuc incognitus, & cæteris, qui congreſſi fuerant, victis, ipſum Hectorem ſuperavit. Hector, cum pugilem ignotum ferro perſequeretur, ut ignominiam ejus ſanguine elueret, agnovit fratrem, conſpectis certis inſignibus, & gemmis, quas Hecuba paſtori ejus educaturi, tradiderat. Priamus, fatorum immemor, filium lætus amplectitur, & in regiæ partem accipit.

CA-

CAPUT XXIV.

TROJANI BELLI CAUSA.

CUm Hercules Trojam vaſtaret, Heſionem Laomedontis filiam, Telamoni, Græco duci, conjugem dederat. (Lib. XI. 8.) Paris, amitam ſuam repetiturus, claſſem inſtruxit. Priamo non invito, qui opibus & gloria pollens, imminebat in omnem injurias a Græcis toties acceptas vindicandi occaſionem. Paris recte Spartam contendit, ad Menelaum, Spartæ regem, filium Atrei, & Agamemnonis fratrem. Exceptus humanitate ſumma, & domi relictus eſt a Menelao, cui erat iter in Cretam neceſſarium.

Helenam, uxorem Menelai, Venus ita Paridi conciliavit, ut cum eo Trojam profugerit, probante Priamo, qui Heſionem, ſororem ſuam, ita redditum iri facile ſperabat, ſi cum Helena permutaretur. Contra ac ſperaverat accidit: Nam Græci Heſionem reddere negarunt, Helenamque junctis viribus, & armis repetentes, Trojam, per annos decem obſeſſam, ſolo demum æquarunt. Quo pacto Ulyſſes, & Achilles ad hoc bellum perducti fuerint exponit Ovidius Lib. XIII.

Idem explicat quemadmodum Græcorum exercitus Aulidem convenerit, ibique ventis adverſis tandiu retentus fuerit, dum Agamemnon filiam Iphygeniam Dianæ immolare conſtitueret. Cervam tamen ejus in locum Diana ſubſtituit, eamque in Tauricam Cherſoneſum deportavit (Lib. XII. 2. XIII. 6.) Diana placata, ſolvit Græcorum claſſis, mille ducentarum nonaginta navium, ſub ducibus quinque & nonaginta, & ad Trojam caſtra poſuit.

Diuturnam bello moram attulit Aſia fere univerſa, ad urbis unius auxilium concurrens: tum Hectoris fortitudo: denique diſcordia Achillem inter, & Agamemnonem coorta. Hic puellam quamdam ſacerdoti Apollinis ereptam penes ſe habebat. Apollo a virginis patre oratus, immiſſa peſte, Græcorum exercitum populabatur, quam ut Achilles averteret, Agamemnonem coegit puellam parenti reddere. Agamemnon iracundia elatus Briſeidem viciſſim Achilli eripuit. Achilles, injuriam non ferens, incluſit ſe tentorio, Græcoſque Trojanis profligandos permiſit: arma ſua dumtaxat conceſſit Patroclo, quibus ille indutus, & Hectorem auſus laceſſere, ab illo ſternitur. (Lib. XIII. 8.) Tum vero Achilles ulciſcendi amici cauſa bellum repetiit, Hectoremque cæſum ter circa muros urbis raptavit.

CAPUT XXV.

TROJÆ EXCIDIUM.

HEctoris necem clades fortiſſimorum e Trojanis ducum eſt conſecuta. Priamo & Hecubæ in deſperationem actis, promiſit Paris necem Achillis, quo uno maxime Græci ſtabant. Comperit eum Polyxenæ, Priami filiæ, amore captum: adducit in ſpem conjugii, & pactis paucorum dierum induciis, in templum Apollinis invitat, colloquii uberioris cauſa. Venit Achilles, nihil a Paridis perfidia metuens, a quo ſagitta percuſſus interiit. Cæſum in acie canit Ovid. Lib. XII. 14. 15. De illius armis certatum Ajacem inter & Ulyſſem. (Lib. XIII.) At Græci dolo pariter & proditione ulciſcendos proditores arbitrati, reditum in patriam, velut feſſi bello, ſimulant, & equum ingentem fabricantur, quaſi donum placandæ Minervæ, cujus Numen a ſe violatum dictitabant, rapto ex arce Trojana Palladio, ſeu Minervæ ſacra ſtatua, qua Trojæ fatum & felicitas contineri putabatur.

Equum in littore relictum, Græcis ad inſulam Tenedum profectis, Trojani in urbem inducunt, diruta murorum parte, per quam Græci noctu e vicina inſula Tenedo reverſi, ſubierunt, & civitatem ſomno ac vino ſepultam incenderunt. Hanc illis ab Ænea & Antenore proditam fuiſſe fama eſt. Pyrrhus, Achillis filius, Priamum ad Jovis aram jugulavit; immolavit Polyxenam ad Achillis, qui ejus nuptias ambierat, tumulum (Lib. XIII. num. 13.) Andromacham Hectoris conjugem abduxit in Græciam. Paris ſagitta Herculis a Philoctete confoſſus eſt. Menelaus Helenam a Deiphobo, cui poſt Paridem occiſum nupſerat, recepit.

Ulyſſes Aſtyanactem Hectoris filium e ſumma turri dejiciendum curavit. (Lib. XIII. 12.) Ajax, Oilei filius, Caſſandra Priami filia temerata, Palladis, cujus ad ſtatuam veluti ad aſylum illa confugerat, iram in ſe concitavit: quare facto naufragio, fulmine conflagravit. Claſſis Græcorum ad Caphareos ſcopulos, inſulæ Eubœæ, alliſa (Lib. XIV. 10.) magna ex parte periit, Nauplii ſcelere, qui dolens filium ſuum Palamedem ab Ulyſſe falſo crimine accuſatum, & a Græcis damnatum, ignes nocturnos e cautibus extulit, ad quas claſſis, portum rata, per tenebras temere appulit. Contigit Trojæ excidium anno Mundi bis milleſimo octingenteſimo ſeptuageſimo, cum Ailon Hebræis jus diceret. Cæſa eſſe perhibentur in eo bello, Græcorum octingenta octoginta ſex millia: Trojanorum vero, ante captam urbem, ſexcenta ſeptuaginta ſex millia.

CA

CAPUT XXVI.

AGAMEMNON, ET ORESTES.

Agamemnon domum redux, Clytemneſtræ & Ægyſthi, ejus adulteri, ferro cecidit. Oreſtes ultus eſt patris mortem, perempta matre: quam cum obverſari ſibi ſemper crederet tædis & ſerpentibus armatam, oraculum conſuluit. Eo jubente, in Tauricam Cherſoneſum contendit, comite Pylade, regis Strophi filio: cujus amicitiam cum in maximis antea periculis, tum in hoc præcipue loco eſt expertus.

Mos erat, ut hoſpites ac peregrini comprehenderentur, Dianæ, quæ ibi colebatur, immolandi. Capti Pylades, & Oreſtes, adducuntur ad Thoantem, ſummum ſacerdotem. Is novorum hoſpitum nobilitate permotus, & indole liberali, cum utrumque ſervare, ſalvis patriæ legibus, non poſſet; alterum, ducta ſorte, incolumen fore pronunciat. Hic vero celebris orta eſt inter Pyladen & Oreſten contentio, dum alter alterius perire loco certat. Sors Oreſten addixit neci. Præerat Dianæ ſacris Iphygenia, Oreſtæ ſoror, illuc per Dianam ex Aulide tranſlata, cum cervam in illius mactandæ locum ſuppoſuit, ut Ovidius narrat Lib. XII. nu. 2. Iphygenia, cum ferrum libraret in fratris caput, eum agnovit. Occiſo Thoante, Oreſtes cum ſorore, Pylade, & Dianæ ſtatua, rediit in Græciam, ubi expiatus, & Furiarum tetro aſpectu liberatus, paternum regnum feliciter adminiſtravit. Eadem ſtatua Dianæ in Italiam poſtremo delata eſt, & in Aricino collocata nemore. Templi æдituus, & ſacerdos iſtius Dianæ Aricinæ, Rex Nemorum vocabatur, ac vulgo ſervus erat fugitivus, qui tandiu regnum illud obtinebat, dum ab alio fugitivo commiſſa pugna victus necaretur. (Lib. XV. 11.)

CAPUT XXVII.

ULYSSES.

Decem annos Ulyſſes erravit poſt exciſam Trojam prius, quam paternos lares viſeret. Vix ingreſſus navim, in Thraciam tempeſtate delatus eſt. Ibi regnabat Polymeſtor, cujus fidei ac tutelæ Priamus filium Polydorum, & regales theſauros, ne venirent in Græcorum manus, tradiderat cuſtodiendos. Polydorum rex avarus, ut auro potiretur, trucidaverat. Hecuba id cum reſciviſſet (nam Ulyſſi in Trojana præda dividenda obvenerat) Polymeſtorem adiit, velut ignara: oſtentanſque ſpem theſauri alterius, eum ſeduxit a regio comitatu:

mitatu : mox involans in vultum : oculos illi unguibus eruit. Quo facto lapidibus a populo ſuperveniente appetita, in canem rabidum mutata fuit. (Lib. XIII. n. 13. 14. 15.)

Ulyſſes repetita navigatione, abripitur in Africam ad Lotophagos : ita vocatos a loto arbore, cujus fructus tam ſuaves habebat illecebras, ut advenis oblivionem patriæ afferret, ejuſque ſuavitate captos e ſociis ſuis nonnullos Ulyſſes amiſerit. Alii redintegrato curſu, Siciliam cum eo tenuerunt. Sex eorum Polyphemus, Cyclopum teterrimus, devoravit. (Lib. XIV. num. 4 5.) Ulyſſes vino gravem invaſit, eique unum, quem in fronte media gerebat, oculum exſculpſit. Inde ad Æolum propere fugit, qui ventos adverſos utribus incluſos, in ejus navim congeſſit, ne nocerent. Utres tumidos ſocii male curioſi recluſere. Ventis ſolutis novæ tempeſtates excitatæ, nova pericula, Iis jactatum Ulyſſem, & a Læſtrygonibus, Formianum littus incolentibus, atque humana carne veſci ſolitis, pene oppreſſum, inſidioſa benignitate excipit Circe, famoſa venefica. Hæc ſocios Ulyſſis in ferarum varia monſtra trasformavit : ipſe artes magicas eluſit inſtructus herba Moly, ſapientiæ ſymbolo, a Mercurio ſibi donata. (Lib. XIV. n. 7.)

Eadem Circe adjuvante, adiit inferos, ubi a Tireſia vate multa de rebus aliquando ſibi eventuris cognovit. Pari felicitate ac prudentia Sirenum doloſos cantus, in eodem Tyrrheno littore effugit, ſociorum auribus cera obturatis, ipſe ad malum alligatus ; inde Siciliam rurſum tenuit. Solis boves Phaetuſa nympha paſcebat. Præceperat enixe ſociis Ulyſſes, ut ſacris armentis temperarent. Auditus non eſt : itaque Sole irato, naves cum ſociis amiſit, vixque in fractæ ratis tabula intravit ad Ogygiam inſulam, ubi recenti navigio inſtructus a nympha Calypſo, mari ſe commiſit.

Facto iterum naufragio, cujus auctor Neptunus, Polyphemum filium ab Ulyſſe excæcatum ægre ferens, evaſit ope Leucothoæ in inſulam Corcyram, & acceptis ab Alcinoo, Phæacum rege, navibus Ithacam attigit. Domum ſuam, ruſtici cultu, ingreſſus, cognoſcendum ſe Telemacho filio, & fidis aliquot famulis, dedit, quorum opera procis deletis, fortunas, uxoremque Penelopen, recuperavit.

Re bene geſta lætum tacitus angebat metus, ne a filio interficeretur : id enim Tireſias prædixerat : ac ne triſti vaticinio fidem faceret, cogitabat ſecedere in aliquam ſolitudinem, cum Telegonus, quem e Circe genuerat, audito fœlici patris in Ithacam adventu, acceſſit gratulaturus. Dum ut ignotus repellitur, nonnihil tumultus ortum eſt ad fores. Procurrit Ulyſſes, ut rem cognoſceret,

ret, interque confuſos tumultuantium clamores e ſagitta vulneratur a Telegono. Fieri medicina plagæ non potuit, quia jaculum veneno infectum erat.

CAPUT XXVII.

ÆNEAS.

ÆNeas, Veneris, & Anchiſæ Filius, Creuſam, Priami natarum unam, duxerat. E patriæ incendio elapſus, ope matris, ſeptem annos erravit incerto mari, ob iram Junonis, nomini Trojano ſemper inſenſæ. His tranſactis Carthaginem venit, ubi, quemadmodum canunt Virgilius, & Ovidius, Dido novam condebat urbem, ab eaque menſibus aliquot retardatus, monente demum Jove perrexit in Italiam, ac victo Rutulorum rege Turno, Laviniam regis Latini filiam cum dotali regno, accepit, ac Romani imperii fundamenta jecit. (Lib. XIII. 17. 19. XIV. 4. &c.)

CAPUT XXIX.

UTILITAS E FABULIS CAPIENDA.

CUm poetæ ac doctores profanæ antiquitatis plurima, quæ ad explicandam rerum naturam, aut inſtruendos mores pertinent, ſimulacris Deorum, & fabulis involverint: diſpiciendum eſt quid veri, bonive, ſub iſtis integumentis lateat. Ita Cœlum finxerunt Saturni, ſive Temporis, patrem, quia Cœlum diurna & annua converſione tempus efficit. Cum vero temporis par vetuſtati ſit velocitas, idemque finem rebus quas produxit afferat, deſcripſere Saturnum habitu ſenis alati, & falce armati, qui liberos ſuos devoraret.

Saturnum excepit Janus Latii rex prudentiſſimus, qui proſpiceret futura, præterita meminiſſet: eum bifrontem idcirco pinxerunt. Rudes & incultos homines Prometheus a ferino victu abductos excoluit, ac mentem veluti corporibus brutis addidit: hæc fuit cauſa cur homines dictus ſit e luto finxiſſe; idem uſum ignis edocuit, ac reperit quo pacto e ſolis radiis, puta, concavo ſpeculo exceptis, eliceretur. Hinc nata multa vitæ commoda, & e commodis incommoda, nimirum morbi, febres, &c. Deucalion urbes condidit, invenit artes, vitam moribus ornavit: hinc ſaxa in homines mutaſſe prædicatur.

Amphion devinctos concordia Thebanos ad urbem ædificandam adduxit: lapides lyræ ſono moviſſe narratur: Atlas vero in montem converſus cœlum humeris ferre, quia

quia ut aſtra ſpecularetur in editiorem aſcendebat locum, & cœleſtem excogitavit ſphæram, quam fere ſemper præ manibus habebat. Alas Dædalo dederunt, ut e labyrintho evolaret, quia navigandi, & utendi velis, artem reperit. Icarum audaci volatu ſublimia captantem in mare dejecerunt, ut juvenilem notarent imprudentiam, quæ medium iter ac tutum tenere neſcit.

In Tantalo avaros; in Lycaone, crudeles; in Sirenibus & Circe amatores voluptatum; in aliis alia flagitia deſcripſerunt. In Meduſa, muliere libidinoſa, indolem impuræ libidinis adumbratam voluere, cujus ea vis, labeſque eſt, ut homines omni rationis, pietatis, & humanitatis ſenſu ſpoliatos, in ſaxa transformare videatur. Quis in Narciſſo non agnoſcit hominem ſui amantiorem? in Marſia, quem Apollo cute ſpoliat, arrogantem; in Perſei Pegaſo, celeritatem rebus gerendis neceſſariam; in ejuſdem ſpeculo polito, quod inſtar clypei geſtabat, ſapientiam non intelligit? An temere conjiciet, ſi altiora ſpectamus, qui Adamum in Saturno liberos devorante expreſſum arbitrabitur? In Japeto Japhetum, e Noemi liberis tertium? & alia ejuſdem generis. Sacrarum arcana litterarum e Judæis cognoſcere Phœnices, & Ægyptii, facile potuerunt ab utriſque hauſerunt Græci, & jam adulterata, novis commentis depravarunt; a Græcis Romanus orbis ſumpſit: ut ſubtiliter & erudite diſſerit P. Turneminus Soc. JESU, in egregio ſpecimine prolixioris de tota ratione fabularum commentarii; cujus conſpectus magnam totius operis expectationem omnibus eruditis fecit. Multa quoque morum documenta ſub fabularum velo latentia detexit P. Michael Pexenfelderus Soc. JESU in eleganti ac pia lucubratione, cui nomen fecit *Ethica Symbolica*, &c. Edita Monachii, 1680.

CAPUT XXX.

QUOMODO EXPLICANDÆ FABULÆ.

Erit igitur Chriſtiani præceptoris, videre quid lateat ſub illo cortice fabuloſo, & veritatem iſtis involutam umbris evolvere. Sic impiæ vetuſtatis venena vertentur in antidota, & ſuus virtuti honor, improborum errore ad vitia traductus, jure merito reſtituetur. Quamvis autem hæc una caperetur utilitas ex hiſtoria fabuloſa; quamvis hæc una legeretur e tot flagitiorum, quibus religio profana ſordes, ſterquilinio gemma, nimirum commendatio Chriſtianæ religionis, quæ Deum, moreſque, tanto veteribus illis diſſimiles, tradit, ſatis magnus pareret ad juventutem non pie ſolum, ſed feſtive ac eleganter inſtituendam, campus.

Do-

Documento eſt P. Carolus de Aquino, Italus, Soc. JESU, quo Eloquentiæ magiſtro frui per annos duodeviginti Romano licuit Collegio in egregiis quas recens edidit Satyris, ubi totam illam veterem Deorum farraginem ita excutit, exagitatque, ut ingenium cum eruditione certet, majeſtas heroici carminis, cum ſatyrica dicacitate: latinitatis exquiſitæ ſapor, cum inſigni priſcorum auctorum notitia. Eaſdem dotes in aliis duobus carminum, quos vulgavit ante paucos annos, tomis obſervare eſt, ac præſertim in ipſius *Anacreonte recantato*; in quo quinquaginta ſex odas lepidiſſimi, at non uſquequaque modeſti & ſobrii vatis, eodem quo ſcriptæ ſunt metro, & ordine, ſic imitatur Latinis verſibus, ut eas ad honeſtiorem ſenſum accommodet, per totidem parodias; non ſacra dumtaxat argumenta ſuſtituendo profanis; ſed ingenioſa varietate fingendo, ludendo, & priſcas recentibus hiſtorias, ac ſententias, utiliter ſuaviterque intexendo.

INDEX

Prior numerus Librum : alter Libri caput : litera A. *Appendicem , ſignificat.*

A

ABas. IV. 9.
Abila. A. 15.
Abſtemius. XV. 7.
Acanthus. XIII. 18.
Acaſtus. XI. 11.
Accipiter. XI. 9.
Achæmenides. XIV. 4.
Achaja. IV. 9. XIII. 9. VII. 13.
Achelous. VIII. 14. 22. IX. 1.
Achilles. XII. 5. 14. 15. XIII. 6. A. 24. 25.
Acis. XIII. 21.
Acœtus. III. 9. 10.
Aconitum. I. 6. VII. 10.
Acriſius. III. 9. IV. 9. A. 4.
Acrota. XIV. 15.
Actæon. III. 4. 5.
Actæus. I. 11.
Actium. XIII. 19.
Acu pingere. VI. 1. 5.
Admetus. II. 15. A. 5.
Adonis. X. 6. 11.
Adraſtæa. A. 12.
Adverſum vulnus. XII. 9. XIII. 8.
Aello. XIII. 9.
Æacus. VII. 12. A. 11.
Æcaſtor. A. 17.
Ædepol. A. 17.
Æeta. VII. 1. 2. A. 18.
Ægæon. II. 1.
Ægæum mare. XI. 17. A. 16.
Ægeria. XV. 11. 12.
Ægeus. VII. 10. A. 16. 18.
Ægina. VII. 12.
Ageis. V. 2.
Ægyſthus. A. 22. 26.
Ægyptiorum Dii. V. 9. A. 3.
Æmonia. I. 16. VII. 2.
Ænaria. XIV. 2.
Æneas. XIII. 18. XIV. 14. XV. 18. A. 9. 28.
Æneas Silvius. XIV. 15.
Æneæ naves. XIV. 12.
Ænigma Sphingis. XV. 4. A. 20.
Æolus. XIV. 6. A. 10.
Æliæ inſulæ. XIV. 2.
Æoli. VII. 9.
Æs Corinthium. VI. 10.
Æſacus. XI. 20.
Æſar. XV. 1.
Æſculapius. II. 14. XV. 11. 13. 14. A. 5.
Æſon. VII. 1. 4. A. 18.
Ætas ærea. I. 6.
Ætas aurea, &c. I. 5. A. 1.
Ætates hominis. XV. 4.
Ether. I. 2.
Æthiopes. I. 2. II. 5.
Ætna. II. 5. XV. 7. A. 4.
Aganippe. V. 9.
Agamemnon. XII. 2. XIII. 6. A. 22. 26.
Agave. III. 4. 12.
Agenor. III. 1. A. 19.
Aglauros. II. 16. 18.
Ajax Oileus. XII. 15. XIV. 10.
Ajax Telam. X. 4. XIII 1. 11. A. 25.
Alba. XIV. 15.
Albula. XIV. 8.
Alcides. IX. 1.
Alcinous. XIII. 19. A. 27.
Alcmena. IX. 9.
Alcmæon. IX. 11.
Alexithoe. XI. 20.
Almo. XIV. 8.
Aloides. VI. 4.
Alpes. II. 5.
Alpheſibœa. IX. 11.
Alpheus. V. 11. 16.
Althæa. VIII. 11.
Amalthea. III. 10.
Amathus. X. 5.
Amazones. VI. 10. IX. 6. XV. 12. A. 15. 16.
Ambarvalia. A. 2.
Ambracia. XIII. 19.
Amentum. VII. 18.
Ammon. IV. 13. XV.

XV. 7.
Amomum. XV. 9.
Amphiaraus. IX. 11. A. 21.
Amphion. VI. 5. A. 19. 29.
Amphitrite. I. 11. A. 10.
Amphitryon. VI. 4. A. 15.
Amphyſe XV. 14.
Amulius. XIV. 16.
Amycle. VIII. 7. X. 4.
Amymone. II. 5.
Anaphe. VII. 12.
Anacreon recantatus. A. 30.
Ancilia. A. 4.
Androgeus. VII. 12. A. 16.
Andromeda. IV. 10.
Andros. XIII. 17.
Anemone. A. 11.
Angeronia. A. 12.
Anigrus. XV. 6.
Anius. XIII. 17.
Anio. XIV. 8.
Anni tempeſtates. II. 1.
Anſer. II. 13. XI. 13.
Antæus. IX. 6. A. 15.
Antennæ. III. 10. XI. 12.
Anthedon. VII. 5.
Anticlea. XIII. 5.
Antigone. VI. 3. A. 20. 21.
Antiphrates. XIV. 6.
Antiſſa. XV. 6.
Antium. XV. 14.
M. Antonius. XV. 18.
Anubis. XIII. 13.
Aonia. I. 11. III. 6.
Apenninus. II. 5.
Aper Calydonius. VIII. 6. 7. A. 16.
Aper Erimanthius. IX. 6.
Apes. XV. 8.
Apidanus. I. 16. VII. 5.
Apis. IX. 13.
Apollo. VI. 5. II. 15. XI. 6. A. 5.
Apulia. XIV. 10. 11.
Aquilo. I. 10.
Arachne. VI. 1. 4.
Aranea. VI. 4.
Arbutus. I. 5. XIII. 20.
Arcadia. I. 9.
Arcas. II. 12.
Arceſius. XIII. 5.
Arctos. II. 3. 4. 12.
Ardea. XIV. 13.
Arethuſa. V. 11. 13. 16.
Areopagus. VI. 3.
Argentea ætas I. 5.
Argo. VI. 15. VII. 1. A. 18.
Argolicus. I. 19. VIII. 6. XII. 15.
Argonautæ. VII. 1. A. 18.
Argos. VI. 20. VIII. 6. XII. 15.
Argus. I. 17. A. 4.
Ariadne. VIII. 3.
Aricia. XIV. 8.
Diana Aricina. XV. 11. A. 26.
Aries bellicus. XI. 13.
Armentum. I. 14.
Aſcanius. XIV. 15.
Aſcalaphus. V. 14.
Aſcolia. A. 7.
Aſopus. VII. 12.
Aſſaracus. XI. 20. A. 23.
Aſſyria. V. 2.
Aſtarte. A. 9.
Aſtræa. I. 6.
Aſtræi fratres. XIV 12.
Aſtrorum motus. II. 2.
Aſtyanax. XIII. 12. A. 25.
Aſtypalæa. VII. 12.
Atalanta. VIII. 7. 9. X. 7. 8. 9.
Athamantis. XV. 7.
Athamas. III. 9. IV. 5. 6. VI. 15. A. 10. 18.
Athenæ. II. 16. VI. 3.
Athos. II. 5.
Atteus. A. 22.
Atlas. II. 7. IX. 6. IV. 9. A. 15. 29.
Atrium. I. 7.
Atys. X. 3.
Aventinus. XIV. 15.
Avernus. X. 2.
Auglas. IX. 6. A. 15.
Augurium. V. 5. VI. 10. X. 1.
Auguſtus. I. 8. XV 9. 17. 18. 19.
Aulis. XII 1. A. 24.
Aura. VII 19.
Aures Midæ. XI. 7.
Aureus ramus. XIV. 3.
Aureum vellus. VI. 15. VII. 1. 3.
Aurora. XIII. 16. A. 5.
Auſpicium. V. 5. X. 1.
Autolycus. VIII. 17.
Autonoe. III. 4.
Axis. I. 9.

B

Babylon. IV. 2.
Bacca. VI. 3. VIII.

VIII. 6. X. 3.
Bacchæ in arbores. XI. 3.
Bacchantes. IV. 1. A. 7.
Bacchi nutrices, VI. 7.
Bacchi nomina, IV. 1.
Bacchi comitatus. III. 9. A. 7.
Bacchiadæ. V. 11.
Bacchus. III. 10. A. 1. 7.
Bactra. V. 4.
Bajæ. XV. 14.
Baleares. II. 16.
Balliſta. XI. 13.
Barbaricus. VI. 12.
Barbarus. VI. 12.
Battus. II. 15.
Baucis. VIII. 15.
Belides. IV. 5.
Bellerophon. IV. 12. VI. 8. A. 14.
Bellona. A. 4.
Belus. A. 13.
Berecynthia. A. 1.
Berecynthus. XI. 1.
Blattæ. XV. 8.
Bœbe. VII. 5.
Bœotia. I. 11. III. 1. A. 19.
Bootes. II. 4.
Boreas. VI. 15.
Briſeis. A. 24.
Bromius. IV. 1.
Bubaſides. IX. 12.
Bubaſtis. IX. 13.
Bubo. V. 14. VI. 10. XI. 1.
Bulla. X. 3. 11. A. 12
Buſiris. IX. 6. A. 15
Buthrotus. XIII. 19.
Byblis. IX. 12.

C

Caballinus fons V. 8.
Cadmus. III. 2. 3. 4. IV. 8. A. 19.
Cadmi liberi. III. 4. IV. 4.
Cadmeides. IV. 7.
Caduceus. II. 16. A. 8.
Ceneus. XII. 11. 12.
C. Jul. Cæſar. I. 8. XV. 16. 17.
Cæſtus. V. 4.
Cæus. VII. 9.
Cajeta. XIV. 4. 9.
Calais. VI. 15. VII. 1.
Calavrea. VII. 9.
Calchas. XII. 1.
Caliſto. II. 11. 12.
Calpe. A. 15.
Calydon. VI. 10. VIII. 6.
Calydna. VIII. 4.
Calydonius Aper, VIII. 6. 7.
Calypſo. A. 27.
Callirhoe. IX. 11.
Calculi. XV. 1.
Camillus. A. 8.
Cancer. II. 2. X. 3.
Canes. I. 14. 15. III. 5. VII. 14. 18.
Capaneus. IX. 11. A. 21.
Capella, aſtrum. III. 10.
Capetus. XIV. 15.
Caphareus. XIV. 10. A. 25.
Capiſtrum. X. 3.
Capreæ. XV. 14.
Capys. XIV. 15. A. 23.
Carica. VIII. 16.
Carina. XIV. 12.
Cartheja. VII. 9.
Caſſandra. XIII. 12.
Caſſiope. IV. 10.
Caſſius. XV. 18.
Caſtor. VIII. 7.
A. 17.
Caucaſus. II. 5.
Caulon. XV. 14.
Caycus. II. 6. XV. 6. XII. 5.
Cayſter. II. 6.
Cea. VII. 9.
Cebrenus. XI. 20.
Cebrina. VII. 9.
Cecrops. VI. 14.
Cenotaphium. XII. 1.
Cenſus. XV. 9.
Centauri. IX. 6. XII. 7. A. 16.
Cephalus. VII. 13.
Cepheni. V. 1. &c.
Cepheus. IV. 10. V. 1.
Cephiſus. I. 12.
Cerambus. VII. 9.
Ceraſtæ. X. 5.
Cerberus. X. 2. A. 15. VII. 16.
Cercopes. XIV. 2.
Cercyon. VII. 11.
Ceres. V. 10. 11. 17. A. 2.
Cerva Mænali. A. 15.
Cervus. III. 4. X. 3.
Ceyx. XI. 11. 12. 13.
Chameleon. XV. 9.
Chaonia. V. 5. X. 13. XIII. 19.
Chaos. I. 1. XIV. 9.
Charites, VI. 10. A. 9.
Charon, A. 11.
Charybdis. XIII. 20.
Chelydrus. VII. 6.
Cherſoneſus. XII. 2. A. 6. 26.
Chiron. II. 2. 14.
Chimæra. IV. 12. VI. 8. IX. 12. A. 14.
Chlamys. V. 2.
Chloris. A. 12.

Chryſaor. IV. 12.
Cicones. VI. 15. XI. 1.
Cimmerii. XI. 15.
Cimolus. VII. 12.
Cinum. V. 12.
Cinyphius. V. 4.
Cinyras. VI. 3.
Cipus. XV. 12.
Circe. XIV. 1. 6. 7. 8. A. 27. 29.
Circæum. XIV. 6.
Circinus. VIII. 5.
Circuli ſphæræ. I. 3. II. 3.
Circus. VII. 14. XII. 5.
Ciris. VIII. 2.
Citharædus. XI. 6.
Citheron. II. 5.
Claros. I. 14. XI. 11.
Cleonæ. VI. 10. IX. 6.
Cleopatra. XV. 18.
Clitorius. XV. 7.
Clymene. I. 20.
Clytemneſtra. A. 17. 22. 26.
Cnidus. VIII. 4.
Cœliſitus & aſpectus diverſus. II. 3.
Colchi. VI. 15. VII. 1.
Colophon. VI. 1.
Colorum temperatio. VI. 2.
Columnæ Herculis. A. 15.
Commune. XII. 1.
Compitalitii ludi. A. 12.
Convexus. I. 2.
Convivium ruſticanum. VIII. 16.
Corallium. IV. 11. XV. 9.
Corcyra. XIII. 19.
Corinthus. VI. 10. V. 12.
Corna. I. 5.
Cornucopię. IX. 3.
Cornus. VIII. 9.
Corona Ariadnes VIII. 3.
Coronæ. XIII. 13.
Cortina. A. 5.
Corvus. II. 13.
Corybantes. A. 2.
Corymbi. III. 11.
Coryneta. VII. 11.
Crabrones. XV. 8.
Cragus. IX. 12.
Cratis. XV. 1.
Cremyon. VII. 11.
Creon. A. 15. 18. 20. 21.
Crepuſculum. I. 9.
Creta. IX. 13.
Creuſa. VII. 10. A. 18. 28.
Crinale. V. 2.
Criſtæ anguium. III. 1.
Crocus. IV. 3.
Crœſus. III. 4.
Croton. XV. 1.
Cumæ. XIV. 3. 4.
Cupidinis tela. I. 14.
Cupreſſus. X. 3.
Cures. XIV. 16.
Curetes. VIII. 3. A. 2.
Currentium certamen. X. 7. 8.
Cyane. V. 11.
Cyaneæ Petræ. VII. 1. A. 18.
Cybele, XIV. 12. A. 1. 2. 12.
Cyclades. II. 6. VII. 12.
Cyclopes. I. 9. A. 4.
Cycnus. II. 9. XII. 1. 4. 5.
Cyllene. I. 9.
Cyllenius. V. 9.
Cynthia. II. 11.
Cypariſſus. X. 3.
Cyprus. III. 5.
Cythera. X. 6.
Cythorus. VI. 4.

D

DActyli. VIII. 16. A. 2.
Dædalion. XI. 9.
Dædalus. VIII. 4.
Danae. IV. 9. A. 14.
Daphne. I. 14.
Dardanus. XIII. 19. A. 23.
Daulia. V. 8.
Daunus. XIV. 10.
Decumanus. XI. 14.
Dejanira. IX. 14. 5. A. 15.
Deiphobus. A. 23. 25.
Delius. I. 24. A. 5.
Delphi. I. 14. V. 4. XV. 13. A. 5.
Delphines. III. 11.
Delus. VI. 5. A. 5.
Deois. V. 1. 4.
Depoſitum. IX. 4.
Dercetis. IV. 1.
Deucalion. I. 18.
Dia. III. 10. 11.
Diana. VI. 5. A. 5. 6.
Diana Aricina, XV. 11.
Dianæ ſtagnum, XIV. 8.
Templum Dianæ. A. 6.
Dicte. III. 1.
Dictynna. II. 11.
Dido. XIV. 2. A. 18.
Diem frangere, VIII. 14.
Dies ſoſidus. VIII. 21 14.
Dieſpiter. A. 3.
Digiti pectinatim nexi. IX. 9.
Dii ethnicorum, A. 13.
Diluvium. I. 16.

Dyn-

Dyndimene. A. 1.
Dindymus. II. 5.
Diomedes. XIII. 10. XIV. 10. XV. 1. A. 15.
Dione. A. 9.
Dionyſia. A. 7.
Dionyſus. A. 7.
Dioſcuri. A. 20.
Dirce. II. 5.
Dis. V. 16.
Diſcus. X. 4.
Dodona. VII. 16. XIII. 19. A. 18.
Dolon. XIII. 4. 7.
Doris. II. 1. A. 10.
Draco cœleſtis. II. 3.
Draconis dentes, VII. 3.
Dryades. I. 8. A. 10.
Dryope. IX. 10.
Dulichius. XIII. 2.
Durateus equus, A. 25.

E

Echidna. IV. 6. VII. 10.
Echinades. VIII. 14.
Echo. III. 6. 8.
Ecliptica. II. 2. 3.
Edoni. XI. 3.
Electrum. II. 9.
Eleleus. IV. 1.
Elementa. I. 2. XV. 5.
Eleuſinia. A. 2.
Eleuſie, VII. 11. A. 2.
Elis. II. 15. V. 13. XIV. 8.
Elpenor. XIV. 6.
Elyſium. A. 11.
Emathia. XV. 18.
Engonaſis. VIII. 3.
Enna. V. 11.
Enyo. A. 4.
Epaphus. I. 20.
Epgyre. II. 5. VII. 9.
Epidaurus. VII. 11. XV. 13.
Epimetheus. A. 3.
Epirus. VIII. 6. XIII. 19.
Epirus. XIV. 15.
Epops. VI. 14.
Equos domare. VI. 6.
Equus Trojanus, A. 25.
Eraſinus. XV. 6.
Erechtheus. VI. 15. VII. 11.
Erichthonius. A. 23.
Erimanthus. II. 6. 12.
Aper Erimanthi. A. 15.
Erinnys. I. 9. IV. 6.
Eriphyle. IX. 11.
Eriſichthon. VIII. 18. 19.
Erucæ. XV. 8.
Eryx. II. 5. V. 10.
Eteocles. IX. 11. A. 20. 21.
Ethica ſymbolica. A. 30.
Evander. XIV. 19.
Evippe. II. 14.
Evius. IV. 1.
Eumelus. VII. 9.
Eumenides. X. 2.
Eumolpus. XI. 4.
Evohe. IV. 1. A. 3.
Euphorbus. XV. 3.
Euphrates. II. 6.
Europe. II. 19. A. 19
Eurotas. II. 6. X. 4.
Eurypylus. VII. 9.
Euryſtheus. XI. 6. 9. A. 15.
Exemplar. II. 11.
Ἐχεμυθία. XV. 2.

F

Fabularum utilitas. A. 29. 30.
Famæ domus XII. 1.
Famelicus. VIII. 21.
Famis deſcriptio VIII. 20.
Favi. XV. 8.
Favilla. VII. 2.
Faunus. A. 12.
Februus. A. 12.
Felicitas humana III. 4. VI. 5. 10. VII. 12.
Feretrius. A. 3.
Ætas ferrea. I. 6. A. 3.
Ferugo. II. 18. V. 11.
Ferula. IV. 1.
Fibræ. XV. 12.
Fiſtulę origo. I. 18.
Floralia. A. 12.
Fluviorum cornua. VIII. 22. XIII. 21.
Fons Caballinus. V. 8.
Formiæ. XIV. 6. XV. 24.
Formicę. VII. 16.
Fortuna. A. 12.
Fuci. XV. 8.
Funerum ritus. VII. 15.
Furiæ. IV. 5. A. 11.

G

Galanthis. IX. 9.
Galatea. XIII. 20.
Galli Cybeles. A. 2
Ganges. II. 6. IV. 1.
Ganymedes. X. 4. A. 4. 23.
Gemini. VIII. 9. A. 17.
Genius. A. 12.
Genutius Cipus. XV. 12.
Gerana. VI. 3.
Geryon. IX. 6. A.

A. 15.
Gigantes. I. 6. 8. XIV. 1. A.3.
Glaucus. VII. 5. XIII. 22. XIV. 1. A. 10.
Gorgones. IV. 9. 12.
Gortyn. VII. 18.
Gradivus. A. 4.
Grææ. IV. 12.
Græcorum Judi. I. 13.
Granicus. XI. 20.
Gratiæ tres. A. 9.
Grues. VI. 3.
Gyarus. VII. 12.

H

HÆmus. II. 5. VI. 3.
Halcyone. XI. 11. 12.
Dies Halcyonei, XI. 19.
Halyętus. VIII. 2.
Hamadryades. I. 18. A. 10.
Harpe. V. 2.
Harpocrates. IX. 13. A. 12.
Harpyiæ. VII. 1.
Haruſpex. XV. 12.
Haſta Romuli. XV. 12.
Hebe. IX. 11. A. 4.
Hebrus. II. 6.
Hecate. VII. 2. 5. A. 6.
Hector. XII. 4. A. 24. XIII. 3. 4.
Hecuba. XI. 20. XIII. 13. 14. 15. A. 23. 27.
Hedera. V. 10.
Helena. XII. 4. XV. 4. A. 16. 17. 23. 25.
Helenus. XIII. 4. 19.
Heliades. II. 9.
A. 5.
Helice. II. 4. VIII. 4.
Helicon. II. 5.
Helle. VI. 15.
Helleſpontus. XI. 8. XIII. 12. VI. 15.
Herculanum. XV. 14.
Hercules. IX. 1. 2. 8. VI. 8. A. 5. 15. 18.
Herculis labores. IV. 6. A. 15.
Herculis ſagittæ. IX. 7.
Mors Herculis. IX. 6. 7. 8.
Hermathenæ. A. 8.
Hermeros. A. 8.
Hermes. A. 8.
Hermione. III. 3. 4. IV. 8.
Heroes. I. 8. A. 13.
Herſe. II. 16.
Herſilia XIV. 18.
Heſione. XI. 8. A. 5. 24.
Heſperia. II. 8. XI. 20.
Heſperidum horti. IX. 6. XI. 4. A. 15.
Heſperus. II. 3.
Hetruria. XV. 12.
Hippocampi. A. 10.
Hippocrene. IV. 12.
Hippolyta. IX. 6. A. 16.
Hippolytus. II. 14. XV. 11. A. 5. 16.
Hippomenes. X. 7. 8. 9. 10.
Hippotades. IV. 10.
Horus. A. 5.
Hoſpitalis Jupiter. V. 1.
Hyacinthus. X. 4.
Hyades. XIII. 8. 10.
Hyanteus. III. 4. V. 9.
Hydra Lernæa. IX. 3. A. 15.
Hyems. II. 1.
Hylas. A. 18.
Hyllus. IX. 9.
Hymenæus. X. 1. A. 9.
Hyppallage. I. 1.
Hypæpæ. VI. 1.
Hyperion. XV. 9. A. 5.
Hyrie. VII. 9.

I

IAcchus. IV. 1.
Jalyſus. VII. 9.
Janus. XIV. 8. 16. A. 1. 29.
Japetus. I. 4. A. 29.
Japygia. XIV. 10. XV. 1.
Jaſion. IX. 12.
Jaſon. VI. 15. VII. 1. 2. 3. A. 18.
Ibis. V. 9.
Icarius. VIII. 4. A. 29.
Icelus. XI. 16.
Ida. II. 5. VII. 9.
Dactyli Idæi. A. 2.
Origo Idololatriæ. A. 13.
Idomeneus. XIII. 10.
Ignis. I. 2.
Ilus. XI. 20. A. 25.
Illyricum. IV. 8.
Ilythyia. IX. 9. A. 4.
Inachus I. 16.
Inarime. XIV. 2.
Indago. VII. 18. XV. 10.
Index, lapis. II. 15.

In-

Indigena. VI. 8. X. 8.
Indiges. XIV. 14.
Inferi poetici. IV. 4. XV. 3. A. 11.
Inferiæ. VIII. 12. XII. 1.
Ino. III. 9. IV. 4. 6. A. 10. 19.
Internodium. VI. 6. XI. 20.
Invidiæ deſcriptio. II. 17.
Io. I. 16. 17. 19.
Jocaſta. V. 20.
Jolaus. XI. 11.
Jole. IX. 3. 9.
Jolcos. VII. 3.
Iphigenia. XII. 2. XIII. 6. A. 25.
Iphis. IX. 13.
Iræ remedium. III. 12.
Iris. I. 10.
Iſis. I. 19. IX. 13.
Iſmarus. II. 6. IX. 12.
Iſmenides. III. 4.
Iſther. II. 6.
Iſthmia. I. 13.
Iſthmus. VI. 10.
Itys. VI. 11. 13. 14.
Juba. XV. 16.
Jugerum. I. 14. IV. 5.
C. Jul. Cæſar. XV. 16. 17. I. 8.
Juno. XI. 15. A. 1. 4. I. 16. IV. 4.
Junones. A. 12.
Jupiter. A. 1. 3. 13. I. 5. II. 19.
Ixion. IV. 5.

L

LAbores Herculis. IX. 6. XV. 1. A. 15.
Labyrinthus. VIII. 3. 4.
Lacedæmon. X. 4.
Lacinium. XV. 1.
Laconia. X. 4.
Via Lactea. I. 7.
Læſtrygones. XIV. 6. A. 27.
Lajus. VII. 18. A. 20.
Lamus. XIV. 6.
Laomedon. XI. 8. A. 5. 23.
Lapithæ. XII. 7. 8. A. 16.
Lararium. A. 12.
Lares. A. 12.
Lariſſa. II. 13.
Latinus. XIV. 15.
Latona. VI. 5. A. 5.
Lavinia. XIV. 13. A. 28.
Lavinium. XV. 14.
Laurus. I. 15.
Learchus. IV. 6.
Lebynthus. VIII. 4.
Leda. A. 17.
Lelex. VIII. 7.
Lemnos. XIII. 2. 12. A. 4.
Lenæus. IV. 1.
Leo Nemeæus. IX. 6. 7. A. 15.
Lerna. I. 16. IX. 3. A. 15.
Lesbos. XI. 2.
Lethe. VII. 3. XI. 15. A. 11.
Leucas. XV. 6.
Leucothea. IV. 7. A. 10.
Libare. VIII. 6.
Liber. A. 7.
Libya. II. 5.
Lichas. IX. 5. 7.
Liguria. II. 9.
Lilybæum. V. 10. XIII. 19.
Linternum. XV. 14.
Lipara. A. 4.
Litare. XV. 17.
Lotophagi. A. 27.
Lotos. IX. 10.
Lucifer. II. 3.
Lucina. IX. 13. A. 4.
Luſtratio. IX. 2.
Lucus. XV. 17.
Lupercalia. A. 12.
Lupus ambiguus. VII. 6.
Lupus in ſaxum. XI. 10.
Luſtrare. XV. 5.
Lyæus. IV. 1.
Lycanthropus. VII. 6.
Lycaon. I. 8. 9. A. 29.
Lyceum. II. 16.
Lyceus. I. 9.
Lycia. IX. 12.
Lycomedes. XIII. 6.
Lycormas. II. 6.
Lyctus. IX. 13.
Lycurgus. IV. 1.
Lycus. XV. 6. A. 15.
Lymphatus. XI. 1.
Lyncestius. XV. 7.
Lynceus. A. 18.
Lynx. III. 11.
Lyrneſſus. XII. 5.

M

MAcareus, XIV. 4.
Mæander. II. 6. 8.
Mænalus. I. 9.
Mæonia. III. 10. VI. 1.
Mæonides. 5. 8.
Magicum ſacrum VII. 5. 6.
Magnetas XI. 11.
Maja. II. 19. A. 8.
Majores Dii. I. 7.
Manes. I. 16. 4. 4. XIV. 3.
Manto. VI. 5.

Ee 3 Ma.

Marathon. VII. 11. 3. A. 4.
Mars. VI. 3. XIV. 17. A. 4.
Marſyas. VI. 9. A. 5. 29.
Matuta. IV. 7.
Medea VII. 1. 2. &c. A. 18.
Medus. A. 18.
Meduſa, IV. 9. 12. A. 29.
Megaleſia. A. 2.
Megara. VII. 11. VIII. 1. A. 15.
Melampus. XV. 7.
Meleager. VIII. 6. 7. 8. 13.
Meleagrides. VIII. 13.
Melicerta. IV. 6. 7. A. 10.
Memnon. XIII. 16. A. 5.
Memnonides aves. XIII. 16.
Mendeſia. V. 5.
Menelaus. A. 24.
Menœcus. A. 21.
Menſæ ſecundæ. VIII. 16.
Menthe. X. 11.
Mercurius. I. 18. A. 8.
Mergus. XI. 20.
Merops. I. 20.
Meſſapia XIV. 11.
Meſſene. VI. 10.
Metamorphoſis. I. 1.
Metempſychoſi. XV. 2. 3.
Metra. VIII. 18.
Metus. III. 1.
Midas. XI. 4. 5. 6. 7.
Miletus. IX. 12.
Milites ex humo nati. VII. 3.
Milon. XV. 4.
Mineides. IV. 1. 3.
Minerva. V. 3. VI. 3. A. 4.
Minos. VII. 12. VIII. 1. A. 11.
Minotaurus. VIII. 3. A. 6.
Minturnæ. XV. 14.
Minyæ. VI. 1. VIII.
Miſeri cur audaces. VI. 7. XIV. 10.
Mithras. XV. 14. A. 5.
Mnemonides. V. 8.
Moloſſi. I. 9. 19.
Moly. XIV. 7. A. 27.
Momus. A. 12.
Monedula. VII. 12.
Montes varii. II. 5.
Mopſopia. V. 17.
Mora ex albis nigra. IV. 2.
Morpheus. XI. 16. A. 12.
Mortui. XIV. 3. A. 11.
Mulciber. II. 1.
Munichia. II. 16.
Murex. VI. 1.
Muſæ. V. 8. &c. A. 5.
Muſtela. IX. 9.
Mutina. XV. 18.
Mycenæ. VI. 10.
Mycone. VII. 12.
Mygdonia. V 1. 2.
Myrmidones. VII. 16.
Myrtilus. A. 22.
Myſcelus. XV. 1.

N

Nabathea. I. 3.
Najades. I. 8. XIV. 8. A. 10.
Napeæ. I. 8. A. 10.
Nar. XIV. 8.
Narciſſus. III. 6. 7. 8.
Narix. VIII. 7.
Natura. I. 2. XV. 2.
Navale. III. 11.
Naves Æneæ. XIV. 12.
Naxus. III. 11.
Neapolis. XIV. 3.
Neæthus. XV. 1.
Neleus. XI. 10. XII. 13. II. 15.
Nemea. I. 13.
Nemeſis. A. 12.
Nemorum rex. A. 26.
Neoptolemus. XIII 13.
Nephele. VI. 15. XI. 8. XII. 6.
Neptunus. A. 1. 5. 10. 13. VI. 3.
Nereides. A. 10.
Nereus. I. 8. A. 10.
Neritus. XIII. 19.
Neſſus, IX. 4. A. 15
Neſtor, XII. 11
Nilus, I. 13. II. 6
Ninus, A. 13.
Niobe, VI. 5. 6. 7
Niſus, VIII. 1
Nix, IX. 7
Nixi Dii, IX. 9
Nonacris, I. 18
Notus, I. 10
Nubigenæ, XII. 6
Numa, XV. 1
Numeri, VII. 3
Numicus, XIV. 8
Nurus, II. 9
Nyctelius, VI. 1
Nymphæ, I. 8
Nyſeus, V. 1

O

Obſes, I. 9
Oceanus, A. 10
Ocyroe, II. 14
Oebalia, X. 4
Oechalia, IX. 5
Oedipus, VII. 18. A. 29
Oeneus, VIII. 6

Oenomaus, A. 22.
Oenopia, VII. 12
Oeſtrus, I. 19
Oeta, II. 5. IX. 7.
A. 15
Oileus Ajax, XII.
15. XIII. 10. XIV.
10
Olea Minervæ, VI.
3. A. 4
Oleaſter, XIV. 11
Olenus, X. 2
Oliarius, VII. 12
Olympica, I. 13.
XIV. 8
Olympus, I. 6. VI.
9
Omen, V. 14. X. 1
Omphala, A. 15
Opertum, A. 2
Opes, I. 6
Ophias, VII. 9
Ophiucus, VIII. 3
Ophiuſa, X. 5.
Ops, A. 2
Ora, XIV. 18
Orchomenus, V.
16. VI. 10
Orcus, A. 11
Oreades, I. 8.
Oreſtes, XV. 11.
A. 26
Orgia, IV. 7. A. 7.
Orion, VIII. 4
Orithya, VI. 15
Orontes, II. 6
Orpheus, X. 1. 2.
XI. 1. A. 18
Ortygia, I. 18. V.
13
Oſiris, IX. 13. I. 19
Oſſa, I. 6. II. 5
Oſtia, XV. 14
Othrys, II. 5
Ovidius, XV. 20

P

PAchinus, V. 10.
XIII. 19
Pactolus, VI. 1.
XI. 5
Padus, II. 6
Pæan, I. 15
Pæon, XV. 11
Pæonia, V. 9.
Pæſtum, XV. 14
Pagaſæa navis,
VII. 1
Palæmon, IV. 7.
A. 10
Palæſtina, V. 5
Palæſtra, VI. 6
Palamedes, XIII.
2. 9. XIV. 10
Palearia, II. 19
Pales, A. 12
Palici, V. 11
Palilia, XIV. 16.
A. 12
Palinurus, XIV. 3
Palladium, XIII.
4. A. 25
Pallantias, IX. 12.
XV. 14
Pallas, VI. 3. A. 4.
Pallene, XV. 8.
Palma, X. 3
Pan, I. 18. XI. 6.
XIV. 11. A. 12
Pandora, A. 3
Panicus terror,
A. 12
Panomphæus, XI.
8
Panope, III. 1
Papilio, XV. 8
Parcæ. A 11. XV. 18
Paris, XIII. 15.
A. 23. 25
Paros, III. 7. VII.
12.
Parnaſſus, II. 5.
Parrhaſius, VIII.
7.
Parricidarum pœ-
na, VIII. 2
Parthaon, IX. 2
Parthenium nemus, IX. 6
Parthenopæus, IX.
12. A 21
Parthenope, XV. 14.
XIV. 3
Patara, I. 14
Patræ, VI. 10
Patroclus, XIII. 8.
A. 24
Patruelis, I. 11.
IV. 5
Pavo, I. 18. II. 13
Pecten texiorius, 2.
VI. 2
Digiti pectinatim
nexi, IX. 9
Pegaſus, A. 14. 29.
IV. 12
Pelaſgi, XII. 1
Peleus, VII. 13. 17.
XI. 8. 9. XII. 5
Pelias, VI. 1. VII.
8. A. 18
Pelion, I. 6
Pella, V. 9
Peloponneſus, A.
22
Pelops, VI. 9. A. 22
Pelorus, V. 10.
XIII. 19
Penates, I. 7. A. 12
Penelope, A. 27
Peneus, I. 14. 16
Penſum, IV. 1
Pentheus, III. 9.
12
Peparethus, VII.
12
Perdix, VIII. 4. 5.
Pergama, XII. 14.
A. 23
Pergus, V. 11
Periclymenus, XII.
13
Peripheta, VII. 11
Perſephone, V. 13
Perſeum, IV. 9. 10.
11. V. 1. 7. A. 24.
29
Peſtilentiæ deſcri-
ptio, VII. 14
Peucetia, XIV. 11.
Phænicia, II. 19

Phæaces, XIII. 19 A. 27
Phævra, XV. 11. A. 16
Phaethon, I. 20. II. 1. 8 &c. A. 5
Phantaſus, XI. 16
Pharnax, XV. 16
Pharos, XV. 6
Pharſalia, XV. 18
Phaſis, II. 6 VII. 1
Phegeus, IX. 11
Pheneus, XV. 7
Philemon, VIII. 15
Philoctetes, XIII. 2. 9. A. 15
Philomela, VI. 10. 14
Phineus, V. 1. 2. VII. 1
Phlegræi campi, X. 4
Phlegyæ, XI. 11
Phobetor, XI. 16
Phocæ, II. 6. A. 10
Phocis, I. 11
Phocus, VII. 12. 17
Phœnix, XV. 9
Phœniceus, XII. 5
Pholus, IX. 6
Phorbas, XI. 11
Phorcydes, IV. 12
Phoſphorus, II. 3.
Phryxus, XI. 15. A. 18
Phyllus, VII. 9
Picæ, V. 9. 17
Picus, XIV. 8
Pierides, V. 9. 17
Pignorari, VII. 15
Pindus, II. 5
Pingere acu, VI. 1. 5
Pinnæ, III. 11
Pinus, X. 3.
Piræus, VI. 10
Pirene, VII. 9
Pirithous, XIV. 6.
A. 16
Piſa, V. 11. 13
Pithecuſæ, XIV. 2
Plectrum, II. 13. V. 4
Plejas, I. 18 XIII. 8
Pleuron, VII. 9. XIV. 10
Pluto, V. 10. A. 11
Plutus, A. 11
Pluvia, IX. 7
Polenta, V. 12
Pollux, VIII. 7. A. 19
Polus geminus, II. 2. 3.
Polydectes, V. 7
Polydorus, XIII. 13. A. 27
Polymeſtor, XIII. 13. A. 27
Polynices, IX. 11. A. 20. 21
Polyphemus, XIII. 20. XIV. 4. 5. A. 27
Polyxena, XIII. 13. A. 25
Pomona, XIV. 15
Pompejus Magnus, XV. 18
Sextus Pompejus, XV. 18
Pomum diſcordiæ. A. 23
Poples, VI. 6
Præpes, IV. 11
Prœtides, XV. 7
Prætus, V. 7. A. 14
Priamus, XI. 20. A. 5. 23. 25
Priapus, A. 9
Procas, XIV. 15
Prochyra, XIV. 2
Procne, VI. 10. 12
Procris, VI. 15. VII. 17. 19
Procuſtes, VII. 11. A. 16
Prometheus, I. 4. A. 3. 15
Propœtides, X. 5
Proſecta, XII. 6
Proſerpina, V. 11. VII. 2. 5. A. 11
Proteſilaus, XII 4
Proteus, II. 1. VIII. 18. A. 10
Pſamathe, XI. 10
Pterophoros, XV. 8
Pugilatus, I. 13
Pulvinaria, XIV. 17
Pumex, III. 4
Pygmæi, VI. 3
Pylades, A. 26
Pylus, II. 15. VI. 10
Pyramus, IV. 2
Pyrene, II. 5
Pyropus, II. 1
Pyrrha, I. 11
Pyrrhus, XIII. 13. A. 25
Pythagoras, XV. 2
Pythia, I. 13
Pytho, I. A. 9
Python, I. 13

Q

Quirinus, XIV. 14. A. 4
Quirites, XIV. 17

R

Radius textorius, VI. 2
Ramus aureus, XIV. 3
Ranæ, VI. 8
Recinctæ veſtes, I. 12. VII. 4
Repagula, II. 4
Repercuſſus, III. 7
Reſponſa, III. 6
Rhadamanthus, IX. 12. A. 11
Rhamnuſia, A. 12
Rhea, A. 2

Rhe-

Rhegium, XIV. 1
Rhenus, II. 6
· heſus, XIII. 4. 7
Rheteum, XI. 8
Rhodope, II. 5. 6. 13
Rhodops, VII. 9
Rogus, IV. 2
Roma, XIV. 16. XV. 10
Romulus, XIV. XV. 16. 17.
Romuli haſta, XV. 12
Roſtrum navis, IV. 11

S

Sabini, XIV. 16
Sagittę Herculis, X. 7. A. 15
Salentini, XV. 1
Salii, A. 4
Samos, VIII. 4. XIII. 9. XV. 2
Sarpedon, XII. 8
Saturnus, A. 1. 13. 29. L. 1.
Saturnalia, A. 1
Satyri, I. 8. A. 12
Sceptrum, VII. 13
Sciros, VII. 13. A. 16
Scorpius, II. 2. 4
Scylla, VIII. 1. 2. XIII. 20. XIV. 1. A. 10
Scyllacæum, XV. 14
Secundæ menſæ, VIII. 16
Semele, III. 4. A. 6. 19
Semidei, I. 8. A. 13
Semiramis, IV. 1. 2
Senectus, VI. 1. 2
Septem ad Thebas, IX. 11
Septemtriones, I. 3
Serapis, IX. 13
Serpens in ſaxum XIII. 1
Serra, VIII. 5
Scheneja, X. 9
Sibylla Cumæa, XIV. 3. 1
Sicilia, V. 10. 15
Sigalion, A. 12
Sigæum, XI. 8
Signa Zodiaci, II. 1. 2
Silenus, XI. 4. A. 7
Silvanus, A. 12
Silvius Æneas, XIV. 15
Simæthus, XIII. 21
Simiæ, XIV. 2
Simois, XIII. 9
Sinis, VII. 11
Sipylus, VI. 5. 7
Sirene, V. 15. A. 10. 27. 29
Siſyphus, IV. 5. XIII. 1
Sithonia, VI. 13
Smaragdus, II. 1
Smintheus, XII. 14
Sol, II. 1. 2. 3. XV. 14
Solon, III. 4
Solum, I. 4
Somni domus, XI. 15. A. 12
Somnia, XI. 16
Sortes, I. 12
Sparta, X. 4
Speculum, III. 7
Sperchius, I. 16
Sphæræ circuli, I. 3. II. 3
Sphinx, VII. 18. XV. 4. A. 20
Sponda, VIII. 16
Sporades, VII. 12
Stabiæ, XV. 14
Stamen, IV. 1. VI. 2
Stator, A. 3.
Sthenelus, A. 15
Stenobęa, A. 14
Stellæ caducæ, II. 8
Stellæ fixæ, II. 3
Stellio, V. 12
Stephani, XIII. 18.
Stomachus, VIII. 20
Strix, VII. 6
Strophades, XIII. 10
Strymon, II. 6
Stymphalides, IX. 6. A. 15
Styx, II. 1. A. 11
Suada, A. 9
Subtemen, VI. 2
Succinum, II. 9
Sura, XI. 3
Surrentum, XV. 14
Sybaris, XV. 1. 7
Syene, V. 3
Symplegades, VII. 1. XV. 7. A. 18
Syrix, I. 18
Syrtis, VIII. 2

T

Tabularium, XV. 18
Tabum, II. 27
Tædæ, I. 14. 20. IV. 2
Tænarius, X. 1
Tages, XV. 12
Tagus, II. 6
Talaria, I. 18
Tamaſus, X. 8
Tanais, II. 6
Tantalus, IV. 5. VI. 5. XII. 15. A. 22. 29.
Tarentum, XV. 1
Tarpeja, XIV. 16
Tartarus, I. 5. A. 12
Tarteſſus, XIV. 9
Tatius, XIV. 16
Taurus Cretenſis, A. 15
Taurus Marathonius,

nius, A. 16
Jupiter taurus, II. 19
Taxus, IV. 4
Taygete, III. 10
Tegea, vii. 7
Telæ conficiendæ ratio, vi. 2
Telchines, vii. 9
Telamon, vii. 13 xiii. 5
Telegonus, A. 27.
Telemachus, A. 27
Telephus, xii. 5. xiii. 6
Tellus, A. 2. 3
Telſum, xii. 10
Temeſa, vii. 5. xv. 1
Tempe, I. 16
Tempeſtas, xi. 13
Tempus, A. 1
Tenos, vii. 12
Tereus, vi. 10. 12
Terminalia, A. 2
Terra, I. 1. 2
Terracina, xv. 14
Terræmotus, xv. 6. 7
Teucer, xiii. 5. 19. A. 23
Textorius pecten, vi. 2
Thaumantias, IV. 5. xi. 16.
Thebæ, III. 3. xii. 5. xiii. 6. 18. A. 14
Thebais, A. 19
Thebanum bellum, ix. 11. A. 21
Themis, I. 11. vii. 18
Thermodon, ix. 6
Theſeus, vii. 10. viii. 3. A. 16. 18
Theſmophoria, A. 2
Theſpiades, V. 9
Theſtiadæ, viii. 7
Thetys, II. 4
Thetis, xiii. 6. A. 16
Thisbe, IV. 2. xi. 9
Thoas, A. 26
Thracia, v. 8
Thurium, xv. 1
Thuſcum mare, xiv. 6
Thyeſtes, A. 22
Thyoneus, iv. 1
Thyrſus, III. 9
Tiberina inſula, xv. 13
Tiberinus, xiv. 15
Tiberius, xv. 18
Tibia Berecynthia, xi. 1
Tiphoeus, v. 9
Tireſias, III. 6. A. 27
Tirynthius, vii. 10. ix. 8
Tiſiphone, iv 5. 6
Titan, I. 1. A. 1. 5
Titanes, A. 1
Titania, III. 4. xiv. 8
Tithonus, A. 5
Tityus, iv. 5
Tlepolemus, xii. 13
Tmolus, vi. 1. xi. 4. 6. II. 5
Tophus, III. 4
Tori, II. 19
Toxeus, viii. 7
Tranſtra, xiv. 12
Trachas, xv. 14
Trachin, xi. 9. 16
Trieterica, vi. 3. A. 7
Trinacria, v. 10
Triones, II. 4
Triptolemus, V. 17
Triton, I. 11. A. 10
Tritonia, II. 17
Trivia, II. 11. vii. 2. 5
Troas, A. 23
Troja ædificata, xi. 8. A. 5
Troja capta, xi. 8. ix. 7
Trojæ excidium, xiii. 12. A. 5. 25
Trojani reges, A. 23
Trojanum bellum, xii. 4. A. 24
Troezen, vi. 10
Tros, xiii. 19. A. 23
Tuba, i. 5
Turnus, A. 28
Tyana, viii. 17
Tydeus, A. 21
Tydides, xiii. 10
Tyndaridæ, A. 17
Typhis, A. 18
Tyrrheni, III. 9
Tyrus, III. 9. xv. 6

V

VAdum, ix. 4
Vallum, viii. 6
Valvæ, I. 7
Vedius, A. 3
Vejovis, A. 3
Vellus aureum, VI. 15. VII. 1. 4. A. 18
Venæ metallorum, I. 6. 12
Venatio, viii. 8. 9
Venti, I. 3
Venti Ulyſſi dati, xiv. 6
Venulus, xiv. 10
Venus, V. 10. A. 9
Venilia, xiv. 8
Ver, II. 1
Vertumnus, xiv. 15. A. 10
Veſpertiliones, IV. 3
Veſta, A. 2

Ve-

Veſtales, A. 2
Via Lactea, I. 7. A. 15
Virbius, xv. 11
Vivax, I. 13
Ulva, VIII. 8
Ulyſſes, XIII. 1. 2. 5. A. 24. 25. 27
Ulyſſis navis, XIV. 13
Ulyſſis ſocii, XIV. 7
Umbræ mortuorum, I. 12.
xiv. 5
Upupa, VI 14
Tragus, A. 11
Uranie, V. 8
Urna funebris, XI. 18
Urſa cœleſtis, II. 3. 4. 12
Urſæ catuli, xv. 8
Vulcanus, II. 1. XII. 15. A. 4
Vulpes in ſaxum, VII. 18
Vulturnus, xv. 14

X

XAnthus, II. 6. X. 12
Jupiter Xenius, A. 3.

Z

ZAncle, XIII. 19
Zethes, VI. 15. VIII. 1
Zodiacus, II. 1. 3
Zonæ, I. 3.

FINIS.

VA 1
A 504452

Digitized by Google

110
C
68

Digitized by Google